UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S. tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

urn:nbn:de:hbz:466:1-52716

Visual Library

Th
135

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 3135.

Hb
254

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Comparat à J. Christiano Reherman
18 gr. in albis 1731.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Jac. Andr. Friedrich, sculp. a.V.

CONSOLATOR
FIDELIS ET PROFICIENTIS ANIMÆ
seu
EXHORTATIUNCULÆ
SPIRITUALES ET SUCCINCTÆ

In singulas Dominicas & Festa annî divisæ, quibûs Confessarius in S. tribunali animam Deum verè quærentem paternè consolatur, & prævie ad solidum peccati horrorem ac continuum in virtutibus profectum adhortatur, dandô insuper

INSTRUCTIONES

Tum internæ pacis tum magnæ Sanctitatis meritorias.

His additur

ACCESSUS ET RECESSUS

Pro condigna administratione Sacramenti Pœnitentiæ opportunissima.

Prodiit

In solamen omnium Patrum Spiritualium industriâ

P. VEREMUNDI EISVOGL,
Wessofontani O. S. Bened.

AUGUSTÆ VINDELIC.
Sumptibus Joannis Strötter, Bibliopolæ.
M DCC XXVII.

DEDICATIO.

Reverendissimo,
Perillustri, ac Amplissimo
Præsuli
DOMINO, DOMINO
ILDEPHONSO,
Celeberrimi ac Exempti
Monasterii Weichenstephanensis Ord. S. P. Benedicti Abbati Vigilantissimo, Almæ, & Exemptæ Congregationis sub Tit. SS. Angelorum Cust. Benedictino-Bavaricæ
PRÆSIDI GENERALI,
Tertiùm confirmato,
Nec non
Episcopalis, Inclyti Lycæi Frisingensis
Assistenti perpetuo &c.

Domino, ac Patri perquàm gratioso, Patrono suo observandissimo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reverendissime, Perillustris
ac Amplissime Domine, Domine
PRÆSUL,
Patrone perquàm Gratiose
Observandissime!

COnsolator Consolatorem quærit. Ubi? In Te Præsul Amplissime! Vis causam? Latent centenæ: dico unicam. Admitte! suggessit gratus amor: non indignare!

Se-

Septennium est, Pater Reverendissime! à quo sub Te Præside (ò quanto mihi) Novitios Fratres ad Regulam sanctissimi Patris Benedicti, ad conversionem morum, ad virtutem, quam magnus Patriarcha docuit noster, erudire jussus sum, tot, & tantis certè impar conatibus, nisi Te vivum Virtutis Benedictinæ exemplar habuissem, ad cujus normam Juventutem religiosam formare contenderam. Nec minùs in meum ipsius, quàm Novitiorum commodum Te Magistrô usus sum, dum adhuc ignarus rerum, quas religiosorum prima institutio habet difficillimas, in Te respexi velut indubiam vitæ sanctioris Cynosuram. Et li-

cèt non ſemper pro virtute verbîs perorares, docuiſti tamen congenitô morum exemplô, Orator quidem ſtudioſe mutus, ſed omnibûs eloquentior.

Dicerem majora de Te, Præſul Ampliſſime! verùm Opuſculi ratio, & materia non patitur. Hæc cùm Aſcetica tantùm ſpiret, ſuos intra limites calamum vel invitum conſtringit; niſi forſan vita tua privata, & publica mera Aſceſis appellari mereatur.

Sanè tuam in Theologicis Sapientiam ad altiora ſuſtollis, ut divinitatis arcana privatim mediteris, poſtquàm publicis in concertationibus ad Præſidentium etiam ruborem dimicaſti. Prudentiam in Jure utro-

troque ampliſſimam, quam non rarò in velitationibus Scholaſticis efficacem probâſti, magnô zelô, ac providentiâ ad vitæ rectioris formam, ad ſubditorum neceſſitates, & commoda, ad tuenda Religionis Jura ſanctiſſimè convertis, & applicas. Subtilitates Philoſophicas, rerúmque cauſas tam altè imbibiſti, ut à viſibilibus ad inviſibilia aſcenſum feliciùs doceas; nihil in Te profanæ pateris ſcientiæ, quod non ſacratiori quadam Apotheoſi ad ſuperna transferas. Hinc illa Regiminis felicitas, aſceterij tui flores, & incrementa; hinc negotiorum tam gravium inexſpectata expeditio, ut ſæpè jam factum eſſe con-

ſpiciamus, quod, num fieri poſſet, dubitabamus. Verè *invia virtuti nulla eſt via!* Eò tua non ſemel jam aſcendit, quò alij non audent aſpirare. Novit, quod ſcribo, Congregatio Benedictino - Bavarica, quam Præſes Vigilantiſſimus jam in decem annos (opto & perpetuos) gubernas tot inter adverſa ſemper glorioſus, victus nunquam. Novit Univerſitas Salisburgenſis, cujus nuper ex Provincia Bavarica Aſſiſtentem agebas; quæ ſapientiæ tuæ conſilia admiratur, auxiliáque, quæ toties exhibuiſti ampliſſima, perenni agnoſcit gratitudinis memoriâ. Novit Lycæum Friſingenſe, cui Aſſiſtens perpetuus virtutis & pru-

prudentiæ tuæ radios indies affundis, & Nominis tui dignitate conſervas, & protegis inſtar ſpecioſiſſimæ Rachelis. Teſtor noviſſima tempora, quæ ob inſolitam in Lycæum tam nobile ſollicitudinem & curam tua merita omni poſteritati transcripſerunt immortalia.

Taceo Aſceterium tuum à Spiritu, & doctrina famoſiſſimum, quod quid debeat *Conſolatori*, ac Mæcenati ſuo, tua jam pro initio auſpicatiſſimi tui Regiminis de eo data produnt Vaticinia: *Nova faciam omnia.* Feciſti gratulor! & hæc cuncta glorioſiſſima. Taceo venerandam virorum graviſſimorum coronam, qui tu-

am in conversatione vitæ spectatæ integritatem innatæ affabilitati sociatam mirè venerantur, audacter profitentes: non possunt alibi in una sede morari auctoritas, & amor: possunt in Te. Vir magne! raris jam tuis Dei, & naturæ donis effecisti, ut omnium animos velut aurea compede Gallicano tibi cum Hercule devincires devotissimos; & ita devincires, ut Te tanquam *Consolatorem* probent, ac expetant magnates, diligant populi, suspiciant exteri. Hæc dicerem, & his longè præstantiora, Reverendissime Præsul! si libelli ratio permitteret, aut tua sustineret modestia, quæ laudes publicas sanctè aversatur:

tur: Scilicet virtutis hæc indoles eſt; quia:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolàque latè.
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibûs (laudibus) *ullis*
Erigitur, plausúque petit clareſcere vulgi.

Claudianus in conſulatu Manlii.

Redeo proin ad ſcopum, quem anteà præfixeram, tibique Præſul gratioſiſſime! opuſculum *Conſolatoris* mei ſacratum volo, rem ex aſſe tuam, Tuæque virtutis ſpeculum, quod ut paterno & clementi ſuſcipias animo, ſubmiſsè ſupplico. Sed nunquid in tuam non pecco Perilluſtrem Perſonam, quòd tantum Nomen la-

bori præfixerim tam vili, & modico? Parce! Tua humanitas me fecit peccantem: deprecor!

Vos verò, ò Boni! potentes Superi! in Magno Præsule Ildephonso nobis servate *Consolatorem* in lustra annorum quàm plurima! idque ad insigne Divini Honoris, & Benedictini Nominis decus, ac immortalem gloriam. Hæc vovet, precatur, & optat Weichenstephanij 25. Martij. 1727.

Reverendissimæ, Perillustri
ac Amplissimæ Paternitati
gratiosæ

obstrictissimus servus
P. Veremundus, Wessofontanus Ord. S. P. Benedicti.

Aprobatio Censoris.

IN libro, cui titulus est: *Consolator fidelis animæ*, nihil, quod fidei Orthodoxæ & bonis moribus repugnaret, sed utilissimas deprehendi doctrinas, quibus Lector instruitur, quomodo de virtute in virtutem procedere possit & debeat, quare ob publicam utilitatem hisce conceditur, ut typis vulgari possit. Aug. Vind. 2. Aprilis 1727.

H. S.

Imprimatur

JOANN. GOTTHARD.
L. B. de VEHLIN.

•

FRANC. JOS. DE HANDL,
SS. Th. Licent. Reverendissimi & Sermi. Princ. & Ep. Aug. Consil. Eccles. Maj. Pœnit. & Librorum Censor, nec non insig. Eccl. ad S. Maur. Canon. & Parochus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO

Almæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub Titulo SS. Angelorum Custodum.

NOs Ildephonsus, Exempti Monasterii Weichenstephanensis Abbas, p. t. præfatæ Congregationis Præses Generalis &c. hisce licentiam facimus, ut liber, *Consolator fidelis* &c. ab admodum R. P. Veremundo Eisvogl, Monacho Wessofontano, & p. t. RR. Fratrum Novitiorum Ejusdem Congregationis Magistro, compositus, atque ab Ascetis nostris revisus in lucem publicam prodeat, & in sacro Tribunali Patrum spiritualium, ac ipsorummet pœnitentium bono serviat, foveátque tum Nostratum, tum quorumlibet aliorum internam pacem & sanctimoniam. In quorum fidem præsentes manu propria & consueto officii sigillo munivimus. Weichenstephanii die 13. Novembris 1726.

(L.S.) ILDEPHONSUS,
Abbas p.t. Præses
Generalis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACULTAS

Reverendissimi & Amplissimi DD. Abbatis Wessofontani.

NOs Thassilo Abbas Exempti Monasterii SS. Apostolorum Petri & Pauli in Wessobrunn, Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub Titulo SS. Angelorum Custodum, Perdilecto Conventuali nostro R. P. Veremundo Eisvogl. p. t. in præfata Congregatione RR. FF. Novitiorum Magistro, hisce facultatem impertimur, ut librum Asceticum, cui titulus est, *Consolator fidelis* &c. ab iis, quorum interest, ritè examinatum, approbatúmque, typis mandare possit, in quorum fidem has litteras manu & sigillo nostro Abbatiali munitas dedimus Wessofonti die 21. Novembris 1726.

(L.S.)

THASSILO,
Abbas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARÆNESIS

Ad

Reverendos, Venerabiles, ac zelosissimos Confessarios, Patres Spirituales, & Directores Animarum Religiosissimos.

I.

Admonentur

NOn est equidem, quod me magis delectet; Sed nec est, quod terreat magis, quàm vos alloqui, Viri spirituales, Patres zelosissimi! didici etenim ab eloquentiæ Magistro, munia, facta, & nomina vestra tam magna esse, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit. Ideò nullus vobiscum nec laborum magnitudine, nec numerô præliorum spiritualium, nec varietate tentationum, nec fortitudine concertandi, nec celeritate vincendi potest conferri. Vos profectò velut Abel accepti estis, sicut Noë salvati, tanquam Abraham amici Dei vocati, ut Isaac pro victima supremo Domi-

Cicero pro Marcello. Dignitatis præstantissimæ suæ propter

Domino oblati. Inſtar Jacob tentationes fortiter ſuſtinetis: ſicut Joſeph dilectis fratribus,& filiis de pane cœleſti paternè providetis: Ut Moyſes Pharaonem poſteriorem Virgâ Sacramentalis Abſolutionis in profundum demergitis: ut Aaron Deum placatis: ut Jeſus filius Nave inimicos in fugam convertitis: ut Phinees æmulatores gratiam Dei diſpenſatis: ut Daniel ora leonum comprimitis: ſicut tres pueri adverſariorum flammas conculcatis: inſtar Petri prædicatis: inſtar Pauli docetis: inſtar Thomæ Dei Unigenitum pro homine mortuum annuntiatis: inſtar Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis de rebus divinis diſſeritis: inſtar Apoſtolorum iniquos inſtruitis, inſtructos ad pœnitentiam adducitis, adductos ſpiritu magnæ pietatis, & perfectionis Chriſtianæ impletis, impletos ſine numero innumeros cœlo invehitis. Hinc vivitis in eccleſia ut forma Juſtitiæ, ſanctitatis ſpeculum, pietatis Idæa, aſſertores Veritatis, fidei defenſores, Doctores Chriſtiani populi, magiſtri inſipientium, refugium oppreſſorum, conſolatores afflictorum, advocati miſerorum, Judices deſpectorum, oculi cæcorum, linguæ muto-

Inſignia

Nominum & officiorum

præconia,

mutorum, ultores ſcelerum, malorum metus, bonorum gloria, Virga potentium, malleus perſecutorum, pauperum patres, ſal terræ, lumen orbis, prophetæ altiſſimi, Præcurſores Chriſti, Inuncti Domini. Quanta hæc Nominum præconia! dignitas, excellentia quanta! Sed non mirum. Vobis enim dictum eſt à Domino per os Jeremiæ: *Ecce! conſtitui te ſuper gentes, & regna* (ſeu filios hominum) *ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Jer. 1. 10.

Et hoc ò quali cum labore! Dicat magnus Venetiarum Protopatriarcha, cujus quot verba, tot & pro Patrum ſpiritualium ſtimulo leguntur incitamenta. Sic ergo loquitur S. Laurentius Juſtinianus: habent hoc proprium, qui arti inſerviunt medicæ, ut, cùm cœperint infirmum viſitare, mox ipſius morbi cauſam, originem, naturámque indagare non deſinant; quatenus habitâ ægritudinis notitiâ valeant opportuna languenti ſubminiſtrare ſubſidia. Nam difficulter, quod ignoratur, curatur malum. Et hac prudentiâ, hôc medicandi ingeniô pollere oportet omnes, & ſingulos, qui animorum profectibus deputati ſunt, & qui plurimorum in viam Dei, & ſancti-

Labores ſanctos in

ſanctitatis inducendorum funguntur officiô. Satagite proin ò Patres zeloſiſſimi! ut naturas, mores, & vobis commiſſorum propenſiones, ac deſideria integrè inſpiciatis, & inſpiciendô penetretis intimè. Varietate enim affectionum, & inclinationum variantur & remedia. Nec unô medicamine ſanantur corpora. Propterea inæquali, ſed tamen modo conducente & congruo piæ dirigendæ ſunt animæ, ut in virtutibus creſcant.

Agnoſcendo naturas & mores ſubditorum, ac

Ideò graviùs errant, qui curam gerunt animarum, & hanc diſcretionis neſciunt regulam. O quàm ſæpè ex admonitione inexperti ductoris in barathrum deductus eſt deſperationis filius ſpiritualis, & qui ad ſummam pietatis arcem, & perfectionis faſtigium facilè aſcendiſſet, evanuit totus, vitæ ſpiritualis pertæſus, & à ſancto propoſito abſterritus. Sed quid mirum? Terra, quæ ſagaci excolitur hortulani manu, uberem progerminabit fructum; ſi autem committatur ſegni, & negligenti, aut neſcienti, repentè loliîs, urticîs replebitur, & zizaniîs. Quis audit hæc, & non intelligit, quàm grave, & formidabile onus comprobetur animarum regimi-

gimine. Hujus in teſtem invoco D. Gregorium Naz. ita affirmantem: *Profectò ars quædam artium, & ſcientiarum omnium mihi videtur, hominem regere, animal maximè varium, & multiplex, id eſt, ars una, & plures coërcens.*

S. Greg. Naz. orat. 1. Apol.

Eorum profectui unicè ſtudendo, uti &

2. Jam non capio, quòd hodie tanta conſcientiæ ſarcina à multis quæratur, dum tamen, qualis ſit, ignoratur. Attendunt hujusmodi duntaxat præſentia; ad futura (quæ maximè Confeſſariis tremenda) ſe modicè reflectunt. Volunt vocari ab hominibus Rabbi, & à ſubditis ut Patres ſuſpici. Obſervant ſubtiliter, quid, & quomodò æſtimentur, non, quid ſint, vel quales eſſe debeant. Hinc vivunt elatione tumidi, mente excæcati, intentione corrupti, & moribus perditi, non jam ut paſtores boni, ſed ut mercenarii peſſimi, perverſi, turpiſſimi. Non mea hæc verba ſunt, ſed Divi Juſtiniani, qui & pergit. Verùm judicium duriſſimum his, qui ita perversè agunt in negotio, à quo dependet ſalus, & æternitas multorum. Stabunt enim omnes, præcipuè tamen animarum duces ante Chriſti tribunal, & ibi de operibus, de omiſſionibus, de verbis, cogitationi-

tionibus, de intentionibus, & affectibus fiet interrogatio universalis. Ideò enim à Deo sunt præpositi, ut filiorum insistant profectibus: & emendatiores reddant Christo Jesu, quos acceperunt ab Ipso. Idcircò pœnas luent meritò pro negligentiis, & pro subditorum delictis, si dissimulâsse, si tacuisse, si non clamâsse, aut non orâsse pro seria eorum conversione fuerint deprehensi.

Consolationi, ac saluti

3. Quàm lamentabilia! quàm tristia hîc eloquor! nolo, ut illos feriant, quibuscum hodie mihi consolatorius sermo. Vos enim, ò viri Venerabiles! Vos estis, qui altâ perpenditis mente, quâ officii præstantiâ, quâ & præcellatis dignitate sacri exercitii. Legistis enim, quid vobis Divinus Areopagita dicens: *Omnium divinorum est divinissimum, cooperari in salutem animarum.* Cui assentitur & Doctor Aureus S. Chrysostomus asserens: *Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ, ùt salus animarum.* Quæ omnia magìs elucidat S. Gregorius, dum ait: *Nullum omnipotenti Deo est tale sacrificium, quale zelus animarum.* Unde & vobis sedes jam parata in cœlo, teste eruditissimo Cornelio. Nam qui ad justitiam erudiunt mul-

D. Areopag. de Cœlest. Hier. C. 3.

S. Chrysost. hom. 2. & 40. super Gen.

S. Greg. hom. 12. super Ezech.

Dan. 12. 3. multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Hunc splendorem ut vobis augeatis, quid non attentatis? Cui labori non intenditis? O quoties cernitis animas diversîs exagitatas tentationum procellîs, nimiâ cæcitate caligantes ignorare, quid statuant, vel agant? Nunc tœdiô affectæ, tristitiâ oppressæ, insensibilitate fatigatæ, & supra virtutem se gravari sentiunt. Nunc innumeris cogitationibûs, omniúmque tribulationum generibus dilaniatæ, tanquam civitas sine custode, & absque murorum circuitu ab hostibus deprædatæ, spiritualium nequitiarum impetus sustinent tantos, ut penè in extremæ pusillanimitatis impulsæ baratrum, aut seipsas rejectô prudentiæ frænô, & Divini amoris jugô, præcipitent in omnem vitæ licentiam, aut superabundantiori perfusæ mœstitiâ, & cordis turbati dolore sauciæ, ab eo, quod firmiter conceperunt, sanctô propositô resilire statuant, atque decernant. Sed quid in casu tam flebili & deplorando vestra charitas? Quid cura, & pietas vestra? Ut sedentes in tenebris ad lumen Deificum excitetis, & in umbra mortis, seu pericu-

Turbatarum

Animarum

riculoſæ puſillanimitatis hærentes reſuſcitetis ad vitam omnis dulcedinis, & ſuavitatis, lumbos veſtros præcingitis ad opera heroicæ mortificationis, & exemplaris pœnitentiæ. Preces, & ſuffragia tam veſtra quàm aliena novîs cumulatis: Pro mediis, quæ afflictis conducant ſaluberrima, inceſſanter vigilatis. Nulli labori, nulli ſudori, induſtriæ nulli ceditis, donec deperdita in turbatam animam redeat optata pax, & dies illuceſcat internæ conſolationis, & conſummatæ tranquillitatis. Tanti videlicet eſt vobis felicitas, & quies commiſſæ alicujus animæ, ut nec veſtra anima exercitiô occupari delectet aliô, quàm animarum lucrô. Hoc etenim ſacrificiô nil majus, nil ſolemnius, aut ſuavius redolet coram Jeſu Chriſto. Unde Petro, cùm diceret: *Amas me?* illéque reſponderet: *Domine! tu noſti omnia. Tu ſcis, quia amo te.* Mox repoſuit Redemptor: *Paſce oves meas.* Nihil ardenter amanti charius potuit committere Chriſtus, quàm illud, propter quod Ipſus exinaniri voluit, & mori. Hoc illuſtri exemplô inflammati & vos, Viri in zelo ardentiſſimi! piorum profectibus intenditis toti. Exhortamini, quos pote-

Pretioſiſſimarum.

potestis: instruitis, quotquot potestis, & proximorum mentes nunc terrendo, nunc mulcendo ad agnitionem provehitis æternæ veritatis. Propterea cunctos fidei vestræ subditos fovetis paterno affectu: nullum despicitis: nulli vestra imploranti obsequia denegatis: aliena damna ut propria deploratis: gaudetis cum gaudentibus, & fletis cum flentibus.

Invigilant & sibi

Unum tamen est, quod vos reddit anxios, & mirè sollicitos. Et quod illud? Amor propriæ salutis. Studetis proximi commodis; sed ita, ut custodiam vestrûm non deponatis. Unô equidem oculô vigilatis, qualiter fraternæ proficiatis charitati; alterô autem, quomodo vestram custodiatis innocentiam. Noveritis Patres Venerandi! fuisse quàm plurimos, qui immoderatô procurandæ alienæ salutis succensi zelô, cordis amiserunt munditiam, omni devotionis nectare spoliati, dum inconsultè vacantes proximo, seipsos negligere non timerent. Sic equidem Deo acceptabile, lucris, & incremento invigilare animarum; sed non omnibus prodest. Unusquisque habet donum proprium à Deo. Quisque debet priùs suam, dein aliorum

quæ-

quærere ſalutem. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, vel omnes ſalvet, aut ſanctificet homines; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Nullus, ah! Nullus ergo ſibi animarum vendicet principatum, magnarum mentium hoc opus eſt! Vocandus eſt dignus; indignus repellatur! Habet & dignus, unde timeat, ne præſumendô ruat. Si non timeat amittere gratiam. Et hæc cauſa eſt, quòd ſponſa in Canticis dilecto pulſanti, atque blandis, & mellifluis ſermonibus eandem ad animarum ſubeundum miniſterium invitanti, de ſe ſuſpecta, ac de mentis coinquinatione dixerit pavida: *Expoliavi me tunicâ meâ! Quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Semper enim humilis caſum veretur. Vereamini & vos, Zelatores optimi! Et ne in officio charitatis contrahatis maculam, vivite ut ſancti. Timendo lapſum,

5. Ita vult Deus, dum Lev. c. 22, v. 32. de ſe teſtatur dicens: *Ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Cornelius legit: *Qui jubeo vos ſanctos eſſe.* Et bene: *Vos enim eſtis ſal terræ*, ait Chriſtus, & *lux mundi:* SS. Hilarius & Gregorius addunt: *Et ſatores* Vivendo in magna ſanctitate,

aternitatis. Sed si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Agitis & mediatores inter Deum, & homines; ideóque peccata populi comeditis, & consumitis; comeditis, quia à peccato absolvitis. Consumitis, dum & cavendi, atque effugiendi paterna subministratis consilia. *Videte* ergo (sunt verba Seraphici Patris Francisci) *dignitatem vestram ô sacerdotes! Et estote sancti, quia & DEus, cui ministratis, sanctus est.* Magna miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum Deum præsentatis, & aliquid aliud in mundo curatis! totus homo paveat, totus mundus contremiscat, & cœlum exultet, quando ad S. Tribunal in persona Christi JEsu residet Dei sacerdos.

In Epist. quæ extat in tom. 5. Biblioth. P. P.

Puritate vitæ,

6. Qui jam non intelligit, quantæ puritatis, & integritatis vitam profiteri debeat Pater spiritualis? Hîc audiamus responsum Gregorii Magni. *Mundus à vitiis esse debet* (ait Doctor insignis) *qui curat aliena corrigere; quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus quem pulvis gravat, & superpositas sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet.* Samuel suæ integritatis popposcit testimonium à populo, ut dein eò

S. Greg. l. 7. mor. c. 16.

liberi-

liberiùs eum de ſuis redargueret ſceleribus. David vir ſanguinum, templum Deo ædificare prohibetur; quia qui adhuc actibus incumbit carnalibus, neceſſe eſt, ut inſtruere ſpiritualiter mentes proximorum erubeſcat. Accomodè Tertullianus: *Oportet conſtantiam commovendi, propriæ converſationis auctoritate dirigere, ne dicta factîs deficientibûs erubeſcant.* Concludit hunc diſcurſum S. Ambroſius, dum in Lucæ c. 6. commentans inquit: *Niſi tu* (ô animarum Director!) *Priùs interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut, cùm fueris ipſe pacificus, pacem aliis & quietem feras. Quomodo potes aliorum corda mundare, niſi tuum mundaveris anteà?*

1. *Paral.* 22. 8.

Tertul. L. de patientia c. 1.

S. Ambroſ. L. 5. *in Luc. c.* 6.

Fovendo Charitatem & Clementiam erga filios ſpirituales,

7. Pacem proin, charitatem, & clementiam commendo vobis, Viri à Domino electi! Eſt enim impoſſibile, mentis integritatem, virtutum ſummitatem, & tanti muneris attingere plenitudinem absque clementia, & charitate, quæ præcipuè requiruntur in iis, quibus Dominicarum ovium commiſſa eſt cura, ut earum ſolummodò bonum profectum; non verò ſua quærant commoda. Quis-

cunque in eo, quòd præsit plurimis, gaudet, honorem intendit suum, pascit & se, non oves. Confessarios decet, agere Patres, non Dominos. Studeant magìs amari, quàm timeri; & si severitate est opus, paterna, mitis, & suavis sit, non crudelis, tyrannica. Induant matres fovendô, Patres corrigendô! Suspendant verbera, dum prosunt, & sufficiunt verba. Pectora lacte pingueſcant, non turgeant superbiâ. Charitas nunquam inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, capiens formam ab Ipso veri Amoris Magistro, qui dicit: *Non veni ministrari, sed ministrare.* O quale & hîc nobis reliquit exemplum omnis lenitatis vir summæ eminentiæ Cardinalis Horatius Justinianus, qui in spectabili Pœnitentiarii munere in spiritu charitatis, & misericordiæ se prorsus monstravit invictum. Libellos supplices nunquam remisit cum voce illâ reluctoriâ, à qua abhorrebat, *nihil.* Suavissimam semper reddebat verbîs consolatoriis peccatorum absolutionem, seriò pœnitentes utroque stringebat brachio, asserens, nefas esse Judici Ecclesiastico, commissa luentes, & in viam salutis redeuntes, asperitate repel-

repellere. Dicere solebat sæpius: *Si Christus tam largè suum effudit sanguinem: cur ego ejusdem distributor, parciùs in animarum salutem, & consolationem erogem?* Ab eminenti, docto, & gravi viro propter tantam in S. Tribunali exhibitam lenitatem objurgatus: *Malo*, ait, *Legislatoris, quàm legum interpretum; Dei potiùs, quàm hominum calcare vestigia; præeunte duce validô, & robustô iter periculis ut plurimùm vacat. Quid enim significat illud: misericordiam volo, & non sacrificium, nisi compatienter in confessionali agendum? Leni, non aspero medio malè valentibus opus esse, dicit ille, qui novit infirmitates nostras. Tribunal gratiæ, ne nomen perdat, misericordiâ, & non rigore abundare debet.* Tali responsô vir mitis objurgatores compescuit, atque in pace dimisit; docuítque quanta charitate, & clementia præsideri oporteat, dum se sistunt ad S. Tribunal pœnitentes. O viri venerabiles! Vultis amari, ab omnibus honorari, & omnibus fieri omnia? Flamma ardeat amoris in cordibus vestris. Hanc utique accendit Magnum Ecclesiæ Lumen S. Gregorius, dum in Pastorali monuit: *Lux*

gregis est flamma pastoris. Misericordiam autem vestram inclamat os melliflui Bernardi Serm. 2. in Cantica tract. de Unctione, & oleo clementiæ sic suaviter eloquentis: *O quæcunque es anima, sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ; sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta tibi ipsi tanquam vas perditum, ut cæteris præstò ubique semper occurras, atque succurras.* Sic *denique mortua tibi, ut vivas omnibus, ut planè tertium, optimúmque unguentum felix possides, & manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Memor erit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pinguefiet.* Talis an non fuit Doctor Gentium testatus de seipso: *Quis infirmatur: & ego non infirmor?* Quis scandalizatur, & ego non uror? Paulum secutus est Vir dolorum S. Job dicens: *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui.* Joseph, qui postquàm Ægyptum universam post se fecit currere in odorem unguentorum suorum, etiam suis venditoribus eandem demum fragrantiam propinavit. Moyses plenus misericordiæ spiritu exclamat:

Do-

Domine ! Dimitte populo huic ; sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti. O homines verè unctos unctione charitatis, & oleô misericordiæ!

Vincendo impatientiam, &

8. Ad quid ergo tœdium fatale, ira inordinata, tetrica tristitia, si spiritualis filii mores non citò sanctificent, & optatos pro consolatione spiritualis Patris fructus non reddant? Vicarius Christi (teste Dionysio Carthusiano) tantæ sit perfectionis, quòd, *quantumcunque subditi* (confitentes) *spiritualibus priventur armis, & passionum agitentur immoderantiis, ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientiæ perseverent constantissimè ; mala vincant in bono, suáque probitate aliorum defectuositates reprimant, ac reforment, quoniam ipsi sunt velut mensura, & regula subditorum.*

Inordinatam tristitiam, ex *L. 4. revel. c. 21.*

9. Nec contristentur, dum desideratos è suis laboribus non impetrent fructus. Nam Beatissima Virgo Maria sanctæ revelavit Birgittæ: *Amici Dei non habent attœdiari in servitio Dei ; sed laborare, ut homo malus fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora.* Præclarè S. Chrysostomus: *utinam* (ingeminat) *S. Chrysost. hom. 3. in 1. ad Cor.*

Defectu optati fructus ortam.

oratio noſtra aliquid proficiat! quòd ſi poſt longam admonitionem in iisdem perſeveraverint malis moribus, ne ſic quidem deſiſtamus, illis, quod rectum eſt, conſulere; quandoquidem & aquarum venæ, etſi nullus veniat aquatum, maneant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt: & amnes, licèt nemo bibat, nihiloſeciùs fluunt; ſic oportet & illum, qui præſidet confitentibus, quamvis fructum non ſtatim advertat, tamen præſtare, quidquid in ipſo eſt ſitum. Abſit, ut diffidant rectores animarum. Curam exigit ab his Deus, non integram curationem. Dixit veriſſimum, qui ſcripſit: *non eſt in medico, ſemper relevetur ut æger.* Sit illis mens eadem cum D. Paulo, qui de ſe: *plus omnibus laboravi.* Ecce! quis hîc legit: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi. Horruit iſta demiſſio Pauli. Faciant venerabiles Confeſſarii, quod ſuum eſt. Nam & Deus, quod ſuum eſt, ſatis absque eorum anxietate, & ſollicitudine curabit. Plantent flosculos, inſtructionibus Apoſtolicis, plantatos zelosîs rigent exhortatiunculîs, & ſui expleverunt officii partem. Sanè incrementum,

ubi

ubi, & quando voluerit, dabit Deus, non miſer homo. Si fortè noluerit, Patri ſpirituali decedet nihil; quia ſapientis promiſſum: *Reddet Deus mercedē laborum ſanctorum ſuorum.* Securus, felix, & beatus labor, quem nullus valet evacuare defectus. Capiant Boni Patres ad cordis ſui conſolationem doctrinam, quam invenio in libello de Imitatione Chriſti verè auream, ubi devotus Author, Gerſen, Benedictinus, loquens in perſona Domini notanter monet: fili! deſideria & ſæpe accendunt, & vehementer impellunt; ſed conſidera: an propter honorem meum? An propter tuum potiùs commodum? ſi ego ſum in cauſa, bene contentus eris, quomodocunque ordinavero; ſi autem de proprio quæſitu aliquid latet: ecce hoc eſt, quod te impedit, ut minùs feliciter in tuis proficias. Quare ergo conſumeris vano mœrore? Sta ad meum beneplacitum, & nullum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris eſſe ibi vel ibi propter tuum beneplacitum, nunquam eris in quiete, nec liber à ſollicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui adverſetur.

Gerſen Lib. 3 de imit. C. 11. & 27.

Expetunt lucra aliorum

10. Sibi equidem prodesse in cura salutis expedit Confessionariis. Sed non sibi solis. Ita tropologia Gregorii Magni, dum interrogat: Quid *in Saul electo, & bono* significetur? Et sibi ipsi respondit subinferens: Significantur electi illi, qui per doctrinam aliis sunt utiles, & per conversationem sibi; qui sic sciunt, & possunt regere alios, ut sibimetipsis nequaquam desinant providere. *Electi enim & boni sunt, qui sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur.* Pleni quippe in seipsis sunt, affluentes aliis, & de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut suæ plenitudinis aliquid non amittant. Ita Cornelius à Lapide.

Exemplo proprio

11. Verùm proderit & sibi, & aliis plurimùm Pater Spiritualis, si non communem, vel plebi duntaxat usitatam ingrediatur viam. Id quod disertè docet S. Ambrosius in epist. 6. ad Irenæum, ubi juxta illud Pythagoræ mandatum, quo suos discipulos ad magna virtutis studia excitavit: Vides (aît:) nihil commune in multitudine? Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vendicat Auctoritas Pastoralis. Qomodo enim potest observari

à populo, qui nihil habet ſecretum à populo, diſpar à multitudine? Quid enim in te miretur, ſi ſua in te cognoſcat? Si nihil in te aſpiciat, quod ultra te inveniat? Si quæ in ſe erubeſcit, in te, quem arbitratur reverendum, offendat? Supergrediamur igitur plebejas opiniones, & quæramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſolentium. Sit autem via noſtra anguſtior, virtus exuberantior, callis arctior, vigor mentis exundantior. *Prodeant* (ſunt & Divi Chryſoſtomi deſideria) *prodeant ad functionem paſtoralem, atq; animarum, qui longè omnibus præſtant, quiq; virtute animi tantum excellunt alios, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentes excelluit, ſeu potius multò etiam magis.* Talis animarum cuſtos, & paſtor fuit S. Malachias, Hiberniæ Archiepiſcopus, qui ſæpè ſolebat ſuis dicere: *Non recuſo mori, ut vos vitæ meæ teneatis exemplum.* Erat enim Malachias (refert S. Bernardus) *Regula fratrum.* Legebant in ejus vita, quomodo converſarentur. Sibi pauper, ſed dives pauperibus. Pius ad compatiendum, quô compaſſionis affectu ſibi rapuit omnes.

S. Chryſoſt. L. 2. de ſacerd.

12. Tanta vis eſt boni exempli,

Compassione paterna, & tanta & virtus paternæ compassionis; quam & nervosè commendat Patribus spiritualibus S. Gregorius, quando monuit: *Quicunq; ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem Ordinis sui sublimitate habere debet & vitæ altitudinem, & infirmitatis alienæ compassionem. Doceant ergò sublimiter, & sanctè vivere.* Id est: explanent obscura, & caliginosa; sint sibi rigidi, & filiis temperati; sic propriæ attendant saluti, ut cum infirmis infirmari se sentiant: infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis; *nam si per mentis languorem jacet Doctor, curare ægros, & jacentes erigere non valet.* Ita Cornel. Dicant sibi, de quo gloriatus est Doctor gentium: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Quare? *Ut in me inhabitet virtus Christi.*

S. Greg. p. 2. Pastoralis.

Cornelius in 1. reg. c. 9. v. 13.

2. Cor. 12, 9.

reflexione, quòd & ipsi homines sint; 13. Quòd ergò Confessarii sint, & vices gerant supremi Divini Judicis, quòd & cœlum continuos in eos depluat gratiarum favores, non habent causam, se efferendi super alios, & filios duriùs tractandi spirituales, sed meminerint, quòd & ipsi sint homines, quòd & multùm infirmi, vitiosi, malè corrupti. Hæc recordatio serviat zelosis ejusmodi viris instar parvuli,

vuli, qui apud Romanos currum triumphantis antecedens, victoribus inter acclamationes, & applausus identidem suggerebat: meminissent, se quoque mortales esse vili gleba compositos. *Memento, te esse hominem.* Et hæc humilitas quid operabitur in cordibus Confessariorum, nisi ut sint erga filios sibi concreditos mansueti, & patientes, adeò, ut eorum miserti defectus magna charitate excusent, vel minuant, illos paternè sustineant, & instar medici tractent, medici inquam, patientiâ instructissimi.

Patientia

14. O Venerabiles viri! dico & vobis: Patientia cordibus vestris est præprimis necessaria. Deus dum Ezechielem mittebat ad populum Israël, quid vellet, hìsce innuit: *Mitto ego te*, non ad angelos, sed *ad filios Israël, ad gentes apostatrices, durâ cervice, & indomabili corde.* Quid? Domine! Propheta tam sanctus agat, & vivat cum tali populo? Sic est, pergit Dominus! *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Cum scorpionibus* ait Deus. Justè igitur eruditus Hector Pindus Christianos non exemplariter viventes cum bestiis comparat venenatis. *Nam* (formalia Pindi adduco) *hìc vocantur*

Ezech. 2. v. 3. & 6.

ſcorpiones. Apud Iſaiam hericii. Apud Matthæum, & Joannem lupi; apud Lucam vulpes, & apud Matthæum & Lucam progenies viperarum. Eja jam propheta! videbatur (juxta gloſſam Cornelii) dixiſſe Deus, præpara cor tuum ad fortitudinem, & inſignem patientiam! Grandia tibi imminent certamina; & quomodo evades, cùm nonniſi inter ſcorpiones, vulpes, hericios, & ſerpentes habitabis? Patientia, & fortitudo Chriſtiana ab his te ſervabunt inſultibus. Quod eſt columba in medio accipitrum, quod ovis in medio luporum, quod ſtella in medio nubium, quod lilium in medio ſpinarum, hoc germen juſtitiæ eſt in medio iniquitatum, ait S. Chryſoſtomus. O Confeſſarii! ſanctîs non terreamini laboribûs, ad quos ſanguinolenta invitat Chriſti Jeſu vinea! Non terreamini inconſtantiâ, vel infirmitate hominum! Triumphate malum in bono! Sperate in ſpiritu lenitatis, & invictæ patientiæ. Hâc ſolâ fructum facietis in centuplo, quem & Dominus inferet in horreum gloriæ immortalis. Ita Ludovicus de Ponte. *Attende* (hortatur Vir Dei) *ſemen gloriæ eſt tribulatio; fovetur hoc ſemen, ne corrumpatur, patien-*

S. Chryſoſt. hom de patientia Jobi.

Invincibili,

tientiâ, miseri homines sine semine messem colligere voluit gloriæ, & semen ut fructificet sine patientiâ, quæ major vesania? Gloriamur, ait D. Paulus non in divitiîs, in scientiis, in resuscitatione mortuorum &c. *Sed in tribulationibus.* Cur? *Quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit.* ad Rom. 5, 3.

15. Hæc ò quàm cordatos jubent esse S. Tribunalis Judices, quibus illud applico, quod lego in Exodo. Mandavit Deus Moysi: *Provide de omni plebe viros potentes.* Hebraicè: *Viros virtutis*, valentes animô, strenuos, magnanimos, qui homines non timeant, qui personas non accipiant, qui blanditiîs, adulationibûs, figmentîs judicium non pervertant, sed qui solum respiciant Deum, timeant Judicem judicum, & Dominum dominantium. Ita Fridericus III. Imperator rogatus, quos è suis haberet chariſſimos? ait: *Eos, qui non magis me, quàm Deum timent.* Judicem adeò potentem miremur in Hussitico Principe: *Conterebam* (fatetur de se ipso) *molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*, Jobi c. 29. Et hoc est, quod insinuat Ecclesiasticus Cordata & virili. Job. 29.

Eccl. c. 7. v. 6. cus monens: *Noli quærere, fieri Judex, nisi valeas, virtute, irrumpere iniquitates: Ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Quin & Epictetus omnem (cujuscunque sit statûs, vel ordinis) compellat Judicem: *Uti nec anser clangore, nec ovis balatu perterretur, ita nec te stolidæ multitudinis vox perterrefaciat.* Quare Trajanus Imperator Magistratum, & Judicem constituens, illíque de more porrigens gladium: *Illô*, ait, *pro me, quamdiu æqua mandavero; sin iniqua, contra me utere.* Accipite itaque Venerabiles viri, armaturam Dei, ut possitis in omnibus stare perfecti, de Christi adjutorio confidentes. State succincti lumbos mentis inter bonos, & malos, inter tepidos, & proficientes; induite loricam justitiæ, & calciati pedes in præparationem Evangelii pacis, in suavitatem virtutis, & consolationem animarum festinate: In omnibus laboribus, in omnibus & molestiis, ac tribulationibus sumite scutum fidei, in quo & animas in Domino fideles & proficientes fortiter confirmare, & in virtutibus adhuc languidas ad magnum fervorem excitare, & provocare satagatis.

16. Ar-

16. Arripite galeam ſalutis, gladium zeli, & ſpiritûs, quem vobis offert Venetorum Apoſtolus, Magnus Protopatriarcha, S. Laurentius Juſtinianus, unumquemque admonens veſtrûm: „Quotquot alios „ad perfectionis incitant faſtigium, „magnô rectitudinis ardeant zelô. „Sua priùs inſequantur vitia, dein „ſubditorum, ſua ſine miſericordiâ, „ſubjectorum verò cum multa pie„tate, non hominis naturam, ſed „hominum inſequentes vitia. Cor„rigunt, ut ſervent. Monent, „ne perdant. Eſt bonus rectitudinis „zelus, ſed pietatis non minùs neceſ„ſarius. Utrumque teneat, qui ani„mas ad ſanctitatem, & juſtitiam „educat.„ Utroque eſt uſus ſuîs cauſis, & temporibûs Redemptor noſter. Flevit ſuper Jeruſalem, flevit & ſuper defunctum Lazarum: ſed increpavit Petrum, & reſpexit Petrum. Mundavit templum vænalibus dicens: *Auferte iſta hinc! & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Verum & in templo docebat clamans: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Hunc potum porrigite filiis veſtris, Patres zeloſiſſimi! Porrigite in verbo ſanctæ conſolationis, paternæ pietatis, & Zelo Apoſtolico, Conſolatorio, &

& religioſæ ſollicitudinis, non contenti, quòd benè cœperint, quòd hactenus virtutem coluerint; & quæ religionis, ac chriſtiani ſpiritûs ſunt, quæſierint, atque adamaverint; ſed ut ardeant magis, & ad perfectiora excreſcant opera, ſtimulate, accendite, excitate.

Excitatorio ad proficiendum de virtute in virtutem.

17. Noveritis quippe ex Cornelio ſuper c. 33. Num. quòd fideles animæ totâ vitâ teneantur in virtute proficere, & ſic proficiſci in terram promiſſionis, ſeu cœleſtem patriam. Nam juxta S. Bernardum *proficere eſt quoddam proficiſci.* Hinc Pſaltes: *Ibunt de virtute in virtutem.* &: *Beatus vir, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* In quæ verba ita S. Hieronymus: *Ille diſpoſuit in corde aſcenſiones, quicunq; ſanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviſcitur.* Felix itaque, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut proficiat. Quare Salomon juſtum in proverbiis ita depingit: Juſtorum autem ſemitæ quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem. Vera virtus finem neſcit, tempore non clauditur. Unde & illud: Charitas nunquam excidit. Nunquam enim juſtus arbitra-

bitratur, se comprehendisse, nunquam dicit: satis est. Sed semper esurit, & sitit justitiam, ita, ut si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, & semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum Divino se mancipat servitio. Ecce! in quos viros, vestros excrescere oportet filios, in viros profectò ætatis plenitudinis Christi Jesu. His proin acclamate, & dicite ex ore Hipponensium Doctoris: *Proficite fratres mei! & estote perfecti, sicut & Pater vester in cœlis perfectus est. Discutite vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione.* Dilecte fili! Non est enim aliquis intus tecum, cur erubescas, & jactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, ipse probet te. Probas & te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti Si autem dixeris, sufficit: periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice. Noli in via manere; noli retrò redire; noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrò redit, qui ad ea devolvitur, unde jam abscesserat.

Me-

Meliùs ut claudus in via, quàm curſor præter viam. Extra viam ne eant filii veſtri, date dexteram ſpiritualis doctrinæ, porrigite baculum conſolationis paternæ, extendite brachia ſollicita adhortationis ad heroica ſanctitatis chriſtianæ opera. Patris eſt conſolari filios! Magiſtri ſtimulare diſcipulos. Paſtoris commiſſos ſibi Dominici gregis & verbô, & exemplô paſcere populos.

Honorantur novo opuſculo ſub titulo Conſolatoris,

18. Et hæc erat ratio, & finis, cur ego tam amicè, & fraternè colloquar vobis, & *Conſolatorem fidelis, ac proficientis* offeram *animæ*. Novi, quàm piæ, & devotæ ubique inveniantur animæ, quæ indies cupiunt impinguari ſpiritu, ineſcari manna continui profectûs, magni fervoris, & inebriari poculô, & vinô S. perfectionis. Sed non impetrant, quæ ardenter deſiderant. Sæpè fame, & ſiti decumbunt, miſerè exareſcunt, præ ſterilitate, & cordis ſiccitate flebiliter deficiunt, languent, & propè non pereunt.

Exigente neceſſitate multarum animarum.

Quæ cauſa tantæ miſeriæ? Reſpondeant ipſæ deſolatæ animæ: *Hominem non habeo*, plorant, qui jacentem in via Jeruchintina, & languoris excitatoriô ſublevet verbô. Facta ſum abſque Patre, qui media ſuggerat, qui-

quibus neglectâ vitâ communi, & antiquâ vecordiâ ascendam ad præstantiora sanctitatis merita. Ulcera per humilem confessionem filialiter pando: Sed nudâ (utinam & hâc non frigidâ!) absolutione dimittor, subtractô omni refocillationis spiritualis pabulô, quod tamen unô, vel alterô dispensari potuisset languenti consolatoriô verbô. Quid dein mirum, si sacramenta frequententur ex merâ consuetudine siccâ, & aridâ. Quid mirum, si & post confessiones toties repetitas vita adhuc tam gelida? Quid mirum, si & inde antiqui hominis originalia reviviscant vitia? Potuissent hæc suaviter, & delectabiliter impedire omnia spirituales viri, si consolatores egissent in S. Tribunali. Sic ad vos, ò Patres zelosissimi! devotæ Christi animæ, additâ S. Augustini clausulâ: *Si non pavisti, occidisti.*

indigentium refocillatione spirituali,

19. Consolamini ergo, consolamini (finio cum Isaia) electum Dei populum. Loquimini ad cor Jerusalem! Annuntiate ei blanda, & suavia (pergit Cornelius) quæ cor ejus demulceant, recreent, omnémque ab eo molestiam abigant. Nec pœniteat tanti laboris; Si tamen labor. Nam ubi amor est, ibi non est labor, sed dulcis sapor, affirmat

Præscripta à Prophetis, &

mat pullus Mariæ, S. Bernardus, qui ut ad paternas erga filios veſtros conſolatorias exhortatiunculas incitaret, Serm. 5. in Natali Domini ſic vos alloquitur coram præſepio : „ Conſo-
data à Chriſto Jeſu in mundum nato. „ lamini ! conſolamini ! dicit Domi-
„ nus Deus veſter ; dicit hoc Emma-
„ nuel Nobiscum Deus. Clamat hoc
„ ſtabulum, clamat præſepe, clamant
„ lacrymæ, clamant panni. Clamat
„ ſtabulum, curandô ſeſe homini, qui
„ in homines inciderat, præparari.
„ Clamat præſepe, eundem homini,
„ qui jumentis comparatus eſt, pabu-
„ lum miniſtrari. Clamant lacrymæ,
„ clamant panni, eisdem ipſius cruen-
„ ta jam vulnera ablui, & abſtergi.
„ Siquidem nullô horum exiguit Chri-
„ ſtus ; nihil horum illi propter ſe, ma-
„ gis autem propter electos. Conſola-
mini, (proſequitur Clemens L. 2. conſtit. Apoſtol. c. 15.) conſolamini veſtros ſpititualiter ſubditos, ut cœptam virtutis viam, ſtrenuè continuent, ſemitam Domini generosè currant, mundum, & carnem heroicè conterant, ſolíque Deo firmiter adhæreant. Felix, & æternum felix, qui Domino incorruptum tribuit, quod accepit à Domino. Dignus ſempiternâ cenſetur gloriâ, qui non ſolùm ſe, ſed etiam

am plurimos secum Christo propriis laboribus (ita benedicente Dei gratia) parturiit devotos & sanctos. Tantorũ prorsus erit particeps meritorum, quantorum sanctitatis, & salutis extiterat causa. Unde jam sat probata patet Patrum spiritualium dignitas. Ut enim prosit, non ut præsit, vivere debet vir Dei. Exiguum namque est hominis meritum, nisi profectibus cumuletur aliorum. Ideo (ut cum S. Laurentio Justin. dicam pro coronide) Confessarius, & ingenuus ovicularum Pastor totis desudet viribus tùm pro gloria Dei, tum pro subditorum solatio, & utilitate; quatenus quos regit, ditescant meritis, virtutibus crescant, & quotidie spiritu mentis renoventur. Hæc enim sedulò agens animam suam liberat à periculo, & illam cœlo habilitat, cui tot genuit filios. Propter hoc & Pater spiritualis cum Apostolo in die judicii interrogare poterit: *Nonne vos estis gloria mea ante Dominum.* 2. Cor. 9. Agit enim Dei clementia hoc in electis suis, ut tot fulgeant gaudiorum meritis, quot pro ipsorum doctrinis inventi fuerint in cœlis. Viri Spirituales! Patres zelosissimi! Date promptas filiis voluntates! Date verba cli-

enti-

entibus consolatoria! Armate incipientes! Stimulate currentes! Inflammate proficientes, haud ignari; quia duplici fulgebitis stolâ, unâ interminabilis jucunditatis; alterâ æternæ felicitatis. Gratulor! & ut brevi comprehendatis, amicè precor. Valete! pro Deo, pro proximo semper ardete, & ut stellæ quondam lucidissimæ in cœlis perpetuò splendescite. Sic vovet

Vestrum omnium

Weichenstephanii propè Frisingam in Novitiatu exemptæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ.

Cultor devotissimus

P. Veremundus.

PRO-

PROEMIUM
De
Scopo præsentis opusculi.

1. ECce tibi, Amice Lector! modico concluſum volumine, quicquid ad conſolationem fidelis, & proficientis animæ inſigniter conducere mihi eſt viſum. Fronti *Conſolatoris* nomen præfixi, ut vel inde colligas, unde gaudeas. Si curam profiteris animarum, & Pater es ſpiritualis, invenies *exhortatiunculas*, quibûs per annum (ſive feſta incidant ſolemnia, ſive ſimplices Dominicæ) conſistentes tam fortiter, quàm ſuaviter viam cœptæ virtutis currere facias. Si autem filius pœnitentiæ, capies *inſtructiones*, quibus & Deo, & Feſtis, propriæque ſatisfacias conſcientiæ. Quid autem conſolatione plenius reſpectu Patrum ſpiritualium, quàm animas ſibi concreditas non ſolùm in ſpiritu pietatis conſervâſſe, ſed & auxiſſe, ac radicâſſe plurimùm? Quid reſpectu Filiorum delectabilius, & optabilius, quàm in eo ſe videre ſtatu poſitos, ubi eſurientibus dulcia parantur paſcua, & ſitientibus aperitur cœleſtis fontana, cujus aquæ ſaliunt in vitam æternam. Hinc deploro Confeſſarios illos, qui, cum bellè noverint, infirmum perire ſinè confortativo & medico, diſci-

Exponitur opuſculi titulus

Continentis exhortatiunculas

ſcipulum vileſcere ſinè ſtimulo, militem periclitari ſinè ducis Magiſterio, tamen animas tot nobiles, quas habent cum fiducia accedentes, è S. tribunali remittunt ſinè ſucco, ſinè guſtu, ſinè doctrinâ, & ſpiritû, contenti nudâ, ſimplici abſolutione. Certè hi neſciunt illud S. Auguſtini paſtoris zeloſiſſimi, dum ſcribit: *Charitas, quam vocat Apoſtolus vinculum perfectionis, cùm nata fuerit, nutritur, nutrita roboratur, & roborata perficitur.* Quale autem hoc lac, vel nutrimentum, ſi omne piis animabus ſubtrahitur documentum? ſi nulla informatio, ac memoria, quale feſtum agatur, ad quod ſolemniùs celebrandum, vel maximè ſtimulari merentur animæ cæteroquin in pietate, juſtitia, & ſanctitate multùm ſolidatæ, & adultæ! Et de his potiſſimùm loquitur *Conſolator* noſter, miſertus infelicitatis illarum, dum in ſtatu etiam ſupremæ ariditatis, & deſolationis ſibi relinquuntur ingemiſcentes. Sitivi, & non dediſtis bibere: eſurivi, & non dediſtis manducare: nuda fui, & non cooperuiſtis me. Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.

Succinctas

2. Fateor equidem homines doctos, graves, religioſos, & viam Domini fervidè currentes haud indigere exhortatiunculîs, admonitionibus, & incitamentis. Sciunt enim hi perbene, quid, & quale ſibi competat officium? Quæ obligatio? Diſpoſitio qualis? Bone Lector! id tibi conceſſero, ſi de longiuſculîs, protractîs, & morosîs tibi

ſer-

sermo, & opinio. Has nec ego intendo, nec suadeo. Non solatur, quod gravat. Gravaret autem maximè tam Confessarium, quàm filium spiritualem longior exhortatiuncula. Verùm usurpare unam tantùm, vel sententiam alteram, adhibere succinctam de Festo, aut instanti Dominicâ reflexionem asceticam, & hanc breviſſimam : quis non affirmabit, quòd & animæ utut illuminatiſſimæ magni habeant, avidè ambiant; & dum hoc mel, & favum de ore dispensatur solliciti Patris, ut apiculæ excipiant,& concoquant prudentiſſimæ.

Relegendas studiosè, &

3 Neque volo, ut memoriter teneas, quæ in hoc legas opusculo. Id certè nec permitterent tempora, nec concederent S. Confessionalis onera, quæ alleviari debent, non cumulari. Erit tamen opportunè proficuum, si, antequàm ad confessionale pergas, piô lustres oculô, quid hodie solatii, doctrinæ, & incitamenti dispensandum pro fructu, & glorioso successu tanti Sacramenti. Et profectò suggeret devotus *Consolator*, quî & tibi, & tuis satisfacias spiritualibus clientibus sive pro consolatione proficientis animæ, sive pro festi solemnitate.

Inflammandas per *Instructiones meritorias*.

4 Quem cultum festorum ut accenderem, apposui cuilibet exhortatiunculæ *Instructionem meritoriam*. Instructionem, quatenus docet compensationem pro præteritis, & cautelam de malis futuris. Meritoriam; quia ibi continentur utiles industriæ, praxes, & experientiæ, quibûs addicta pietati anima non potest non firmari, & stabiliri in omni puritate, & sanctitate vitæ. Quantum meritum!

Servientes loco pœnitentiarum sacramentalium.

5. O quot non etiam reperiendi sunt Confessarii, qui sæpius hærent anxii, quam pro Festorum varietate dictent Sacramentalem pœnitentiam? Hanc anxietatem, ut aut sublevarem, aut tollerem, studiô *Instructiones meritorias* festivitatibus, & Dominicis accommodavi, illámque expressi devotionis materiam, quæ appositè Patribus spiritualibus serviet ad imponendam pœnitentiam satisfactoriam. Quin ut haberes, quô in plures tibi prodessem annos, cuilibet Festo, & Dominicæ tres exhortatiunculas cum totidem instructionibus attribui. Primô annô incipe à primâ; secundô à secundâ: sic triennium complebis sanctâ tuâ industriâ.

Confessariis pollentibus auctoritate insigni,

6. Porro, cùm ea insit auctoritas Confessariis, ut, quisquis eos non honoraverit, jam ipsum inhonoraverint Deum, qui ita de Samuele: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 1. Reg. 8 7. Hinc præclarè Salvianus Lib. 8 de provident. ait: Sacrilegii *genus est, Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quispiam cædat, in nos servorum cedit injuria, & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas torquetur paterna; ita & cùm servus Dei à quocunque offenditur, divina Majestas contristatur.* Si hoc: O quæ vitæ sanctitas? Quis in moribus splendor? Quantum vivæ sanctitatis theatrum requiritur in zelatoribus animarum? Videbitur, si vel semel per mensem suam discutiant conscientiam

tiam, & solerter investigent, quid præstiterint? Vel quales fuerint in tribunali sacro? Aut quos fructus reportaverint? Id quod discent ex affixo *Examine menstruo*, in quo & grandia Confessariorum recensentur à Deo accepta beneficia, sicuti & muneris commissi rationes, atque pondera. Quibûs cordialiter perpensatîs, Pater spiritualis non poterit non zelari Dei gloriam, animarum lucrum, & salutem æternam.

Ampliandâ *Examine menstruô*, &

7. Denique ut Sacrum pœnitentiæ tribunal eò sanctiùs frequentetur, & quàm felicissimè administretur cum potenti Dei assistentia, *Accessum & Recessum* formavi, quem commendo omnibus, & singulis devotis, ac zelosis Confessariis. Quem inde referent fructum: S. Augustinus monstrat dicens: *Ascendit oratio, & descendit miseratio.* Doctrinaliter scripsit & Cœlestinus Papa nomine Patrum spiritualium: interrogat enim: *In quo Dei auxiliô non indigemus? In omnibus igitur rebus, causis, negotiis* (præcipuè alienæ salutis) *exorandus est Protector Deus.* cap. 9. contra Pelag.

Accessu & recessu præmittendo Sacris Confessionibus, quibus

8. Sed quid sibi in fine subdita vitæ spiritualis *confortamenta?* Deus dictavit pro constantia in bono virtutis, & pietatis solidæ, ac Christianæ. Numerantur sanè animarum innumeræ, quæ ad tempus vivunt piissimæ, & consolatæ. At non rarò flebiliter deficiunt, aut liberiùs inter homines conversandô, aut instinctus Spiritûs Sancti ad opera mag-

Junguntur Confortamenta pro constantia in bono.

na negligendô, aut à principiis aſceticis notanter recedendô, aut ſtatuta proficiendi propoſita præſumptuoſiùs frangendô. O quæ exin non contrahentur remorſuum vulnera! Quanta & turbationum, ac inquietudinis ulcera! Confortandæ tamen ſunt hæ afflictæ animæ. Modum ut habeas, piè, & Benevole Lector! Præſentia excogitavi *confortamenta*, quæ ad amicam offero manum. Applica, ut cernis, præſcripta. Erunt (ſic ominor per Dei gratiam) remedia contra deſolationes animi, ſpiritúsque derelictiones potentiſſima. Probatum eſt.

Ecce! hæc ſumma laboris. Tu, quisquis noſtros luſtraveris conatus, æqui, bonîque conſule. Et ſi quid (Deo ita benedicente) fructûs, & utilitatis inde evenerit tibi, dicito mecum: *Non nobis, Domine! Non nobis; ſed Nomini tuo da gloriam.* Finio. Tu in Domino vale! Amici calamum admitte! utere! Superi Bene † dicant!

EXA-

EXAMEN MENSTRUUM
Pro
Curatoribus, & Zelatoribus Animarum.

Gratiarum Actio.

LOquar ad Dominum, & non silebo in æternum! Amabilissime Deus, & dulcis Pater meus! Ago gratias divinæ Majestati tuæ, in unione meritorum, & actionum Domini mei Jesu Christi pro omnibus beneficiis, quæ à primo confessionis meæ instanti ad hoc usque momentum sine meritis, imò cum demeritis meis contulisti. Millies tibi gratias dico, pro beneficio Creationis, Redemptionis, Conservationis, Fidei, vocationis ad statum S. Religionis, sacri sacerdotii, curæ animarum: Pro vita exemplari, & zelo ad convertendos peccatores multos: Pro tot sacris Communionibus, divinis instinctibus,

& innumerabilibus mediis, ad salutem, & perfectionem tam propriam, quam alienam promovendam liberaliter concessis: Pro tua longanimitate, & patientia in toleratis, & non punitîs tot peccatîs meîs: Pro præservatione mei à gravioribus malis culpæ, & pœnæ: Pro providâ mei electione, & segregatione à tot impiis te non amantibus, nec curantibus: Pro mirabili charitate, quâ me tam paternè hactenus in variis locis, vicis, & occupationibus per prospera, & adversa direxisti: Pro diversis tribulationibus, pro meis infamiis, opprobriis, accusationibus, aliísque humiliationibus: Pro felici negotiorum ex obedientia impositorum successu: Pro gratia, quam habui apud homines, eam nunquam quærens, vel desiderans: Pro vitæ prorogatione, & memoriæ, ac sanitatis conservatione: Pro potenti protectione inter mille corporis, & animæ pericula: specialiter tibi gratias ago, quòd hodie in sacro tribunali occasionem dederis opportunissimam, tuum honorem ampliandi, malos à via iniqui-

tatis

tatis revocandi, bonos ad sanctitatem, & justitiam exstimulandi : quòd & lumina suggesseris, quibûs & inferos confunderem, & ad æterna, ac divina duntaxat quærenda pœnitentes animarem. Denique millies tibi dico gratias pro singulis donis tam naturæ, quàm gratiæ, mihi ignotis, & à te concessis etiam nescienti, non petenti, non desideranti, sed iis tantummodò indigenti. Maximè pro benevolo divinæ dilectionis, & clementiæ erga me affectu, ex quo omnia munera charitatis tuæ divina in me indignissimum hactenus emanarunt, & emanabunt imposterum usque in horam mortis, & per ipsam æternitatem. Sit igitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Amen.

Petitio gratiæ.

UT aliqualiter satisfaciam benignitati tuæ, hanc mei examinis industriam tibi offero. Illumina intellectum, ut cognoscat, quid deceat zelosum Patrem animarum. Inflamma affectum, ut magna audeat pro Deo, & animarum lucro. Robora memoriam, ne vitâ mi-

nùs honestâ, nomen, & dignitatem sacerdotis unquam maculet, aut offendat. Fiat! Fiat! O Jesu! Ecce servus & filius ancillæ tuæ! Paratum cor meum! Jam loquere!

Discussio Cordis.

1. QUomodo accesseris ad S. Tribunal? An facie serenâ? Oculîs in terram defixîs? Gressu gravi? Virili? Humili? An armatus SS. Rosariô? Occultatîs manibûs?

2. An præmiseris coram Sanctissimo Altaris Sacramento, vel coram tuo Crucifixo *Accessum*, & rectam intentionem? An & expressam protestationem, non quærendi, nisi Dei honorem, peccatîs ablatum, & animas à dæmone raptas?

3. An in accessu recitaveris Psalmum: *Miserere*: In reditu verò *Te Deum Laudamus* cum suspirio: Domine Jesu! Auge nobis fidem, spem, charitatem cum finali gratia, & perseverantia?

4. An sub actuali confessionum exceptione quietus sederis? Soli pœnitenti intenderis? Illum nunquã aspexeris? Sub auditione sæpe ad Deum mentem elevaveris

veris cum dicto : *Domine! Propter te! & ab omni peccato emunda nos tuo pretioso sanguine.*

5. An magno spiritu, Christianâ mansuetudine, & invictâ patientiâ hoc Sacramentum administraveris? In nullo te præcipitaveris? In verba pœnitentis sinè urgente causa non involaveris? De impertinentibus non interrogaveris? An sexum alterum citò expediveris, & cum eo *reflexè generosiùs*, atque *virilìùs* egeris? Vox mollis non tribuit, sed aufert compunctionis spiritum.

6. An huic Sacramento assederis administrando, instructus debitâ scientiâ, hâncque excolendi causâ singulîs feriîs sextîs, aut diebus Mercurii vel conferentiam institueris? Vel casus in hoc foro extraordinarios tecum perpenderis? In eruditis auctoribus lustraveris? Et quî applices, consideraveris?

7. Quid circa obligationes auscultandi, examinandi, judicandi, legitimè absolvendi? Hîc vel modicè errare, est incurrere grande periculum.

8. An formam absolutionis, clarâ, distinctâ,

ſtinctâ, auctoritativâ voce protuleris, pœnitentem erectîs manibûs, & clausîs oculîs benedixeris, & in omni lenitate dimiſeris addens : *Eat in ſancta pace! Dei gratia maneat vobiſcum!*

9. Quid ratione ſigilli ſacramentalis? An omnes Confeſſiones ſtatim intra vulnera Jeſu abſconderis? Nec ſignô, nec verbô prodideris, vel narraveris, quàm graves habueris peccatores? Talia effari, eſt excitare judicia temeraria, nauſeam & contemptum Sacramentorum.

10. An in dubiîs conſcientiæ intricatîs aut cum viro docto, aut coram Sanctiſſimo Altaris Sacramento rem egeris tuam : Et quid agendum impoſterum, conſilium, & aſſiſtentiam ſupplicaveris?

11. An quotidie reflexum *Memento* pro tuis pœnitentibus ad aram feceris, ut confortentur in omni bono, & abſterreantur ab omni malo, præſertim à relapſu?

12. Quoties præter ſacramentales impoſueris etiam ſupererogatorias pœnitentias, quæ inſigniter proſunt tum ad diluenda præterita, tum præcavenda pec-

peccata futura? Vel ut filii ſpirituales ſponte rogitarent, quoties exſtimulaveris? O utinam ſinè his dimitteres nunquam!

13. Cum quali conſolatione, exhortatione, ædificatione &c. à te confitentes remiſeris? An & ad frequentiorem Confeſſionem languentes animaveris? Certam confitendi formam docueris?

14. Quænam media quotidie proficiendi magis coram Deo, & hominibus paternè ſuggeſſeris? Qualiter, & quoties *Confortamenta* huic opuſculo inſerta applicaveris? Et quô fervore? Aut animi promptitudine?

Contritio, & propoſitum.

DOmine Jeſu! O quantæ obligationes meæ! Verùm ô quàm magna & imbecillitas mea! Hinc ô quoties in his tam neceſſariis punctis defeci! Quotie meâ incuriâ occaſiones magna merendi neglexi! Te impatientiâ, puſillanimitate, ac triſtitiâ meâ offendi! Proximum aſperitate, & inhumanitate, nauſeâ, & tœdiô erga hoc Sacramentum affeci! O Paſtor animarum Clementiſſime! Sta-

tuo, quia te, & animas diligo! Statuo? ibo proximè alius ad tribunal ſacrum! Alius per humilitatem! Alius per patientiam, & fortitudinem Chriſtianam. Et ut ſeriò fiat, quod nunc firmiter propono, hodie pro omnibus meis admiſsîs ſive ignorantiîs, ſive erroribus, ſive negligentiîs recitabo Lytanias de omnibus Sanctis. Domine virtutum! Cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectori meo amorem tui Nominis, & alienæ ſalutis! Tribue fidei, & Religionis augmentum, ut quæ ſunt bona, nutrias: ac pietatis, fervorísque ſtudiô, quæ ſunt nutrita tam in me, quàm in meis pœnitentibus, clementer cuſtodias. Jam vivat Jeſus amor meus! & Maria Mater Ejus!

CON-

CONFORTAMENTA
Pro
Roborandis, & conservandis filiis spiritualibus in spiritu compunctionis, & sancti timoris.

I.

1. Certus Ordo vitæ

PErit, qui ordinatè non vivit. Eruditè hîc religiosissimus Segneri: Æternitatis felicitas è vitæ nostræ pendet sanctitate; sanctitas vitæ è moderata ad Regulas vivendi ratione, & ratio hunc in modum vivendi è quovis die probè, & regulariter transacto. O quanta igitur necessitas boni ordinis in vita! Sciat proin quilibet Director animarum, quomodo à manè usque ad tempus nocturnæ quietis se habeat filius Spiritualis

tualis erga Deum, proximum,& seipsum. Petatur ergo à subdito vitæ ordo, & quidem in scripto. Conscriptus extradatur, à Patre spirituali benedicatur, additâ D. Pauli tessera: *Bonum autem facientes non deficiamus: Tempore enim suo metemus non deficientes.* Jungatur & illa S. Augustini: *Si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponet remunerationi.* Sic benedictam ordinis schedam accipiat denuò Confessionum filius, & intra lectulum suspendat, ut vel ex hujus primo intuitu intelligat, quis, & qualis vivere debeat, memor illius: *Nolite deficere benefacientes.* 2. Thess. 2. Gratulor cuicunque Confessario, qui hoc applicaverit confortamentum. Habebit inde filios & Deo, & æternitati intentissimos.

2. Exercitium

II.

Sicut arte medicinæ calida fri-

frigidis, & frigida calidis curantur; ita spiritualis medicus contraria opponat medicamenta vitiis, & peccatis. Advertit igitur, quòd ira v. g. vel immodestia, aut linguæ effusio, vel invidia velint prædominari alicui animæ, quæ vitia varios minantur morbos, turbines, & suspiciones menti internæ. Quid tunc agendum? Citò arripiatur confortamentum secundum, & iracundis usque ad proximam confessionem aliquot in certo numero actus mansuetudinis (idem judicium sit de actibus oppositis immodestiæ, garrulitati &c.) imponantur, quos fideliter exercitos spiritualis filius in confessione proxima Venerabili Confessario exhibeat, & reipsa probet, quàm facilè quis seipsum possit vincere, & insigniter in omni virtute de die in diem crescere, si prompta non desit voluntas, & seria sui appli-

actuum vitiis oppositorum.

plicatio. Facienti, quantum est in se, Deus non denegat gratiam. Jacet virtus sine exercitio quotidiano. Ideò Gentium Doctor 1. ad Tim. 4. 7. *Exerce teipsum ad pietatem.* Subscripsit S. Ambrosius L. 1. de officiis. *Omnis res propriis, ac domesticis augetur exercitiis.* Quomodo sinè exercitio doctrina, aut sinè usu profectus? Faciant itaque sibi zeloſi Confessarii sacculos de pietate & victoriis filiorum, nullámque permittant transire Confessionem sinè determinatione unius vel alterius actûs heroici in subsequentem Confessionem peragendi. Heroica opera sunt semina, quæ vitam progerminant & hîc, & ibi jucundissimam, quia in conspectu Dei & Angelorum perpetuò Glorioſam.

III.

Accusatio

Cultus Dei, & Sanctorum am-

ampliatur & crescit spiritu compunctionis, humilitatis, suíque demissionis. Ita S. Bernardus adhortans piam animam ait: *Tu, qui in Congregatione es, bene vive, ordinabiliter, sociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo.* Imminent ergo solemnia aut Domini Dei, aut Cœlitum Reginæ, ac Magnæ Dominæ Mariæ, aut aliorum Sanctorum Festa, vigilet animarum Pater, ut filius cum speciali sui demissione in sacro tribunali compareat, & de omnibûs irreverentiîs, ingratitudinibus, causatîs tristitiîs, ac inobedientiîs erga Deum, Mariam, vel Sanctos admissîs genuinè sese accuset. Id quod & D. Chrysostomus exigit, atque desiderat, dum docet: *Accuset se quisque, & propitium habebit Judicem. Nam accusator sui ipsius justus est.* Orat. 5. Adverſ. Ju-

sui in Festis Sanctorum specialis.

Judam. Et ut aliqualiter satisfaciat, integram octavam pro devotione privata à Venerabili Confessario supplicet, quam transiget in actibus variis tum humilitatis, tum Religionis, tum charitatis, abstinentiæ, & recollectionis. Non perditur, quod Deo, Mariæ, Sanctísque impenditur. Infelix hora, ubi Sanctorum memoria nulla! Quid hîc mortis ultima lucta! Consolatores tunc erunt necessarii. Haud speremus inter Sanctos, si cum his non intima nobis fuerit in terris amicitia. Et ecce! Confortamentum tertium pro vita sancta, & morte securissima.

4. Annotatio reflexa totius diei.

IV.

Mercatores, opifices, antequam petant & eant cubitum, sese reflectere solent, quid lucri collegerint per diem. Si multum, statuunt adhuc majus in diem alterum. Quid jam agant ne-

negotiatores, & zelatores aliænæ salutis? Instent, suadeant, rogitent, ut nullus suorum filiorum pergat ad lectum, nisi in manuali quodam libello hunc in finem specialiter designato, succinctè annotaverit, quî successerit dies. Si feliciter, si cum multis gratiis, & sui victoriis, id exprimant litteris, *B.* & *D.* seu: *Benedictus Deus.* Si verò cum magnis tribulationibus, & afflictionibus, scribat *A.* & *C.* est idem, ac: *Amor meus Crucifixus est.* Quæ industria si fuerit quotidiana, noctem reddet pacificam, & diem sequentem meritis abundantiorem. Nam à victoriis non recedet, & in tribulationibus non succumbet; quia confortatus ad noctem.

V.

Sabbatha, & Profesta Confessionum sanctificantur puritate cordis, & solitudine mentis. Procurent ergo zelosissimi ani-

5. Silentium, & solitudo in profestis.

marum Curatores, ut in pervigi
liis tum silentio, tum solitudin
filii sint, & vivant addictissimi
Magna profectò sunt Sacramen-
ta, quorum fiunt participes
Sileamus, lateamus, & suscipien-
tur digniſſimè. Silentium enim
est Mater Cogitationum san-
ctarum, facitque hominem
quasi cœlestem, & Divinum
Audiatur B. Petrus Damian
ad Agnetem Imp. Epist. 130
scribens: „Dum strepitus hu-
„mani cessant alloquii, con-
„struitur in te per silentium
„templum Spiritûs sancti. Hinc
„est, quod de Israelitici templi
„constructione sacra testatur
„historia, quia malleus & secu-
„ris, & omne ferramentum
„non sunt audita in domo Do-
„mini, cùm ædificaretur. Tem-
„plum quippe Dei per silen-
„tium crescit, quia, cùm mens
„humana per exteriora se ver-
„ba non fundit, in sublime sa-
„sti-

„ſtigium ſpiritualis ædificii ſtru-
„ctura conſurgit; tantóque
„ſuccreſcens in altiora ſuſtolli-
„tur, quantò per ſilentii cuſto-
„diam circumcluſa ſeſe extrin-
„ſecùs fundere prohibetur:
„Cuſtos enim juſtitiæ eſt ſilen-
„tium. Et Jeremias: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini.* Jam vigilet Pater animarum, quomodo hoc quintum confortamentum (abjectô omni reſpectu humano) ſuis applicet filiis. Gratulabor, ſi ſemper,

VI.

6. Orationes, & ſuffragia mutua.

Pro invicem ſollicita ſunt membra, & ſi quid patitur membrum unum, compatiuntur membra cætera, ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia; vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Quod hîc Magnus Apoſtolus ad ſuos Corinthios, idem dicat Pater ſpiritualis ad

filios,

filios, quos ut in mutua ſervet charitate, conſtanti pietate, quotidiano magnæ perfectionis deſiderio, ac fervore; cuſtodiátque præveniendô ab omni calcaneo libertatis, aut diſſolutionis humanæ, clanculò ſtimulet, ut aut pro incipientibus quotidie quid certum (utut modicum) orent, aut pro egregiè proficientibus hoc vel illud opus peragant, aut pro ſolidiori ſanctitate juſtorum, hanc, vel illam Communionem Sacramentalem, & diem internæ recollectionis SSS. Trinitati offerant. O belliſſimã artem quâ Confeſſarius ſibi enutriet filios ſemper pios, ſemper exemplares in bono conſtantes, Deo, Mariæ, & Sanctis devotiſſimos. Hinc & ille cum Chriſto ſæpius ad cœlum ſuſpiret: *Pater Sancte! Serva eos in Nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.*

VII.

7. Urnula pro actibus heroicis.

Plurimi sunt animæ raptores, inimici, & prædones, qui ut eam spolient virtutum meritis, & â conceptîs vitæ perfectionis dejiciant propositîs, passiones hominis veterani afflictim excitant, appetitus, & concupiscentias irritant, mille tentationes (species immittendô turpissimas) provocant, in pusillanimitates, tristitias, & desolationes periculosè præcipitant. O quàm necessarium his afflictis paternæ consolationis confortamentum. Accipient, si Pater spiritualis providè curaverit, ut quilibet suorum clientum domi *Urnam* sibi præparaverit *asceticam*, eámque intra cubiculum absconderit hac praxi, ut, quotquot contra iram, tentationes, inordinatam tristitiam, aut mentis confusionem aliam reportaverit victorias, seipsum generosiùs triumphandô statim

in turbationis principiô, tot sibi conscribat schedulas per diem, vel ad noctem Urnæ injiciendas. O quantus inde non accrescet actuum heroicorum thesaurus! Qualis victoriarum sui cumulus. Et hâc sui victoriâ quid nobilius? *Si tibi imperas*, ait Indiarum Apostolus, *subditos habet nemo te plures. Monarcha orbis es effectus; si enim tibi imperas, quidquid extrà te est, rationis imperio subjectum, imò sub pedibus tenes captivum. Plura nec tu potes petere, nec ullus hac in vita dare.*

Schedulis tamen ejusmodi hæc vel similia inscribi poterunt verba: *Amor vincit omnia.* Vel: *Quis ut Deus?* Vel: *Vincenti dabitur manna.* Vel: *Jesu! tu scis, quòd amem te.* Ex hoc confortamento quanta sint eventura Confessario cordis, & animæ solatia, quis explicabit?

O vi-

O viri Venerabiles! date filiis! & gustabitis.

VIII.

8. Recollectio triduana per quatuor anni tempora.

Anima, quæ denique sentit experiendô, quàm suavis sit Dominus, quàm dulcis amor, quàm castus amplexus, & quàm mellifluum cum Christo connubium, sedulò meditatur æterna, internæ munditiæ incumbit continuò, sectatur innocentiæ candorem, quietæ invigilat conscientiæ, puritatem servat, fervorem nutrit, omníque peccato fortiter resistit, ut immaculatam in se Dei custodiat imaginem, & sanctè custoditam reddat illi, cujus est. Id ut Pater spiritualis ab illis impetret, quos sub sua fovet curâ, *triduanam* eis suadeat *mentis recollectionem* per quatuor anni tempora quater reassumendam. Est hoc consilium non meum, sed magni Proto-Patriarchæ S. Laurentii Justiniani affirmantis:

„Quisquis de spiritualibus inimicis victoriæ trophæum obtinere desiderat, hominum „consortia fugiat, tumultus declinet, & in locum secretiorem se conferat. Habitent „cum sæculo, qui se quærunt, „& diligunt! Renuntient, qui „soli adhærent Deo. Non est „tuta in publico humana conversatio, ubi plerumque materiæ exuberant peccatorum; „ubi elatio regnat, excruciat livor, rixæ, & contentiones „turbant, & socialis carnalium „colligatio animum effæminat. Hæc Venetorum Aquila. Majora pandet experientia.

IX.

9. Memoria localis per

Oculi Domini Dei speculantur in omni loco, & angulo bonos, & malos; bonos ut exaudiat, salvet, & præmietur: malos ut terreat, flagellet, & ulciscatur. Ut bonos quotidie aspiciat filios spirituales omnipotens

potens Deus, quid excogitet zelator animarum? Manifesto confortamentum, quô & antiqui Patres ſuum roborabant ſpiritum. Moneat, ut intra cubiculum ſuſpendant aut varias ad nutriendum devotionis affectum excultas Imagines, aut ſolidas aſceticæ veritatis teſſeras tum ex Sacra Scripturâ, tum ſanctis Patribus, vel ex motibus ac inſtinctibus Spiritûs Sancti formandos, ex quarum primo, & unico intuitu efficaciter excitentur ad ſui compunctionem, ad contemptum terrenorum, ad Dei, & cœleſtium amorem, præcipuè verò ad memoriam mortis, extremi judicii, interminabilísque æternitatis. Vis accomoda hujus doctrinæ exempla? Duo cape. S. Rodeſindus Conimbricenſium Paſtor, & Epiſcopus vigilantiſſimus, ne à ſemita unquam recederet cœptæ ſanctitatis, clypeum ſibi

Teſſeras & veritates aſceticas.

confici curavit, in quo insignium locò Crux conspiciebatur sanguinolenta. Ab hac pendebat speculum cum rotundo circulo, sub lemmate: *Hæc Regula vitæ.* Numa Pompilius ille Romanorum & fortitudine, ac prudentiâ potentissimus Rex, ut fastum vinceret cum superbia, in regia sua suspendi voluit speculum, quod non aurum, sed ossa circumdabant mortuorum aridâ cum epigraphe: *Numa! nosce te ipsum.* Placéntne veritates aliæ. Quasdam expono. Elige! *Pro Cubiculo: Hæc mea hæreditas: pauxillùm vivere, mori, putrescere.* Vel: *Teipsum inspice, & tecum habita, ut nôris, quàm sit tibi curta supellex.* Horatius. Vel: tria me sanctificant: *Fuge, tace, quiesce. Pro publico: Crucifixus, Rosarium, & Dei mandata, sunt mea tria perfectissima.* Vel: *Spernere mundum, spernere nullum,*

lum, ſpernere ſeſe, ſpernere ſe ſperni, quatuor iſta beant. Vel: *Nemini placere cupio, nemini diſplicere timeo, peccatum fugio, & ſolum Deum quæro, & diligo.* Ita S. Thomas Aq.

Venerandi Patres! O quale hoc confortamentum! profectò quiscunque veſtrorum ad Confeſſiones filiorum hac utetur induſtriâ, vivet in pace perpetua cum Deo, proximô & ſeipsô, quâ pace in univerſo nil delectabilius. Nam fluctus malarum cogitationum ſuffocat, mentem fluctuantem illæſam conſervat, conſcientiam emundat, & ſanctificat. O Pax! præ dulcedine exclamat piiſſimus aſceta David: Tu Patriarcharum vinculum! Tu Prophetarum vehiculum! Tu Apoſtolorum refugium! Tu martyrum Solatium! Tu Confeſſorum Balteus! Tu Virginum

tripudium! & Sanctorum omnium consummatum gaudium! Hæc delectant? Ad opus ergo!

X.

Manifestatio menstrua candida, & fidelis.

Confortamentum, quod hîc pono ultimùm, est omnium fortissimum, & profectui animarum unicè necessarium. Vocamus *manifestationem menstruam*, per quam à filio spirituali singulîs mensibus (vel si videatur consultiùs) singulîs quatuor anni temporibûs exigitur ratio in scripto danda super statu vitæ hactenus transactæ. Quâ manifestatione contemptâ, vel negligenter omissâ, grande patiuntur in virtutibus, & in via Domini dispendium animæ, utut cæteroquin abundanter consolatæ. Nam ineptîs cogitationibûs prævenitæ, pluribus tribulationibûs, ærumnîs, ac pressuris consternatæ nesciunt, juvare seipsas, & qui juvare vellent, ac possent,

eos

eos contemnunt, sicque omnia intra se contegunt, ruminant, & digerunt eâ infelicitate, ac miseriâ, ut cum Jobo ingemiscere debeant fatentes: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum: Noctem mihi vertunt in diem*, somnum impediunt, per diem conscientiam lancinant, & in mille pusillanimitatis, & desperationis præcipitia se sponte agunt. & meritò.

Incidit in casses, moniti contemptor amici,
Prædáque Ditis iners, qui sibi fidit, erit.

His ò quàm necessaria ductoris medici manus, & assistentia! Quæratur sese candidè manifestando: & nox vertetur in diem. Aufugiet confusus dæmon, quia subversum est astutiæ templum. Ecce! Quid magni Benedicti zelosus filius Gerardus Nomine? Tunc fru-

„ſtra (diſcurrit vir Dei) adhi-
„bentur doli, quando ipſi doli
„ſunt, aut fiunt proditi; ne-
„que unquam meliùs evertitur
„omnis ratio oppugnandi; eo-
„ipſo jam vincitur ille ſtygius
„Archiſtrategus, quando cu-
„niculi ejus, & inſidiæ occul-
„tæ ſacris produntur ducibus.
„Et ſanè neque dolo, neque vi
„quidquam in eum proficit or-
„cinus hoſtis, quando ſe duci
„à ſuo duce ſpirituali religioſus
„(vel pœnitens) tanquam Chri-
ſti miles permiſerit. Et ò ſtul-
tum, temerarium, qui ſolus
cum tanto inimico confligere
præſumpſerit! ſit jam ſollicitus
Pater ſpiritualis, ne animam
ſibi commiſſam negligat, &
quam adverterit, præ aliis præ-
ſenti indigere pharmaco con-
fortativo, non moretur, ſed
quantocyus, infirmam ad
colloquium invitet, & ut circa
annexa viginti ſalutis puncta
intra

intra octo dies plenè & fideliter se explicet, atque intima sua filialiter manifestet, non modo suadeat, hortetur, & supplicet, sed & ex potestate desursum sibi traditâ jubeat. Non est laboris, quod operatur pondus glorioſæ æternitatis.

Sequuntur Viginti puncta conſcientiæ, quibus ſpirituales filii ſe candidè & fideliter manifeſtent Confeſſariis, & Patribus animarum.

1.

QUōmodo ſe habeat in ſtatu vocationis? An vivat contentus, & conſolatus ſecundùm corpus & animam?

2.

An ferveat, quotidianum augere profectum, & tendere ſtrenuè ad perfectionem, ſive Chriſtianam, ſive religioſam?

3.

Quæ fidelitas circa lumina

spiritûs sancti? Dictamina prudentiæ? Sacra proposita? An non positivè resistat?

4.

Qualis horror erga peccata, etiam minima? quis contemptus infelicis sæculi? quale desiderium erga cœlestia?

5.

An certus servetur vivendi ordo à manè usque ad noctis tempus? An liber à turpi otio? somno pomeridiano?

6.

Quibûs tentationibûs potissimùm infestetur? & quænam adhibeat media, ne succumbat?

7.

Utrum æstimet Romanam Ecclesiam? Sacra Evangelia? Verbum Dei? Traditiones Apostolicas? Religiones Sacras?

8.

Quas propensiones malas, & incli-

inclinationes sentiat depravatas? Et erga quæ vitia specialiter?

9.

An nullus stimulus ad mortificationes, & sui abnegationes, ad abstinentias, sacros rigores, & vigilias?

10.

Quos fructus reportet ex S. Confessione, & Sacramentali Communione?

11.

An addictus visitationi templorum? exercitio orationum? Custodiæ sensuum? Præsertim linguæ, & oculorum?

12.

Quid circa meditationes, lectiones spirituales? Examina nocturna? An nulla sinè his transeat Dies?

13.

An devotus in divinis, ad Missæ sacrificium &c. rejectô

omni tœdiô, ſomnô, diſtractione, & evagatione?

14.

Quales conſolationes, & illuſtrationes veniant? Et quomodo ſe habeat tempore aridi-tatis, & derelictionis internæ?

15.

Quæ quies in conſcientia? An nullas patiatur perplexitates, ſcrupulos, aut animi preſſuras, & anxietates?

16.

Sacramentales pœnitentias, vel alias correctiones utrum bonô, æquali, & promptô ſuſcipiat animô, citò exequens, quod impoſuit, vel conſuluit ſpiritualis medicus?

17.

Refectione, recreatione, hominum converſatione quomodo utatur? Aut cum detrimento, vel proventu animæ? Quid hîc recta Intentio? Quid prudens

dens in loquendo circumspectio? Quid Dei oculus?

18.

Quæ memoria novissimorum? Mortis? Judicii? Perpetuæ æternitatis? An non ad noctem saltem veniant in mentem pro excitando compunctionis spiritu? Quid si unum per septimanam sibi determinaret mortis diem? O determinationem, quæ reddet mortem uti tutam, ita & suavissimam!

19.

Qualis Amor erga Mariam? Sumus in hujus Archifraternitatibus de SS. Scapulari, Rosario, Immaculata Conceptione, vel septem Doloribus. Recitatúrne quotidie S. Rosarium cum osculo & sacri Scapularis? Et quid circa Cursum Marianum? An nulla hujus notitia? vel ardens quotidie recitandi devotio? Ah! quid unus, vel alter quadrans respectu beneficiorum, quæ omni

omni momento accipimus de manu Mariæ? O quanta in quotidiano Cursûs penso latent privilegia? Et recusabimus?

20.

Potéstne amore Jesu statuere, ut *erga Deum* velit semper vivere ut sponsa erga sponsum fidelissima, & in amando ipsi soli constantissima? *Erga seipsum* tanquam Rex erga suos subditos ab omnibus sui corporis sensibus, membris, passionibus, & animæ potentiis strictam exacturus subjectionem, & obedientiam? *Erga Patres spirituales*, vel alios superiores ut innocens infans erga suam Matrem absque discussione, omnes eorum dispositiones velut lac rationabile recipiens. *Erga quoscunque proximos* uti sollicita apis erga flores, nullum ex illis lædens, sed sapienti mellificatione ex singulorum conversatione sibi mella magni profectus,

fectûs, & sanctitatis colligens. *Erga mundum* sicut cadaver mortuum, aut vilis truncus nihil de mundanis rumoribus cogitans, totus in eo, ut Dei Nomen, & honorem augeat, proximum verbô, & exemplô ædificet, seipsum quotidie in multis, & magnis vincat, & triumphet.

Patres zelosissimi! quæ ex hisce manifestationibus tum animarum, tum meritorum vobis messis? Ego non explico. interrogate duntaxat Religiones sacras! Et monstrabunt abundantissimam. Hanc & vobis multiplicent clementes Superi! Vos interim indefessi pergite! Constantes in vinea Domini laborate!

Pax vobis!

ORA-

Præparatio

ORATIO
Patrum ſpiritualium
Pro
Impetrando ſpiritu ſapientiæ, & prudentiæ in regimine animarum.

DEus Patrum meorum, & Domine multæ miſericordiæ, qui feciſti omnia verbô tuô, & infinitâ ſapientiâ conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ ad imaginem tui à te facta eſt; tu elegiſti me ducem, & Paſtorem huic gregi tuo, parvo quidem, ſed electo. Et ecce! ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus ſum, & exigui temporis, minórque ad intellectum judicii, & legum. Tecum verò eſt ſapientia tua, quæ novit opera tua; & adfuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & ſciebat, quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis

ceptis tuis. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam! Et noli me reprobare à ſervis tuis; quoniam & ego ſervus ſum, & opus manuum tuarum omnes nos. Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret; ut ſciam, quid acceptum ſit apud te, & deducat me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiat me in tua potentia, ut ſint placita opera mea, & diſponam hunc populum tuum juſtè, prudenter, & ſanctè. Senſum enim tuum nemo ſcit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de Altiſſimis, & ſic corrigantur ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines, Nam cogitationes mortalium timidæ, & incertæ ſunt providentiæ noſtræ. Domine! tu ſcis: an hos ſpirituales filios Regni dilectionis tuæ prædeſtinaveris

à prin-

à principio. Si cui sunt, ego pro eis rogo, sanctifica, & salva eos in Nomine sancto tuo. Crescant in laboribus meis; fœcundentur autem, & fructificent in benedictionibus tuis. Sit, & fiat in eis voluntas tua, & exerceantur cum gaudio in justificationibus tuis; quoniam gloria virtutis eorum tu es; & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Utere autem Deus meus! Operâ meâ, & voluntatem tuam perfice in conatibus meis. Fac me virum dexteræ tuæ! & custodi me, ne deficiam aliquando inobedientia mea. Tu interim age, ut ex his, quos dedisti mihi, non perdam quemquam. Ah! Domine Jesu! per illa quinque SS. vulnera, quæ amor nostrûm tibi inflixit in Cruce, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Amen.

Acces-

Accessus Sacerdotalis
Ad
Condignè excipiendas fidelium Confessiones.

Antiphona.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Psalmus 42.

JUdica me Deus. & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti? Et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum: & in Tabernacula tua.

Et

Et introibo ad altare Dei: ad Deum' qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea? Et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 133.

BEnedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: Audiant manſueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum: & exultemus nomen ejus in idipſum.

Exquiſivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini: Et facies veſtræ non confundentur.

Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.

Im-

Immittet Angelus Domini in circuitu Timentium eum: & eripiet eos.

Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus: beatus vir, qui ſperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: Timorem Domini docebo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.

Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini ſuper facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxtâ

Juxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : & qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum : & non delinquent omnes, qui sperant in eo, Gloria Patri &c.

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent Gentes : quoniam judicas populos in æquitate : & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Bene-

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus : & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio &c.

Pſalmus 69.

DEus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur : qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi : Euge! Euge!

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper : magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus ſum, & pauper, Deus adjuva me.

Adjutor meus, & Liberator meus es tu, Domine ne moréris.

Gloria Patri &c.

Repetitur Antiphona.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Convertere Domine usquequò.
℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et sancti tui exultent.
℣. Exurge Christe! Adjuva nos.
℟. Et libera nos propter Nomen tuum.
℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.
℟. Et tui amoris in eis ignem accende.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

MEntes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra, ut videre

dere possimus, quæ agenda sunt: & quæ recta sunt, agere valeamus. Misericors, Omnipotens Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente, & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberîs mentibûs exequamur.

Clementissime Jesu! hoc denique sacrum pœnitentiæ Sacramentum administrare volumus in amore illo superexcellenti, quô illud sanctificasti, cùm præ vehementissimo salutis nostræ desiderio illud instituisti, & ab Apostolis, eorúmque successoribus administrari voluisti, ad laudem Dei Patris, & salutem totius generis humani: rogantes, ut in unione amoris tui tam nobis, quàm omnibus, & singulis, quibus illud ministrabimus, cedat in augmentum salutis, & beatitudinis æternæ. Spiritûs Sancti gratia ita illuminet, accendat, & conservet sensus nostros, & corda nostra, ut juxta tuum summum beneplacitum injunctum ministerium perficere, & ab omni tentationum incursu præmuniri, & præservari mereamur. In No-

mine † Patris, & † Filii, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Nos cum Prole Pia, Bene†dicat dulcis Virgo Maria.

IN actuali exitu ad S. Tribunal recitetur vel *hymnus de S. Spiritu:* Vel Rythmus: *Anima Christi, sanctifica me.* Dum surgitur ex Confessionali, sit statim in ore *Te Deum Laudamus.*

Recessus Sacerdotalis
post
Administratum S. Pœnitentiæ Sacramentum.

Antiphona.

MAgnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem meam.

Psalmus 117.

CONfitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: Quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes: & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem: & Dominus suscepit me.

mine † Patris, & † Filii, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Nos cum Prole Pia, Bene†dicat dulcis Virgo Maria.

IN actuali exitu ad S. Tribunal recitetur vel *hymnus de S. Spiritu:* Vel Rythmus: *Anima Christi, sanctifica me.* Dum surgitur ex Confessionali, sit statim in ore *Te Deum Laudamus.*

Recessus Sacerdotalis
post
Administratum S. Pœnitentiæ Sacramentum.

Antiphona.

MAgnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem meam.

Psalmus 117.

CONfitemini Domino, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: Quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes: & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum, ut caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis : in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem: Dextera Domini exaltavit me: Dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ: Ingressus in eas confitebor Domino: Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: Exultemus & lætemur in ea.

O Domine salvum me fac: O Domine benè prosperare: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Bene-

Benedíximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

Constitute diem solemnem in condensis, usque ad cornu Altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri, & Filio &c.

Psalmus 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem : & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

Gloria Patri &c.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c.

Repetitur Antiphona.

MAgnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem meam.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater Noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Con-

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis,
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam Nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: ut, quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse; Da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut desideria de tua inspiratione concepta, nullâ possint tentatione mutari.

Domine Jesu Christe! Fili Dei vivi, suscipe hoc obsequii nostri ministerium in amore illô superdignissimô, quô Beatissi-

tissimam Mariam Magdalenam, omnésque ad te confugientes peccatores absolvisti. Et quidquid in sacramenti hujus administratione negligenter, minúsque dignè peregimus, tu per te supplere, & satisfacere digneris. Omnes & singulos, qui nobis hodie, vel unquam confessi sunt, commendamus dulcissimo cordi tuo, rogantes, ut eosdem potenter custodias, suaviter dirigas, & à recidivâ paternè præserves, atque post hujus vitæ miseriam tecum ad gaudia perducas æterna. Id supplicamus te pro nobis, pro omnibus pœnitentibus, & filiis spiritualibus per lacrymas, sudorem, & sanguinem tuum. Benedic igitur nobis cum Patre, & Sancto Spiritu, uberémque largire gratiam amplectendi semper, & in omnibus, ac ubique, nunc & in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem.

Amen.

TA-

TABULA DOMINICARUM, ET FESTORUM,

Quæ in Consolatore continentur.

DOMINICÆ ADVENTUALES.

Dominica Prima - - - fol. 1
Dominica Secunda - - - 4
Dominica Tertia - - - 7
Dominica Quarta - - - 9
Dominica infrà Octavam Nativitatis Dominicæ 11
Dominica, quæ & Vigilia S. S. Epiphaniæ 14

DOMINICÆ POST EPIPHANIAM.

Dominica prima - - 16
- - secunda - - 18

Dominica tertia - - 20
- - quarta - - 22
- - quinta - - 24
- - ſexta - - 26
- - Septuageſimæ - - 28
- - Sexageſimæ - - 30
- - Quinquageſimæ - - 33
Dies Cinerum - - 35

DOMINICÆ QUADRAGESIMALES.

Dominica Prima - - 37
- - ſecunda - - 39
- - tertia - - 41
- - quarta - - 43
- - quinta - - 45
- - ſexta, ſeu Palmarum - 47
Cœna Domini - - - 50
Dies S. Paraſceves - - 52
Sabbatum ſanctum - - 54

DOMINICÆ PASCHALES.

Dominica glorioſæ Reſurrectionis D. N. J. C. 56
Feria ſecunda Paſchalis - - 59
Feria tertia Paſchalis - - 61
Dominica in Albis - - 63

Dominica ſecunda - - 65
Dominica tertia - - 67
Dominica quarta - - 70
Dominica quinta - - 72
Dies Rogationum - - 74
Feſtum Aſcenſionis Dominicæ - 77
Dominica infra Octavam Aſcenſionis Dominicæ - - - 79

DOMINICÆ PENTECOSTALES.

Dominica S. Pentecoſtes - - 82
Feria ſecunda poſt S. Pentecoſten - 84
Feria tertia poſt S. Pentecoſten - 86
Feſtum SS. Trinitatis - - 89
Feſtum pretioſi Corporis D. N. J. C. - 91
Dominica infra Octavam Corporis Chriſti, ſeu Dominica ſecunda poſt Pentecoſten 94
Dominica tertia - - 96
Dominica quarta - - - 99
- - quinta - - - 102
- - ſexta - - - 105
- - ſeptima - - 107
- - octava - - 111
- - nona - - 114
- - decima - - 117
- - undecima - - 120
- - duodecima - - 123
- - decima tertia - - 125

Dominica decima quarta - - 128
- - decima quinta - - 131
- - decima ſexta - - 133
- - decima ſeptima - 136
- - decima octava - - 139
- - decima nona - - 142
- - vigeſima - - 145
- - vigeſima prima - - 148
- - vigeſima ſecunda - - 151
- - vigeſima tertia - - 154
- - vigeſima quarta - - 157

TABULA FESTORUM.

JANUARIUS.

Die
1. Circumciſio D. N. J. C. - 161
S. Odilo Abbas - - 163
5. S. Eduardus Angliæ Rex - 166
6. Epiphania Domini - - 169
7. S. Raymundus de Pennafort - 171
8. S. Laurentius Juſtinianus - 173
10. S. Gondiſalvus - - 176
15. S. Maurus Galliæ Apoſtolus - 178
S. Paulus Eremitarum Patriarcha 181
17. S. Antonius primus inter Eremitas Abbas 183

Die
20. S. Sebastianus Martyr - 186
21. S. Agnes Virgo, & Martyr - 188
S. Meinradus Martyr - 191
22. Desponsatio B. V. Mariæ - 194
23. S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus - - 196
25. Conversio S. Pauli - - 199
27. S. Joannes Chrysostomus Ecclesiæ Doctor - - 201
29. S. Franciscus Salesius - - 204
31. S. Petrus Nolascus - - 206

FEBRUARIUS.

Die
1. S. Ignatius Antiochenus Episcopus 209
2. Purificatio B. V. MARIÆ - 211
3. S. Blasius Episcopus, & Martyr - 214
4. S. Andreas Corsinus Episcopus - 216
5. S. Agatha Virgo, & Martyr 218
6. Festum dulcissimi Nominis Jesu 221
7. S. Romualdus - - 223
8. S. Joannes de Matha - 226
9. S. Apollonia Virgo, & Martyr 228
10. S. Scholastica Virgo - 230
22. Cathedra S. Petri Antiochensis - 233
24. S. Mathias Apostolus - 235
25. S. Walpurga Virgo, & Abbatissa 238
27. S. Leander Episcopus, & Doctor 240

MAR-

MARTIUS.

Die
3. S. Chunegundis Auguſta, Virgo 242
4. S. Caſimirus Rex Poloniæ - 245
6. S. Coleta Virgo - - 247
7. S. Thomas Aquin - - 249
8. S. Veremundus Abbas - 252
S. Joannes de Deo Confeſſor 254
9. S. Franciſca Romana - 257
12. S. Gregorius Magnus, Eccleſiæ Doctor - - 259
S. Iſidorus Agricola - 262
17. S. Gertrudis Abbatiſſa - 264
18. S. Gabriel Archangelus - 267
19. S. Joſephus Nutritius Salvatoris 269
20. S. Joachimus Pater Dei Genitricis 272
21. S. P. N. Benedictus, Patriarcha 274
22. S. Catharina Birgittæ Filia - 277
25. Annuntiatio B. V. MARIÆ 279
27. S. Rupertus, Epiſcopus Bavariæ Apoſtolus - - 282
Circa medium Martii Transfixio Doloroſæ Matris Mariæ - - 284

APRILIS.

Die
2. S. Franciſcus de Paula - 287
4. S. Iſidorus Epiſcopus, & Doctor 289
5. S. Vincentius Ferrerius Confeſſor 292
7. Hermannus Joſephus - - 294

Die
8. S. Wicterpus Episcopus, & Doctor 297
13. S. Ida Lovanienſis - - 299
14. S. Ludvina Virgo - - 301
21. S. Anſelmus Episcopus, & Doctor 304
23. S. Gregorius Martyr - 306
25. S. Marcus Evangeliſta - 309
29. S. Petrus Martyr - - 311
30. S. Catharina Senenſis Abbatiſſa 314
Feria 4. poſt Octavam Paſchæ S. Lanceæ, & Clavorum D. N. J. C. - 316
Dominica 3. poſt Paſcha S. Raphaël Archangelus - - 319

MAJUS.

Die
1. SS. Philippus, & Jacobus Apoſtoli 322
2. S. Antonius Archiepiſcopus - 324
3. Inventio S. Crucis D. N. J. C. 327
4. S. Monica Mater S. Auguſtini 329
5. S. Pius V. Pontifex Maximus 332
S. Angelus Martyr - - 335
6. S. Joannes ante portam Latinam 337
7. S. Stanislaus Thavmaturgus 340
8. Apparitio S. Michaëlis - 343
9. S. Gregorius Nazianzenus Episcopus, & Doctor - - 345
16. S. Simon Stock - 350
S. Joannes Nepomucenus Martyr 347
17. S. Paſchalis Baylon - 352
18. S. Felix Confeſſor - 355

Die
19. S. Petrus Cœleſtinus Papa - 357
20. S. Bernardinus Senenſis - 359
25. S. Maria Magdalena de Pazzis - 361
26. S. Philippus Nerius - 364
27. S. Beda Ven. Doctor - 366

JUNIUS.

Die
1. Feſtum amantiſſimi Cordis D. N. J. C. 369
2. Feſtum dulciſſimi Cordis MARIÆ 372
S. Eraſmus Martyr - 375
S. Norbertus Epiſcopus - 377
13. S. Antonius de Padua - 379
15. S. Vitus Martyr - - 382
16. S. Benno Epiſcopus - - 384
21. B. Aloyſius Gonzaga S. J. - 387
24. S. Joannes Baptiſta - 389
26. SS. Joannes, & Paulus Martyres 391
29. SS. Petrus, & Paulus Apoſtoli 394

JULIUS.

Die
2. Viſitatio B. V. MARIÆ - 396
4. S. Udalricus Epiſcopus - 399
7. S. Wilibaldus Epiſcopus - 402
8. S. Chilianus Epiſcopus, & Martyr 404
11. Commemoratio S. P. N. Benedicti 407
14. S. Bonaventura Epiſcopus, & Doctor 410
15. S. Henricus Imperator - 414
16. Commemoratio B. V. Mariæ de monte Carmelo - - 417

Die
20. S. Margareta Virgo, & Martyr 419
22. S. Maria Magdalena - 422
25. S. Jacobus Apoſtolus - 425
26. S. Mater Anna - - 428
31. S. Ignatius Loyola - 431

AUGUSTUS.

Die 1. Feſtum S. Petri ad Vincula 433
2. B. V. MARIÆ Portiuncula 436
3. Inventio S. Stephani Protomartyris 437
4. S. P. Dominicus - 443
5. B. V. MARIA ad Nives - 446
Dominica proxima poſt Feſtum B. V. M. ad Nives Titulare Ven. Imaginis B. V. Mariæ ſine Labe conceptæ Weſſofontanæ - - 449
6. Transfiguratio D. N. J. C. 452
7. S. Cajetanus - 456
S. Afra Martyr - 459
S. Albertus Ordinis Carmelitarum 463
10. S. Laurentius Martyr, & Levita 466
12. S. Clara - - 469
14. B. Stanislaus Koſtka S. J. 473
15. Aſſumptio B. V. MARIÆ 476
16. S. Rochus - - 479
S. Hyacinthus Ord. S. Dominic. 482
17. S. Clara de monte Falco. 485
20. S. Bernardus Mellifluus 489
21. S. Bernardus Ptolomæus 492
23. S. Philippus Bennitius - 495

Die

Die 24. S. Bartholomæus Apoſtolus 498
25. S. Ludovicus Rex - 501
28. S. P. Auguſtinus Epiſc. & Eccleſiæ Doctor - 505
29. Decollatio S. Joannis Baptiſtæ 507
30. S. Roſa Limana - 510
31. S. Raymundus Nonnatus 513

SEPTEMBER.

Dominica 1. Septembris Feſtum SSS. Angelorum Cuſtodum. 517
Die 2. S. Stephanus Hungariæ Rex - 520
4. S. Roſalia Virgo - - 523
6. S. Magnus Abbas - 528
8. Nativitas B. V. MARIÆ - 531
10. S. Nicolaus Tolentinus - 534
Dominica infra octavam Nativitatis B. V. M. mellifluum Nomen MARIÆ 537
14. Exaltatio S. Crucis - 540
17. Impreſſio Sacrorum Stigmatum - 543
18. S. Thomas à Villa nova - 546
21. S. Mathæus Apoſtolus - 550
27. S. Coſmas & Damianus Martyres 553
29. Dedicatio S. Michaëlis Archangeli 556
30. S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor 559

OCTOBER.

Dominica 1. Octobris Feſtum SSS. Mariani Roſarii - - 562
4. S. Franciſcus Seraphicus - 565
5. S. Placidus cum ſociis Martyr 569

Die

Die 6. S. Brunno - - 572
10. S. Franciscus Porgias. S. J. - 575
15. S. Theresia - - 578
16. S. Gallus Abbas - 582
18. S. Lucas Evangelista - 584
19. S. Petrus de Alcantara - 587
21. S. Ursula, & sociæ ejus - 590
28. S. S. Simon, & Judas Apostoli 594
29. S. Narcissus Episcopus & Martyr 597
30. Commemoratio SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum S. Reliquiæ asservantur in Ecclesiis - 600
31. S. Wolfgangus Episcopus 603

NOVEMBER.

Die 1. Festum omnium Sanctorum 606
2. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum - 609
4. S. Carolus Borromæus - 613
6. S Leonardus confessor - 616
11. S. Martinus Episcopus - 619
Dominica 3. Novembris Patrocinium B. V. MARIÆ - 622
12. S. Æmilianus Abbas - 625
13. Festum omnium Sanctorum ex ordine S. P. Benedicti - 628
B. Stanislaus Kostka S. J. - 631
15. S. Leopoldus Austriæ Dux - 634
16. S. Edmundus Episcopus - 637
17. S. Gertrudis Abbatissa - 640
19. S. Mechtildis Virgo - 643

Die

20. S. Corbinianus Episcopus Frisingensis Primus - - 646
S. Felix de Valois - 649
21. Præsentatio B. V. MARIÆ - 652
S. Elisabetha Regina - 655
22. S. Cæcilia Virgo, & Martyr 658
25. S. Catharina Virgo, & Martyr 660
26. S. Sylvester Abbas - 663
27. S. Virgilius Episcopus - 666
30. S. Andreas Apostolus - 669
B. Joscio Ord. S. P. Bened. 672

DECEMBER.

Die 3. S. Franciscus Xaverius - - - 675
4. S. Barbara Virgo, & Martyr 678
6. S. Nicolaus Episcopus - - 681
S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor 684
8. Conceptio B. V. MARIÆ 607
13. S. Lucia Virgo, & Martyr 690
18. Exspectatio B. V. MARIÆ - 693
20. S. Dominicus à Silos - - - 696
21. S. Thomas Apostolus - - 699
24. Vigilia Nativitatis D. N. J. C. - 702
25. Nativitas D. N. J. C. - 705
26. S. Stephanus Protomartyr - - 709
27. S. Joannes Evangelista - - - 711
28. S. S. Innocentes, Primi Martyres 714
29. S. Thomas Episcopus & Marryr 716
31. S. Sylvester Papa - 718

Ut in omnibus glorificetur DEUS,
& in Deo Sanctissimus Patriarcha
BENEDICTUS. EX-

EXHORTATI. UNCULÆ CONSOLATORIÆ

In

ſingulas totius anni *Dominicas.*

Dominica I. Adventus.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! alloquor vos verbîs Chriſti: *Scitote, quoniam propè eſt regnum Dei.* Terrent & onerant corpus, aut animam mundi mala? Sursùm corda! Jeſus ad æterna invitat gaudia. Recreatio horaria exhilarat animos: quid non poterit vitæ ſuavitas perpetua? Et en! jam imminet: *Scitote; quoniam prope eſt.*

Instructio meritoria.

Non ita nos effundamus in corporis solatia, ut obliviscamur æterna. In recreationibus ne deficiamus, examen diligens præmittamus, intentionem accuratam præfigamus, certos actus modestiæ, & temperantiæ statuamus, & solatiô finitô psalmum recitemus: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.*

II.

O tremor! iterùm sistimus coram Judice, qui *veniet cum magna potestate, & Majestate*, coram qua jam nullus ampliùs locus misericordiæ pro peccatoribus: Ita D. Bonaventura: *Tanta erit tunc Judicis severitas, & inflexibilitas, quòd, si B. Virgo & omnes Angeli, & Sancti, & Sanctæ flecterent genua, & cum lacrymis orarent pro aliquo, qui esset in peccato mortali, Judex non exaudiret eum.* O peccatum! Túne dominari Christiano? Religioso?

Instructio meritoria.

Unum tunc adhuc supereſt in tremendo

do Judicio anxiæ animæ solatium. Quod illud? Salvianus demonstrat dicens: *Nullum tunc erit animæ solatium, nisi sola conscientia bona, nisi innocens vita, nisi pœnitentia fructuosa.* Fili! hanc ut in vitam secum portet alteram, recordetur animarum in purgatorio, & per octo dies persolvat pro earum redemptione *Vesperas ex officio defunctorum.* Date, & dabitur vobis.

III.

CHristum avidè expectamus, mi fili! benè, videbimus, quia *propè est.* Ne terreamur hujus adventu, in timore hoc sacro Adventûs tempore ambulemus. Ait enim Salomon: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Ergo time, & ambula operando bonum.

Instructio meritoria.

Tempus acceptabile adest. Utamur strenuè. Nugarum satis est. Seria cogitemus. Manè excitatus statim salutet Incarnatum Verbum hoc suspiriô: *Centies millies laudetur SS. Incarnationis Domini-*

minicæ Mysterium. Ad omnes salutationes angelicas flectat quàm devotissimè, corpore, & animô quietus. Nec dies sit, qui vobis transeat sine unius, vel alterius mortificationis opere. Nulla dies sine linea.

Dominica II. Adventûs.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! Deus mittit angelum suum S. Joannem, ut retrahat impios à via impietatis: Bonos verò ad omnem erudiat justitiam, & sanctitatem. Improbi, quos inter & Herodes, non admittunt monentem. O infelicem! nam *omnis anima, quæ admonitionem respuit, incurabilis est.* S. Greg. Naz.

Instructio meritoria.

Bonus admoneri gaudet, ait Seneca, *pessimus quisque correptionem patitur asperrimè.* Bonus ut sit, mi fili! ad obviam correctionem, vel superioris admonitionem inclinatô capite aliud non respondeamus, quàm: *Fiat, ut Deus vult, & optat superior;* Murmurationem verò,

verò, & internam impatientiam, ut providè evellamus, manè, meridie, & veſpere procidentes in terram, eandem humiliter exoſculemur dicentes: *Domine! auge correctiones: Sed & auge cum humilitate patientiam.*

II.

CUjus ita obliviſcitur humana fragilitas, quàm benefactorum? malefacta marmori, beneficia inſcribimus mari & aquis. Alius eſt Divinæ Benevolentiæ ſtylus. Vix S. Joannes confeſſus eſt Chriſtum, & hic plenîs velîs excurrit in laudes Joannis: *Cœpit enim Jeſus dicere ad turbas de Joanne*, eúmque plùs, quàm Propheram deprædicat. Grati ſimus; & vivemus in ore omnium.

Inſtructio meritoria.

Minima qui ſpernit, paulatim decidet. Fili! hæc fortè commiſimus? non tegamus, ſed & ad S. Tribunal pro fideli confeſſione deportemus, & idcircò nos quàm humillimè accuſemus, ſatisfacturi quoque incuriæ noſtræ unum

ex *Psalmis pœnitentialibus* coram SS. Venerabili quotidiè persolvamus. Fiet, ut curâ minimorum, beneficia promereamur majora.

III.

QUid ô fili! Christus, ne in eo scandalizemur, hortatur, & monet: omnia, quæ fecit, bona, & sancta sunt. Unde igitur occasio scandali? quia *alium* expectamus. Non placet Christi humilitas, nec paupertas, nec Christiana fortitudo ac patientia. Non ita, non ita vobiscum, dilecte fili!

Instructio meritoria.

Beatus, qui in Christo non fuerit scandalizatus! beatus, qui in Christi humilitate, patientia, & paupertate fuerit delectatus. Delectemur & nos, & in qualibet ex prædictis virtutibus exerceamus quinque speciales actus, & hoc fiat usque ad confessionem proximam. His verò salutis diebûs ne obliviscamur nostrûm, quotidiè recitabimus *Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu* cum tessera diurna

diurna : *Non alius : Sufficit mihi unicus, qui solus Jesus est.*

Dominica III. Adventûs.

EXHORTATIUNCULA I.

DUo latent in hodierna Dominica. Cognitio sui : *Tu quis es?* & interius in spiritu gaudium : *Gaudete.* Utrumque est necessarium tam incipienti, quàm progredienti in via Domini. Primum ut eò humilior sit in oculis Dei : Secundum, ut eò generosior spernat mundi gaudia, & sola quærat ac desideret immortalia.

Instructio meritoria.

Citò igitur ad Verbum Incarnatum, à quo impetrabimus omnia. Oremus in hunc finem *tres primas Decades* ex Rosario Gaudioso cum Psalmo : *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Deus imminet, ardeant pectora!

II.

MIremur hodie S. Joannis simplicitatem. Colitur, & honoratur ùt Christus. Sed renuit clamans : *Non sum.*

Ah! Fili! non videamur boni, sed simus in opere, & cum veritate. Nam bonus videri, & non esse, turpis hypocrisis est: bonus esse, & non videri, magna sanctitas est.

Instructio meritoria.

Exemplum sumamus veræ Virtutis ab humilitatis Magistra, Dei Matre Maria. Mater Dei est: & quis credidit hoc tempore? Nemo: *non enim erat ei locus in diversorio.* Ut ad solidam perveniamus sanctitatem, coram ara B. V. *novem Ave* cum toties repetendo Cantico: *Magnificat* persolvamus. Sit filius æqualis parenti.

III.

QUærunt hodie Pharisæi Christum Dominum; sed non inveniunt. Unde? quia non quærunt in loco debito. Quærunt extrà, & in deserto, cùm tamen esset in eorum medio. *Medius stetit vestrûm.* Non sic, ô fili! nobiscum, intùs est Deus. Stringamus, teneamus!

In-

Inſtructio meritoria.

Senſus claudamus, viſum præcipuè. Igitur dum ſumus in eccleſia, clausîs hodie oculis *Roſarium* recitemus *glorioſum*, neque recedamus ſine ſuſceptâ Communione ſpirituali. O ſi oculi noſtri ſemper ad Dominum! O ſi ſurſum tenderent corda, & pia ſuſpiria!

Dominica IV. Adventus.

EXHORTATIUNCULA I.

FIlli! ſcit utique, quàm bene ipſi voluerit SS. Trinitas, mittendô Dei Unigenitum, ut indueret hominem? voluit nimirum ut Deus fieret homo, & homo fieret quaſi Deus. Quanta dignitas! ſed ubi retributio?

Inſtructio meritoria.

Inſtant dies ultimi, & conſummabitur negotium Redemptionis noſtræ. Præveniamus, & usque ad Feſtum Nativitatis quotidie ante cubitum *illa 7. O. Majora* ferventiſſimè oremus ſæpius per diem cum Patribus è limbo ſuſpirantes: *Rorate cæli deſuper, & pluant*

nobis Juſtum. Captivi ſumus : Clamemus!

II.

MAndatum Dei eſt : *Parate viam Domini.* Quomodo? baptiſmô pœnitentiæ, ſeu humilitate, odiô noſtrûm, & vitæ auſteritate. Sic rectas facimus vias Salvatoris ſæculi. Fili! quid ſtatuemus?

Inſtructio meritoria.

Tempus S. Adventûs tranſiit : Si ſine fructu, redimamus adhuc hîs ultimîs diebûs, quotidiè actus reflexæ mortificationis in menſa exercendo, & pſalmum : *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me ſunt &c.* ſubjungendo. Gratia D.N.J. apparebit : Et quis ad excipiendam non properet?

III.

BOna nova ò fili! *videbit omnis Caro ſalutare Dei*, annuntiat hodiernum evangelium. Si *omnis caro:* ergò & veſtra, ſi humiliata, ſi crucifixa, ſi & adventanti Jeſulo fuerit aſſimilata. *Humilis veniet, ut de ſua humilitate celſi-*

celsitudinem sterneret mundi, ait Hugo Victorin.

Instructio meritoria.

Exultabunt ossa humiliata! exerceamus nos usque ad solemnia festa in variis tum humilitatis, tum abstinentiæ, tum vigiliarum, aut sacri rigoris corporalis operibus, quorum licentiam petamus à Patre spirituali. Gaudium verò nostrum ut sit plenum, quotidiè novies canticum *Magnificat* dicamus, & quidem in honorem novem Mensium, quibus B. Virgo Unigenitum Dei portavit in virgineo utero, & hoc est parare viam Domini: Hoc est videre salutare Dei.

Dominica Infrà Octavam Nativitatis Dominicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! miremur ex hodierno Evangelio Annæ Prophetissæ in Dei servitio fervorem, & constantiam; etiam post octoginta duos annos *non discedebat de templo*. Multos annos desideramus,

eósque semper fortunatos? properemus ad domum Dei: In Ecclesia inveniemus.

Instructio meritoria.

O nos felices, quibus datum toties in templo agere cum Deo! agnoscamus gratiam, & summâ oculorum modestiâ, morum gravitate, & arctâ taciturnitate hodiernîs horîs interfimus Canonicis. Et ne quid in oculis Dei indecentiùs committatur ab aliis, oremus *quindecim Pater & Ave* cum psalmo: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c.* Deus nos videt.

II.

O Quanta erant Mariæ gaudia, dum Jesum ab Angelis mundo annuntiatum, & à Magis adoratum vidit, & exosculata est. At Cor Mariæ immutatum est, dum hodie audiit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Adeò nulla est hujus vitæ ab adversis securitas!

Instructio meritoria.

Compatiamur Matri Amabilissimæ, & in contestationem filialis compassionis sub-

subjungamus planctum dolorosum: *Stabat Mater dolorosa.* Amor aut facit, aut invenit similes. Maria! nec tu, nec ego sine vulnere.

III.

Jesus crescebat sapientiâ, & gratiâ. Annos habemus, mi fili! sed quid sunt illi sine meritis, sine virtutibus, & bonis operibus? vivere oportet, non, ut comedamus, bibamus, tripudiemus &c. sed ut in spiritu, gratiâ, & omni sanctitate, & justitia quotidiè proficiamus. Sic Jesus jubet, sic & propria urget conscientia.

Instructio meritoria.

Discamus invigilare tempori, nósque longioribus interdum subtrahere recreationibus. Horam dein subtractam vel in ecclesia, vel in cubiculo piis lectionibus, devotis orationibus, aut meditationibus impendamus ardentissimis. In honorem totius ætatis Christi 33. *Pater & Ave* addamus cum psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ in-*

trame sunt, nomini sancto ejus. Anni crescunt pietate.

Dominica quæ & Vigilia SS. Epiphaniæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! defunctus est Herodes. O si id recogitâsset anteà, non in tantam incidisset tyrannidem! Amice! ut in officio boni Christiani, aut sanctioris Religiosi contineatur, discat quotidiè mori.

Instructio meritoria.

A manè & nocte pro omnibus defunctis, ut constantem nobis impetrent mortis memoriam, recitemus quotidiè psalmum *Miserere* cum *De profundis*. Et si cœmeterium quoddam in vicinia, singulîs diebûs ibi sepultos aquâ lustrali consolemur, & dicamus: *Te ergò quæsumus Domine Jesu! tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

II.

AH! quid hoc? fugere debent cum Jesulo Maria, & Joseph. Fugere, quia

quia eos pellit crudelis humanitas. Fili! sequamur!

Instructio meritoria.

Et hodierna die per trinam visitationem nos quàm devotissimè cum his tribus personis detineamus coram Sanctissimo Altaris Sacramento, addentes in honorem septem dolorum, quos sustinuit Maria, 14. *Pater & Ave* cum Rythmo: *Stabat Mater.* Sint nostræ deliciæ, esse cum Jesu, & pati cum Maria.

III.

O Gaudium! redeunt iterum Jesus & Maria cum S. Joseph. *Mortui enim sunt, qui pueri quærebant animam.* Sic Deus providet illis, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Persecutiones breves, & momentaneæ sunt. Dabit & his Deus quoque finem.

Instructio meritoria.

Nunquam dejiciamur tempore persecutionum: est Deus nobiscum. Scit, cur, & quid perpetiamur? angariati igitur statim flectamus, & *Psalmos graduales*

les incipiamus. Confide fili! audiet nos Deus, quia Pater misericordiæ est, & multæ clementiæ. Misericordiæ Domini! misericordiæ Domini! quia non sumus consumpti.

Dominica infra Epiphaniæ Octavam, seu I. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

HEu! Maria perdidit Jesum, at invenit denuo. Verùm ô quot sunt in mundo animæ sine Jesu, quia in statu multorum peccatorum? misereamur, & ut inveniant, & cum invento semper permaneant constantes in gratia.

Instructio meritoria.

Recitabimus septem *Psalmos pœnitentiales.* Agamus ô fili! & præstemus id hodie, quod & egisse, nobis quondam expediet in sempiternum. Expedit autem, multum orâsse pro Christiano populo.

II. Fi-

II.

FIli! quid lego ex hodierno Evangelio? en! Jesus *erat subditus illis.* Miramur, Deum parere homini? & benè: est enim res admiratione dignissima. Sed unde hæc & tanta Filii Dei subjectio? ex amore, & pretio S. Obedientiæ. In hac & natus, & mortuus est. Quis suum jam non humiliet caput?

Instructio meritoria.

Humiliemus & nostrum, & coram omnibus nos transeuntibus illud humiliter inclinemus. Dum soli, flectamus, & in Venerationem morientis ex Obedientia Jesu 12. *Pater & Ave* expansis brachiis oremus cum suspirio: *Domine Jesu! paratum cor meum, ut faciam voluntatem tuam. Deus meus! volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

III.

QUi quærit, invenit. Quærebant Maria, & inveniebant: & *invenerunt in templo.* Fili! scire desiderat quærendi methodum? dedit Salomon dicens:

dicens: *In simplicitate cordis quærite illum.* Quid simplicius Mariâ? quid humilius Josephô? quid mirum, si invenerint.

Instructio meritoria.

Hac simplicitate ambulemus coram Domino. Ad omnia exercitia flectamus erectîs manibûs, flectamus & liberi, recollecti, & quieti. In fine cujuslibet exercitii subjungamus *tria Ave* cum Cantico: *Nunc dimittis servum tuum, Domine! secundùm verbum tuum in pace.* Finis coronet opus.

Dominica II. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

DEfuit hodiè vinum. Jam audio Jesu imperantis vocem: *Implete hydrias.* O quàm bonus est Dominus timentibus se, & animæ quærenti illum. Deest nemini in necessitatibus; & antequàm invocetur, dicit: *Ecce! adsum.*

Instructio meritoria.

Pro acceptis omnibus & singulis beneficiis à primo instanti conceptionis nostræ

nostræ abundanter collatis oremus psalmum : *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto Ejus.* Et nostras necessitates ulteriùs commendemus Jesu Dulcissimo Cordi. Stat apertum : Et negligitur? quid hoc?

II.

TRibûs Verbîs patratum est hodiernum miraculum : *Implete hydriam aquâ.* En! Deus plùs delectatur operibûs, quàm multiloquiis, & verbîs copiosîs. Illa reddamus ; His parcamus

Instructio meritoria.

Diebûs collationum, ac jejuniorum studeamus silentio, & vacemus soli Deo, memores, quis veniat in crastino SS. Altaris Sacramento? Præ desiderio ad mensam Angelicam per octo dies quotidie semel visitemus sponsum Amoris, illô alloquentes Psalmô : *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum*, ita &c. Fili! curramus! Deus expectat nos!

III. Vi-

III.

VInum, quod appoſuit homo, deficit; ſufficit, quod affuderat Chriſtus. O veritatem! deficiunt profectò, & evaneſcunt gaudia, quæ cæcus propinat mundus. Cor enim ſatiare non poſſunt; ſolus Deus eſt, qui ſufficit nobis.

Inſtructio meritoria.

Quòd & nobis ſufficiat, probemus in omnibus refectionibus, & corporalibus ſolatiis, ſub his ſæpius mentem elevando, ſpiritualiterque communicando. Illîs verò finitîs, vel ad eccleſiam, vel ad cubiculum pergamus, & ibidem *Te Deum Laudamus* quàm devotiſſimè perſolvamus, cum interrogatione: *Quid mihi eſt in cœlo? aut quid volo ſuper terram?*

Dominica III. poſt Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

MUnditiem diligit Deus. Vix leproſus petiit hodiernus; mox audiit: *Mundare.* Fili! quanto nobis in pre-

tio

tio est puritas animi? dedit Dei gratia: Cave, ne prodigamus turpiter.

Instructio meritoria.

Super aurum & topazion conscientia, & anima pura. Ut foveatur, *Officium de Immaculata Conceptione* recitemus. Dabit Maria, quod nostra non merentur peccata.

II.

O Quanta est vis orationis in divinam voluntatem resignatæ! sæpè oramus, & non exaudimur. Quare? non dicimus cum hodierno leproso: *Domine! si vis.* Sed potiùs: *Sic volo ego.* Sic hæc, vel illa commoditas.

Instructio meritoria.

Erectîs humiliter manibûs, & flexis devotè genibus pro virtute Resignationis nobilissima offeramus SS. Trinitati *Rosariolum* constans 33. *Ave* cum 5. *Pater.* Pulsemus! clamemus! saltem importunis dabitur.

III.

O Jesu humilitatem! prohibet collatum manifestari sanitatis beneficium,

ficium, monens leprosum : *Vide; nemini dixeris.* En! dedit Christus exemplum fugiendi vanam gloriam. Igitur detestemur eam : Et id ut eò ardentiùs, & securiùs.

Instructio meritoria.

Assuescamus vel hodie post actiones, & opera magis heroica, vel ore, vel mente subjungere canticum : *Magnificat anima mea Dominum.* Vel : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Sic opera Dei revelare, & confiteri erit honorificum.

Dominica IV. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

MOtus magnus factus est, ait hodiernum Evangelium. Sed ubi? *In mari.* Et ego dico : In conscientia mala. In hac nulla quies : Consolatio nulla. Quem illa inhabitat, amarum sui accusatorem portat. Ah! fili! nos patiemur?

In-

Instructio meritoria.

Per binum Examen quietemus remordentem. Assumamus & unam confessionem extraordinariam, quæ alleviabit inquietam conscientiam. Ad modum contritionis oremus expansîs brachiîs Psalmum *miserere*. Ah! misereamur animæ nostræ!

II.

NAvigabant Apostoli, & discipuli Christi. Et en! *Tempestas facta est valida.* Sic nec charis suis parcit Jesus, ut sciamus, neminem in hoc mundo securum ab adversis. Ergò nec nos ô fili! cur tamen adversitatibûs dejicimur?

Instructio meritoria.

Ut præveniamus tempestatem, dicamus psalmum: *Cùm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ*, ex completorio. Jesus propè est: Respiciamus. Et sanè ubi definit auxilium terrenum, ibi adest divinum.

III.

OTimidos Christi discipulos! vehunt in navicula sua Dei Filium: Et

Et sibi timent: *Domine! perimus.* Planè Deo præsente timendum est nihil. Excipio solum peccatum. Hoc timeamus, & Deum diligamus. Hic timor: Hæc dilectio nobis rapiet cœlum.

Instructio meritoria.

Ut ostendamus, quanta nobis de præsentia Dei fides, ingredientes cubiculum statim flectamus, & illô Psalmo salutemus: *Venite! exultemus Domino, jubilemus &c.* Deus mecum!

Dominica V. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

CUm dormirent homines, venit inimicus homo. O infelicem quietem! O multorum malorum seminarium! benè S. Cyprianus: Si diabolus imparatum invenerit militem Christi, si non sollicitum, si non vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Id quoties contigit incuriis nobis? Verùm præveniamus.

Instructio meritoria.

Labore manuum, & sudore studiorum,

rum, aut aliorum bonorum operum, inter quæ hodierna transigatur dies. In cubiculo igitur, dum soli cum solo Deo sumus, aut scribamus, aut legamus, aut studeamus sæpè ad animæ inimicum reclamantes: *Vade retro Satana!* dicamus insuper Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.*

II.

FIli! tremendam hodie audiemus ex S. Evangelio sententiam: *Colligite zizania*, jubet Christus. *& alligate ad comburendum.* Nescimus, an inter zizania, an verò inter triticum simus computandi? an mittendi ad comburendum; an potiùs congregandi in Dei horreum? A Judicio Dei id pendet. Quid agemus?

Instructio meritoria.

In brachia ferientis Dei ruamus, & hodie contrito corde illum Rythmum dicamus: *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ &c.* Humilibus dat gratiam.

III.

REctè dicitur : Homo homini lupus. Nulla sævior homini bellua, quàm ipse homo sibi, si vixerit secundùm sensus, & carnem. Si pereat, ex se perit : Nam stygius draco non deglutit nisi volentem. O damnatam voluntatem, si peccatum sapiat!

Instructio meritoria.

Inimiço debetur odium, bruto flagellum : Et quid corpori nostro ? genus vitæ durissimum. Hodie humiliemus unô, vel altero actu abstinentiæ, ut desinat grunnire addamus & 15. *Pater ac Ave* expansîs brachiîs.

Dominica VI. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta mysteria in hodierno Evangelio ! præcipuum verò in verbis : *Minimum quidem est omnibûs seminibûs ; cùm autem creverit, majus est omnibûs oleribûs.* O fili! sensus verborum est : à minimis incipiunt, qui

in

in maxima proruunt. *Nemo repentè fit summus.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Cura minimorum, quia nobis maximè necessaria, ut impetretur à Deo, per 7. dies quotidiè unum ex psalmis pœnitentialibus recitemus. O si crescceret horror! quantùm & arderet cœlestium amor!

II.

VIs ædificium provehere in altum Regni æterni? à minimo, & imo fundamento incipe humilitatis. Non enim exaltabitur, nisi qui se humiliaverit. Mundus odit superbos: Et Deus portet?

Instructio meritoria.

Tota vita Jesu quid fuit nisi humilitas? simus imitatores, & 34. *Pater & Ave* inclinatô capite, & oculîs clausîs recitemus cum totidem osculis terræ. Videt Deus! sufficit.

III.

PRincipiis obsta: serò medicina paratur. *Minimum est! cùm creverit,*

rit, majus est. Cogitatio prava (teste S. Bern.) parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. O periculosam negligentiam in rejiciendis cogitationibus primis! sapiemus utique? fili! sed quomodo?

Instructio meritoria.

En! medium suggero. Adest tentator! arripiamus citò Crucifixum! vel confugiamus ad Ecclesiam, flexisque genibûs psalmum intonemus ex Completorio: *Qui habitat in Adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, & 33. exosculabimur Jesum. Crucifixi oscula sunt arma, quibûs pellitur hostis.

Dominica Septuagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

PRocul ò fili! cum pigritia! en! primô manè jam exiit Jesus conducere operarios in vineam suam. Ergò & nobis non sit vanum, manè surgere ante

ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

Instructio meritoria.

Auditô primô excitationis signô statim deseramus lectum, & flexis genibûs matutinam persolvamus salutationem Angelicam. A Jesu, & Maria principium!

II.

REprehenduntur hodie otiosi homines: *Quid hîc statis?* & meritò: Non enim hæc vita tempus est otiandi; sed laborandi. Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum. Qui non laborat, non manducet. O fili! quæ, vel cujus hæc monita? Christi sunt, & Spiritûs Sancti.

Instructio meritoria.

Exequamur, & in Divinis obsequiis specialiter alacres simus, augendo pensum pietatis Christianæ præter ordinarium Rosarium addendo & alterum pro fervore omnium fidelium, præsertim Religiosorum. Qui sibi bonus, erit & aliis.

III.

QUid sibi hoc? ultimi æquè ac primi accipiunt singulos denarios. Hæcne æqualis dispensatio? aut retributio? en! ò fili! non *quamdiu*, sed *quam benè*, quàm fervidè & constanter serviamus Deo, interest. Consummatus in brevi potest explere tempora multa, & lucrari mercedem magnam in cœlo. Servimus: Sed quomodo?

Instructio meritoria.

Citò redimamus, quæ tam sæpè prodegimus, pretiosa tempora, intendendo fervorem, & devotionem ergà Deum. In satisfactionem negligentiarum omnium nostrarum persolvamus Litanias Majores. Qui multum orat, magna impetrat.

Dominica Sexagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

NOnne genuini Filii est, defendere Patrem? nónne & fidelis servi protegere Dominum. Ecce! instant periculosa Bacchanaliorum tempora, quibus

quibus mundus ſtat totus contra Dominum; ad arma igitur ò dilecte fili! ad ſingularia pietatis exercitia, & his ſtudeat avertere peccata graviſſima, quibus Deus Pater tam bonus, & clemens injuriosè tractatur. Ceſſa! peccatum ſatis eſt.

Inſtructio meritoria.

In hunc finem offerat *officium minus* de *Dulciſſimo Nomine Jeſu* cum trina viſitatione Sanctiſſimi. Nolo, ut ſolus hîc Jeſus lateat. Domine! curro, ut te ſtringam.

II.

Filli! ad laborandum, ad ſeminandum nati ſumus; ſed quodnam ſeminandi tempus nobilius tempore tribulationis? hinc S. Bernardus: *Gloriemur in tribulatione: In ea ſiquidem ſpes omnis gloriæ.*

Inſtructio meritoria.

Hâc ſeptimanâ omnes afflictiones patienter ſuſtineamus, Deóque offeramus, ut avertat ſcelera hominum molliter, & ſenſualiter viventium, pro quibus *Lita-*

nias de omnibus Sanctis persolvamus. Quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis.

III.

ARguitur hodie inconſtantia noſtra: Nam S. Evangelium ait: *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ah! quot merita noſtrâ pereunt infidelitate, & inconſtantiâ! in bono rerum ſucceſſu fervemus; in malo torpemus. O fili! in Chriſtianis non initia attenduntur, ſed finis, & perſeverantia.

Inſtructio meritoria.

Qualis & piorum erit inconſtantia hoc periculoſo tempore? ut in ſuo ſervemus fervore, coram SS. Venerabili quotidiè per hanc ſeptimanam unum Pſalmum ex pœnitentialibus offeramus Jeſu Euchariſtico. Si pii receſſerint, quis honor? vel ubi Amor Dei?

Do-

Dominica Quinquageſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! aſcendit Jeſus in Jeruſalem, ut tradatur gentibus, illudatur, & occidatur. Ubi autem comites? ubi imitatores? ſequitur nemo. Totus vix non mundus hîs Bacchanalibûs ſtat contra Jeſum. Condoleamus, fili mi! & ſequamur euntem.

Inſtructio meritoria.

Quorſum? ad converſationem ſanctam, & immaculatam, *ſobriè*, & *piè* vivendo, & conſuetis precibus aliquid ſuperaddendo, nim. *Roſarium Doloroſum*, ut piæ animæ inflammentur erga Jeſum; impii autem ſe convertant ad Dominum. Charitas hîs impetrabit majora.

II.

CÆcus inclamat Dominum pro oculorum ſalute, increpant alii. Clamare non ceſſat ille. Sic ludit firma in Deum confidentia. Fili! ita agendum in via virtutis. Nunquam hîc cedendum.

dum. Non enim primo cadit arbor ab ictu. Tu contrà audentior ito. Cecidisti? iterum surge. Et si centies, centies revertere. Ita jubet constans de Jesu Confidentia.

Instructio meritoria.

O fides! spes! & Charitas! quàm estis necessariæ homini! & tamen tam rara vestrûm memoria. Ut saltem in nostris radicentur cordibus, 30. *Pater & Ave* coram aliquo Crucifixo recitemus. Aperta cernimus vulnera: Et non credamus? speremus? diligamus? sine fide, spe, & dilectione vivimus mortui. Hæc autem non vita, sed mors est.

III.

QUanta stultitia! impietas quanta! hîs diebûs velle vivere liberiùs, licentiùs, & effusiùs *qui tamen nescimus* (teste Hadriano Papa) *quando, vel pro quanto scelere deseramur à Deo.*

Instructio meritoria.

Aliud monitum est S. Augustini: *Deprecanda potiùs est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, & affe-*

affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda. Veniamus igitur ò fili! ad templum Domini, & recitantes *Psalmos graduales* scelera impediamus gravissima. Filii est, defendere Patris honorem.

Dies Cinerum.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid audimus? *Memento homo, quia pulvis es.* Eamus ad sepulchra! videbimus ubi cadat omnis humana felicitas, & opum, ac voluptatum potentia. Videbimus, ubi & justorum finiantur labores, & præmiô coronentur perenni. Fili! disce quotidiè mori, & coronaberis.

Instructio meritoria.

Defunctorum recordatio est nostra ad bonum excitatio. Oremus hodie vesperas ex officio defunctorum: Et si fieri potest etiam cæmeteria visitemus. Infirmus fui, & visitastis me.

II.

IN quo consistit vera cordis pœnitentia? nunquid externâ tristitiâ? nil

minùs. Sic triſtantur hypocritæ. Nos gaudeamus in Domino, maximè, dum ſumus in jejunio. Hilarem datorem diligit Deus.

Inſtructio meritoria.

Hanc ſpiritûs lætitiam ut corde, & ore proferamus, poſt refectionem vel in templo, vel in cubiculo intonemus *Te Deum Laudamus.* Ululent inferi! gaudeant pii.

III.

SAtis litatum guſtui, & ſenſibus! quid enim inde, ò fili! traximus lucri? Caput grave, ſtomachum nauſeabundum, vires languidas. Hi fines ſunt eorum, quæ corpus appetit, gaudiorum. Verùm infirmo opportunam porrigit medicinam eccleſia, ſacrum jejunium, quod corpora ſanat, & animas ſanctificat.

Inſtructio meritoria.

Initium hodie eſt S. Quadrageſimæ. Bona igitur nobis conſcribamus opera, licentiâ R. Patris Spiritualis per hos ſacræ quadrageſimæ dies ſolerter exercenda. Recordemur abſtinentiæ, pro qua obtinenda

nenda adhuc hodie unô cibô carebimus, recitantes hujus locô 15. *Pater & Ave* cum oratione: *Concede nos famulos, quæsumus, mentis, & corporis sanitate gaudere &c.* Mortem petit, qui ciborum superfluitatem.

Dominica I. Quadrageſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUod Paulus prædicavit ſuis Corinthiis, hoc ego ſpirituali annuntio Clienti. Ecce! nunc tempus acceptabile! ecce! nunc dies ſalutis. Ecce! tempus, ubi ſua diluat peccata, expungat pœnarum debita, & ſibi inſignia tum virtutis, tum ſanctitatis, procuret merita. Nundinæ ſunt: Quis lucrum negligat?

Inſtructio meritoria.

Pro felici igitur S. Quadrageſimæ auſpicio offeratur ſacramentalis communio cum *Litaniis de omnibus Sanctis.* Multîs precibûs redimuntur neglecta tempora.

II.

UT Jesus dignè sese disponeret ad opus Redemptionis nostræ, quid agit? en! in solitudinem abit: Populum, & publicum fugit: In deserto se abscondit. Adeò necessaria ad opera magna solitudo sacra. Et nos inter turbas quærimus Deum? quid mirum, si non inveniamus?

Instructio meritoria.

Unum specialem quadrantem piis precibus, vel visitationi Sanctissimi, aut sacræ cuidam lectioni hodie impendamus & in venerationem quadragenariæ solitudinis Christi 40. *Ave* cum totidem osculis terræ peragamus. Christus in solitudine, & ego.

III.

AUdi præceptum Domini: *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.* Si soli: Ergò non sæculo, nec carni, nec diabolo, cujus nos servi sumus, ò fili! utinam Jesu patientissimi! vivimus enim in quadragesima.

In-

Instructio meritoria.

In Antecessum recitemus in honorem & amorem totius ætatis Christi 33. *Pater & Ave* cum Cantico : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Nostrum vivere sit continuum laudare Redemptorem.

Dominica II. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

AGitur in hodierno Evangelio de beneficio vocationis. Sciat ergò filius ex ore Apostolici Doctoris, ipsum non vocatum esse in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Jesu Domino Deo. *Et hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

Instructio meritoria.

Ut in statu suo totus ambulet purus, & sanctificatus, coram Sanctissimo recitet *Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu:* vel locò harum 15. *Pater & Ave* in veneratione 5. litterarum, quibus constat Nomen Jesu. In hoc Nomine salus.

II. Vi-

II.

VIdit Petrus transfiguratum Dominum, & gaudens clamavit : Domine! *bonum est, nos hîc esse.* Quale, & quantum gaudium erit, videre faciem desideratam Domini, solis instar fulgentem? quanta lætitia gloriæ Conditoris assistere, & incircumscriptum lumen videre? fili! nondum cupimus dissolvi?

Instructio meritoria.

Sursum corda! elevemus ad nostram patriam. Hîc permanentem non habemus. Ut eò crescant desideria, recitemus Psalmum : *Quam dilecta tabernacula.* Sítque quotidiana à manè tessera : *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

III.

O Jesu humilitatem! præcepit discipulis : *Nemini dixeritis visionem, quam vidistis.* Christus fugit vanam gloriam : Et ambiat homo? peccator! pulvis, & cinis?

Instructio meritoria.

Satisfaciamus pro nostra superbia, recitantes *Cursum Marianum*, & assuescamus

mus cuilibet peracto operi virtutis subjungere verba Davidis : *Non nobis Domine! non nobis : Sed Nomini tuo da gloriam.* Pauca sunt : ne negligas.

Dominica III. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid Magister Cœlestis docet in hodierno Evangelio? audiamus : verba sunt ista : *Qui non colligit mecum, dispergit . Et qui non est mecum, contra me est.* En! recollectionem commendat animi, sine qua nulla pax, nulla mentis tranquillitas. Fili! quid egimus toties in oculis Dei distracti? toties vagabundi?

Instructio meritoria.

Claudamus oculos, & erit nobiscum Jesus. Deprecemur nostras distractiones & evagationes tempore orationis, meditationis toties admissas, & in satisfactionem *Rosarium doloroſum* clausîs oculîs, & expansîs brachiîs reciremus. State cogitationes! Deus nos vocat.

II. Dæ-

II.

DÆmonium ejicit hodie Christus. Hoc & in nobis resident. Quomodo? per malitiosam voluntatem propriam, quæ peccatorum origo., criminum fomes, & omnium malorum incentivum. Sic S. Laur. Just. Surgamus, ad Jesum veniamus, & ut ab hac vipera nos liberet pessima

Instructio meritoria.

Hodiernam sacramentalem Communionem cum accurata temporis observatione offeramus, addentes Rythmum amorosum: *Anima Christi sanctifica me.* Velle meum ô Deus! tolle, & da tuum.

III.

QUi relabitur in antiqua peccata, *fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Horrenda commonitio! Christus dedit. Et agere contrà, ac in pristinum vilitatis statum reverti non timeamus? O temeritatem!

Instructio meritoria.

Propter relapsum, à R. Patre spirituali spe-

ſpecialem quandam pœnitentiam ſatisfactoriam petamus, & recitando *Pſalmos graduales* iterum Dei offenſi mitigemus iram. Cadere humanum eſt: pœnitere, & ſatisfacere ſanctorum.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid ita neceſſarium ad profectum in virtute, quàm libertas in ſpiritu? ſine hac, fili! vivemus mancipia miſera noſtrarum paſſionum, inordinatorum appetituum, & internarum rebellionum. Non ſic, ô fili! libertate filiorum Dei à Chriſto Jeſu emptus eſt. Agnoſcat dignitatem & non degeneret.

Inſtructio meritoria.

Libertatem adeò pretioſam ut eò certiùs deſurſum impetret, invocet Spiritum S. & in Venerationem 12. fructuum Illius oret 12. *Pater & Ave* cum hymno: *Veni S. Spiritus.*

II.

QUinque panibûs, & paucîs piſcibûs ſaturata ſunt quinque millia hominum.

minum. Ad quid tanta ventris, & ſtomachi ſolicitudo? paucîs natura contenta eſt. Fili! corpus reficere oportet, non onerare, aut opprimere. Cibus de paradiſo ejicit, temperantia reducit. S. Chryſoſt.

Inſtructio meritoria.

Tantum comedamus, quantum ad ſuſtentandam vitam, & non ad nutriendam voluptatem neceſſarium eſt. In quolibet ergò cibo unum mortificationis actum exerceamus. Experiemur, quàm dulcis, & nobilis virtus temperantia, pro qua obtinenda *officium minus de SS. Altaris ſacramento* perſolvamus. Quàm pretioſior hîc eſca latet? Quæramus!

III.

Fugit iterum Jeſus. Quid ſibi hoc! noluit Rex eſſe, & magnus inter homines, ſed Magiſter patientiæ, & humilitatis. O fili! regnum noſtrum non ſit de hoc mundo, vel in mortalium oculis. Quæramus aliud, quod intra nos eſt: Nimirum ſpiritum pro Deo,

Deo, & virtute uti liberum, ita & ardentissimum.

Instructio meritoria.

Humilis & fugientis Jesu ut simus discipuli, eum comitemur recitantes Psalmum : *Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* cum 12. *Pater & Ave* in honorem 12. graduum perfectæ humilitatis. Fili! regia via ad honores est contemptus honorum.

Dominica V. Quadragesimæ seu Passionis Dominicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

VExilla regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium! jam procul cum jocis, & levitatibus sæculi! oculi & sensus sint in Jerusalem! pergamus: Et en! inveniemus Jesum virum dolorum, leprosum, & omnium despectissimum. Fili! ad amores igitur! ad compassionem!

Instructio meritoria.

Fugiamus publicum, & in occulto, ac

ac solitudine sancta tandem stringamus Crucifixum. Hunc transeuntes adoremus medio flexo poplite, & salutemus illô amoris suspiriô : *Amor ! non amaris ? amabo te.* Recitetur hymnus ex Vesperis : *Vexilla Regis prodeunt,* Prodeant & in nostris moribus.

II.

DÆmonii incusatur Jesus. Quanta calumnia ! quid respondet Christus ? *Non habeo.* Quàm mitis hæc responsio ! respondisset alius : Impii Judæi ! vos habetis ! vos ex patre diabolo estis ! non sic Christus. Ut discamus, malum pro malo non reddere. Fiat !

Instructio meritoria.

Pro omnibus offendentibus nos, vel persequentibus offeramus hodie Rosarium de septem doloribus. Sic injurias vindicant devoti Christo famuli.

III.

TOllunt Judæi lapides, ut jacerent in Jesum. Quid mali fecit : veritatem dixit ; ipsi autem mentiti sunt ei. O ingratitudinem ! sic impius, cùm in pro-

profundum venerit, contemnit, & insultat Redemptori, Servatori suo. Quid nos? fili! è quorum sumus numero?

Instructio meritoria.

Condoleamus, & pro tanta perfidia satisfaciamus recitandô 33. *Pater & Ave.* In fine jungamus *Te Deum Laudamus.* Honore redimendus est ablatus honor.

Dominica VI. Quadragesimæ seu Palmarum.

EXHORTATIUNCULA I.

TAndem ingredimur scholam Passionis Dominicæ, & Theatrum omnium virtutum. Ecce! hîc humiliavit Deus semetipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem Crucis. O quanta demissio! & hæc Deus: Quid jam statuat peccator?

Instructio Meritoria.

Obedientia, & humilitas Christi ut operetur in cordibus nostris, usque ad confessionem proximam tres actus humili-

militatis, & tres obedientiæ exerceamus, & exercitos conſcribamus, manibúsque R. Patris ſpiritualis extradamus. Interim pro majori merito exoſculabimur quinque Vulnera Jeſu ſub 5. *Pater & Ave.* Hæc requies mea! hîc habitabo, vivam, & moriar!

II.

SIccine ô fili! filius Dei tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, crudeliter occidetur? ita S. Lucas. Non erimus ſocii compatiendo? non comites paſſionem Jeſu amoroſiùs meditando?

Inſtructio meritoria.

Erimus! hinc à Recollectione mentis exordiamur inſtantem S. Paſſionis hebdomadem. Ideò quantùm fieri poteſt, fugiamus publicum, & ſervemus ſilentium. Inſuper in venerationem totius Paſſionis recitemus 33. *Pater & Ave* cum hymno ex Laudibus: *Luſtris ſex qui jam peractis, tempus implens corpo-*

poris &c. Frater Jesu non est, qui nescit pati cum Eo.

III.

QUàm devotus hodie in Jerusalem populus ergà adventantem Dominum! *straverunt* enim *vestimenta sua.* Sic est: Quidquid in nostra substantia, & potestate, id omne in Dei impendatur obsequium. *Deo* enim *proprium est* (ait S. Thomas Aquinas) ut sit centrum *totius amoris.* Diligamus ergò sine modo, diligamus omni modo, diligamus, sicut diligibilis est. Hæc Thom. Villanov.

Instructio meritoria.

Et hoc, quando fieri potest convenientius, quàm hac hebdomade dolorosâ? ergò pro omni die certum actum humilitatis, & mortificationis nobis conscribamus, & ad exercendum à R. Patre spirituali licentiam cum Benedictione petamus. Oremus porrò expansîs brachiîs Rosarium de quinque dolorosis mysteriis. Jesus tot, & tanta pro nobis: Nos autem quid pro Jesu? O si vel hîs diebûs plurima! maxima!

opera illustrissima! Magnum magna decent.

Cœna Domini.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! appropinquavit dies, quâ Jesus se totum nobis dedit in edulium. Satietur illô cor nostrum, adeò, ut nihil sapiat ampliùs, nisi Jesus. Præter hunc valeant omnia! Quid? ô fili! possidentes Deum exoptemus aliud? ubi illud? *Quid mihi est in cœlo? & à te, quid volui super terram?* suspirat David.

Instructio meritoria.

Trinis extraordinariis visitationibus consolemur captivum in tabernaculo Jesum. In prima oremus *Lytanias de SS. Altaris Sacramento.* In secunda officium minus de eodem. In tertia pro veneratione totius ætatis Christi 33. *Pater & Ave* cum *Te Deum Laudemus.* Frater fratrem redimat, si verè diligat!

II.

HOdie audiamus ultimam morituri Jesu voluntatem. Quæ illa? *hoc facite in meam commemorationem.*

Com-

Commendat hîs verbîs quotidianam in templis, & ad sacrificia missæ devotionem, reverentiam, & pietatem. Et nunquid nos negabimus? væ tantæ ingratitudini!

Instructio meritoria.

Certum hodie nobis statuamus modum audiendi quotidiè sacrum: Nimirùm recitandô vocaliter usque ad SS. Canonem SS. Rosarium cum aliis precibus. A tempore Consecrationis mentaliter Deo Eucharistico nostras necessitates commendando: Ad *Agnus Dei* spiritualiter communicando: Post sumptionem verò à Sacerdote peractam *septem Pater & Ave* cum Psal. *De Profundis &c.* persolvendo pro lucrandis indulgentiis. Quàm sancta Praxis!

III.

CUm diabolus jam possedisset cor Judæ, Jesus instituit pretiosi Corporis, & Sanguinis sacramentum. O immensa Bonitas, quâ hominis convicta est audacia, & temeritas! profectò quantò magis homo Deum impugnat flagitiis, tantò magis concertat benefi-

ficiîs. Fili! non erubeſcimus malitiâ noſtrâ?

Inſtructio meritoria.

O quot hominum erunt, qui pro tempore Paſchali adibunt ſacrilegè menſam Domini! avertamus, quia poſſumus, & hodie ter coram Sanctiſſimo illum devotionis Rythmum è S. Thoma recitemus: *Adoro te devotè latens Deitas &c.* cum ſuſpirio S. Franciſci Xav. *O Deus! ego amo te, nec amo te, ut ſalves me &c.*

Dies Mortis Dominicæ
ſeu
S. Paraſceves.

EXHORTATIUNCULA I.

HEu! moritur vita! ô dolor! Jeſus aufertur! Crucifigitur Deus! Fili! ubi compaſſio? omnis creatura compatitur Chriſto morienti: Sol obſcuratur: Terra concutitur: Petræ ſcinduntur: Velum templi dividitur: Sepulchra aperiuntur: Mortui reſuſcitantur: Quid hoc? & ſolus miſer homo non

non compatitur, pro quo ſolo patitur Chriſtus? lacrymæ ubi eſtis?

Inſtructio meritoria.

Moriamur & nos cum morituro Jeſu! quomodo? certa formandô propoſita, quibus futura quàm piiſſimè tranſigemus Paſchalia feſta. Hæc appendamus ad Crucem Domini. O quàm grata hæc erunt anathemata, addatur & *Officium de S. Cruce.* In hac omnis ſpes, & victoria.

II.

AGnoſcat ô fili! quàm gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe fuit, Chriſtum vulnerari. *Vulnera autem Jeſu plena ſunt* (ait S. Auguſt.) *miſericordiâ, plena pietate, plena dulcedine, & charitate.* Intra hæc quis ſeſe non abſcondat?

Inſtructio meritoria.

Quinquies per hodiernam diem flexîs genibûs adoremus Crucifixum, & præmiſsîs *quinque Pater & Ave* exoſculemur SS. Jeſu vulnera cum gemitu: *Anima Chriſti ſanctifica me, corpus Chriſti ſalva me &c.* curre! aperta ſunt.

III.

QUod quondam suis Origenes auditoribus, idipsum & meo inclamo filio : *Crucifixum vides, & peccas?* ô dilecte! solus aspectus Crucifixi, & mortui Jesu nostras elicere deberet lacrymas, & quidem in tanta copia, in quanta fudit suas Catharina Genuensis exclamans: *O Amor mi! non amplius peccatum! non amplius peccatum!*

Instructio meritoria.

Ut fiat, quid agimus? per omnem vitam statuamus *feriam sextam* perpetua venerari Passionis memoriâ, eam diem aut silentiô, aut S. rigore, aut abstinentiâ recolendo. Hodie oremus *Stabat Mater.* Etiam post Pascha manet Jesus in Cruce : Cur non & nos in amore?

Sabbathum Sanctum.

EXHORTATIUNCULA I.

MOnitum D. Pauli est : Fratres! expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, quia pascha nostrum immolatus est Christus. En! fili mi! morien-

moriendum est homini veteri, veteri fermento malorum appetituum &c. & resurgendum cum Christo ad vitam novam, & sanctissimam. Pascha enim quid est nisi resuscitatio mortui mundi ad vitam, eámque perpetuam? ergò *alii erimus.*

Instructio meritoria.

Ad Resurrectionis spiritualis gratiam ut perveniamus, Mariæ assistentiam imploremus recitatione Cursûs Mariani coram sepulchro Domini. Maria potest in cœlo omnia homini proficua.

II.

VIdeo ad sepulchrum Mariam. Video & Matrem mœstissimam; quia ablatum sibi tam crudeliter deplorat filium, Jesum Amantissimum. Fili! accedamus, & lacrymas abstergamus. Quomodo?

Instructio meritoria.

Trina S. sepulchri visitatione, & cuilibet unum subjungendo Rosarium in honorem septem dolorum, quos in Passione Domini præcipuè sustinuit Ma-

ria. Filius non est Mariæ, qui matris obliviscitur dolorosæ.

III.

SEpultus est Jesus. Ubi? *in monumento novo.* Etiam post mortem Redemptor puritatem quærit, & diligit. Sepulchrum Christi cor nostrum est. O quoties in eo non sepelitur sacramentaliter! caveamus fili! ne quid de homine antiquo inveniat. Quæ enim Societas Christi cum Belial?

Instructio meritoria.

Maria largietur puritatem, sed rogata. Recitemus igitur officium minus de Immaculata Conceptione cum quinque Psalmis in honorem Mariani Nominis à S. Joscione recitari solitîs. Maria dat omnibus abundanter. Tu teipsum non negligas in acceptando.

Dominica Glorioſæ Resurrectionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! liceat præ gaudio interrogare: O Mors! ubi est victoria tua? Jesus resurrexit: Eductis è limbo Patribus victor

victor è sepulchro exivit. Io ô fili! jacet ad pedes dæmon! contritus est astutus serpens! sepultum ululat infelix peccatum. Accurramus igitur, applaudamus triumphatori. Demus locum Jesu. Hujus sanguine empti sumus.

Instructio meritoria.

Ne haustus in quadragesima dissipetur spiritus, & nostra tam sanctè operibus pœnitentiæ exculta maculetur vita, hodie recollectionem adhuc continuemus mentis, fugientes publicum, & cum solo Jesu agentes, recitemus *Cursum Marianum* cum *Te Deum Laudamus*. Gloriari oportet in Resurrectione Domini! procul cum sensuum dissolutione.

II.

CHristus resurrexit. O magnum patientiæ nostræ fundamentum! frangant ergò corpus jejunia! labores gravent! frigus incurvet! deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus! patiar omne, in mortali corpore, non durabunt dolores: Resurget splendi-

dum, & immortale. S. Augustt. O mercedem patientiæ!

Instructio meritoria.

Ad modum diurnæ tesseræ sæpiùs per diem repetamus verba S. Jobi: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die surrecturus sum.* Ut autem feliciter, Rosarium de quinque Mysteriis glorioſis offeramus cum gemitu: *Domine! quando venies? aut comparebo antè faciem Dei mei?*

III.

Si consurrexistis cum Christo, clamat Paulus, *quæ sursum sunt, quærite; ubi Christus est, in dextera Dei sedens.* Fili! quid ad hæc nostra proposita? surrexit, ut nobis sedem in cœlo pararet gloriæ. Attendamus, ne morum dissolutione perdamus. Ubi Jesus, ibi sit & pia anima.

Instructio meritoria.

Vivamus igitur in gaudio spirituali, & ter visitantes Sanctissimum Altaris Sacramentum in honorem quinque Vulnerum Jesu jamjam glorificatorum *decem Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri*

Patri &c. oremus. Audeat amor majora, ſi generoſus eſt!

Feria II. Paſchalis.

EXHORTATIUNCULA I.

SUrrexit *Dominus verè.* Sic credimus? fili! nam qui ſurgit, & iterùm cadit, non verè ſurrexit. Surgere igitur, & denuò cadere, eſt quaſi non ſurgere, imò deterius eſt, quàm non ſurgere. Attendat proin, ne in mala, de quibus per S. Quadrageſimam heroicè ſurrexit, reincidat in futurum. Relapſus provocat Deum.

Inſtructio meritoria.

Ecce! ſanus factus es! jam noli peccare. Linguæ per diem hodiernam ſollicitè invigilemus, ne tempore converſationis deficiat in verba malitiæ. Pro perſeverantia omnium juſtorum *tres primas Decades* ex Roſario Glorioſo cum 12. oſculis terræ perſolvamus. A terra diſcat tacere lingua.

II.

NOlunt duo diſcipuli euntes in Emaus dimittere Dominum, rogantes,

mane nobiscum. Fili! si Deum solummodò ad breve tempus teneamus, & quavis peccandi occasione statim dimittamus, verè Dei Bonitatem deludimus: Sed hoc ô quantâ cum impudentia! nec deerit Judicis vindicta. *Perfidus enim* (minatur S. Bern.) *odibilis est, & filius fiet* Gehennæ. Hæc non terreant?

Instructio meritoria.

Teneamus, & tenendô stringamus Jesum, ne nostris ampliùs excidat osculis, & amplexibus. Hodie in Emaus est; quæramus visitandô cœmeterium, & quia Resurrectio est mortuorum vita, peccatorum venia, & sanctorum gloria, pro solatio defunctorum *speciale Rosarium* de 5. glorioſis Mysteriis oremus cum *Vesperis* ex officio Defunctorum. Quærite, & invenietis.

III.

FIli! ad Resurgentis Jesu aspiramus gloriam? benè. At recordemur, quanta oportuerit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam. A Cruce, à Passione quis nos exemit? sacrum nunquid

quid Pascha? minimè; quia adhuc pendet Christus de Cruce.

Instructio meritoria.

Fortè diabolus tentabit, paschalia turbare gaudia? resistamus fortiter in fide, recitandô Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Tessera sit nobis diurna: *Gaudebo in Domino! iterum dico: Gaudebo.* Aversantur hæc gaudia inferi.

Feria III. Paschalis.

EXHORTATIUNCULA I.

QUanta, ô fili! erga incredulum Thomam Dei clementia? *Affer* (jubet) *manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis.* Non obliviscar tui, quia in manibus meis descripsi te. En! perpetuam nobis promisit Christus nostrûm memoriam. Et hæc respectu illius tam rara in nobis! ô confusio! ô ingratitudo!

Instructio meritoria.

Cuilibet sacramentali communioni posthac speciale jungamus propositum, quô nostram contestabimur in Deum

fidelitatem; hodie à temperantia incipiamus, pro qua obtinenda ter spiritualiter communicabimus cum adjunctis temperantiæ actibus, & Psalmo: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum.* Gustate; quia suavis est Dominus.

II.

EGo *sum*, ait Jesus stans in medio discipulorum quasi diceret: Ego solus, & non alius mecum, sustinui, passus, & crucifixus sum pro vestra salute: *Pax vobis!* en! fili! nostris oportet meritis consequi effectum Passionis Dominicæ; nam diligentibus, & quærentibus Deum omnia cooperantur in bonum; pigris verò & negligentibus in peccatum. Tu quis es?

Instructio meritoria.

A manè, & nocte excutiamus generosè torporem, & pro augendo fervore in Divinis obsequiis, & augendis meritis oremus Officium de Dulcissimo Nomine Jesu. Jesus ignis est: Accede, & inflammabere!

III. Ve-

III.

VEnit clausîs januîs ad discipulos Christus. Et ô quantus oritur metus. Dispellit Christus dicens : *Ego sum; nolite timere.* Timendus non est Deus, sed diligendus. Quod timendum, solum peccatum est. Hoc si timeamus, nunquam habemus, cur Deum timeamus? fili! qualis hæc doctrina?

Instructio meritoria.

Saluberima. Exequamur, & ut Deus in conversatione nostros custodiat sensus, post mensam coram Sanctissimo Venerabili 10. *Pater & Ave* recitemus cum desiderio : *Anima Christi Sanctifica me &c.* Sic socius erit inter pericula Jesus.

Dominica in Albis.

EXHORTATIUNCULA I.

MOriamur tandem sæculo, ut eò perfectiùs vivamus Christo tanquam filii novogeniti. Sed quæritur: Quomodo? dico: Puritate, & candore mentis ac conscientiæ. Ita hodierna monet Dominica in Albis. Fili! ô si mundi fieremus toti!

In-

Instructio meritoria.

Votum hoc sanctum est : ut confirmet Mater pulchræ Dilectionis, oremus *Officium Majus.* Castam Matrem castus decet filius.

II.

PAcem dat suam nobis hodiè Christus. Unde ergè tanta in cordibus tristitia ? fili ! audiamus S. Chrysostomum : *Nemo lædituv, vel turbatur, nisi à seipso.* Omnis inordinatus affectus pœna sibi est maxima. Curemus itaque, & sanemus, ne cum pace cordis amittamus & angelum pacis, Christum Dominum.

Instructio meritoria.

In actuali commotione nihil loquamur, sed vel orando, vel spiritualiter aliquid legendo, nos intra nos colligamus. Pro conservanda autem cordis tranquillitate recitemus *Officium* de Dulcissimo Nomine Jesu. Pacem invenit, qui Jesum ore & corde diligit.

III.

SIc est ! visô Dominô gavisi sunt Apostoli. Profectò totum gaudium nostrum

strum esse debet solus, & unicus Deus. Ita D. Augustt. Qui vult securè,& quietè gaudere, in eo gaudeat, qui non potest perire. Gaudium nostrum non est de hoc mundo. Cur tamen delectamur in eo?

Instructio meritoria.

Pateat cor nostrum soli Deo. Ergò ad ecclesiam nobiscum per trinam Visitationem. In prima recitemus *Officium de SS. Altaris* Sacramento. In secunda Rythmum S. Thomæ: *Adoro te devotè latens Deitas.* In tertia *Litanias* de SS. Nomine Jesu. Visita, & visitaberis.

Dominica II. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

Amor purus non est mercenarius, ait S. Bernardus. O quàm rari Amatores puri! quærunt potissimi, quæ sibi honorifica, commoda, ac delectabilia; pauci, quæ sunt Dei & Jesu Christi. Ex quorum numero sumus? ô si paucorum!

Instructio meritoria.

Amor impurus, & mercenarius, ut cordi-

cordibus pellatur omnium Christianorum, offeramus Christo Officium de Suavissimo *Nomine* suo, addendo Rythmum S. Franc. Xaverii : *O Deus!* ego amo te. Quis ut Deus!

II.

QUod lupus inter oves, hoc peccatum est inter opera bona : *Lupus rapit, & dispergit oves*, ait hodiernum S. Evangelium. Idem facit & peccatum. Rapit, & dispergit Deum, cœlum, omnia, quis sibi non timeat à tam crudeli bestia?

Instructio meritoria.

Lupus instat! fugiamus! in hac fuga stat omnis salus. Ut nos præservet Deus, à manè expansîs brachiîs recitemus Psalmum : *Miserere* cum *De Profundis*. Latrat dæmon : Quid tum? non mordebit fugientem.

III.

DAt Christus animam pro ovibus suis. Quis hic modus, quàm mirabilis ars amoris? petit à nobis, hanc, vel illam sibi donari passionem, tristitiam, & tolerantiam tempore Crucis:

Petit

Petit voluntatem, & judicium sibi offerri in victimam : Sed ô ingratitudinem! omnia ei negamus. Reddimus potiùs pro bono malum, pro virtute peccatum.

Instructio meritoria.

Impugnemus impugnantes nos, & passioni, quâ vehementiùs infestamur, in honorem septem Gaudiorum Beatissimæ Virginis opponamus septem actus contrarios cum Psalmo ter repetendo : *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.* Hostis cadit resistentiâ alterius.

Dominica III. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

VUlt Christus Jesus, ut gaudia fallacis sæculi penitùs mittamus, & cum Ipso in solis tribulationibus, tentationibus, & adversitatibus gaudeamus. O fili! nónne durum, & asperum hoc mandatum est? oportet tamen implere, si & ipse cupiat cum Jesu æternùm lætari in cœlis.

Instructio meritoria.

Obvias Cruces, & ærumnas hodie accipia-

cipiamus de manu Dei gratias agentes, & dicentes : *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.* Et ut inter adversa semper gaudeamus, & contristemur nunquam, in venerationem 7. gaudiorum B. V. M. recitemus hodie *Cursum Marianum.* Maria in gaudio : Cur tristis est anima tua?

II.

Modicum & non videbitis me. Magna veritas! profectò modici & breves sunt dies hominis, & tota ejus vita quid aliud nisi breve modicum, quô homo vivit, videt, & videtur. Sed paulò pòst inveniemus eum in tumulo. Sic in ictu oculi clauduntur omnia. Fili! ut quid ergò transitoriis, momentaneis immergimur?

Instructio meritoria.

Legamus ante somnum adhuc aliquid de morte, & sequetur suavissima nox. Mortis memoriam ut in sensibus nutriamus, oremus illum Lessum : *Dies iræ, dies illa &c.* cum Psalmo *Miserere.* Beatus, quem si venerit Dominus, invenerit vigilantem.

III. Fi-

III.

FIli! modicum est in comparatione cum cœlo, & æternitate, quidquid possidet mundus. Et hôc modicô multi sibi emere solent cœlum cum Deo; at plures (& quæ hæc insania?) miserias sibi comparant perpetuas; quia pro Deo & cœlo sibi eligunt mundi, & vanitatum stercora. Nos quid statuimus? si sapimus, Deum cum cœlo.

Instructio meritoria.

Suspiciamus igitur patriam supernam cum suspirio: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio.* Et ut crescamus piis desideriîs erga Deum, & nostram in cœlis quondam obtinendam gloriam, trinam instituamus Visitationem ad templum, & Ecclesiam, ubi quàm devotissimè persolvamus Psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* O Jesu! bonum est ibi esse; faciamus nobis tria tabernacula.

Do-

Dominica IV. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! non iraſcamur, aut contriſtemur, ſi Deus nobis ſubtrahat internæ gratiam devotionis, aut alias minùs prævisas ſubmittat adverſitates. *Expedit* enim, ut Chriſtus *vadat*, & immittendo Cruces ſeſe ad tempus abſcondat. Sic enim veniet Paraclitus, & ſuis nos viſitabit gratiis. Carere Deô propter Deum, ſumma ſanctitas eſt.

Inſtructio meritoria.

Ad impetrandam fortitudinem, & Chriſtianam conſtantiam tempore tribulationis recitabimus *tres primas Decades* ex SS. Roſario Doloroſo in ſatisfactionem omnis noſtræ impatientiæ, & indignationis. Pati! pati! ô fili! non dejici!

II.

QUam rara hominibus veritas! plerumque hæc parit odium, & perſecutionem. Fili! tu ſuſtine, & ſta pro Dei honore non quid judicet, aut ſentiat homo, attende; ſed quid bona,

na, & recta dictet conscientia, exequere. Sic eris perfectus Christi discipulus hodie de seipso attestantis : *Ego veritatem dico vobis.* In schola Christi non datur nisi Veritas.

Instructio meritoria.

Ut maneamus perpetui veritatis-, & Justitiæ cultores, persolvamus in honorem Verbi Incarnati 12. *Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* & osculis terræ. Premamus labia, ne devient in Verbo.

III.

FIli! judicabimur de peccato, & justitia. Credimúsne hoc? cur ergo peccare non timemus? cur virtutem, & Deum non diligimus? arguamus jam nos ipsos, humiliando capita nostra, pœnitendo de vita præterita, & iniquitates deplorando. Profectò sic nobis Dei tribunal reddemus propitium. Esto judex tui, & non erit Deus.

Instructio meritoria.

Ut timorem acquiramus perfectum omnis peccati, simúlque cordibus implantemus radicalem amorem veræ sanctita-

ctitatis, & justitiæ, unam specialem visitationem Sanctissimi Venerabilis instituamus, & coram eo 33. *Pater & Ave* persolvamus expansîs brachiîs. Fili! quò proximior Jesu, eò remotior à peccato.

Dominica V. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

PEtite, & dabitur vobis, non potest abstinere Deus, nec sese continere à nimia liberalitate; perpetuò cupit benefacere. Ideò nos exhortatur, ut sine intermissione oremus, quia sine intermissione vult dare, quomodo ergo irritum facimus votum Dei, & bonum nostrum, nihil petendo? fili! mendici sumus Dei; fiducialiter pulsemus; & aperietur thesaurus indeficiens. Magni Domini volunt rogari.

Instructio meritoria.

Verùm misereamur præprimis dilectæ Matris, Romanæ Ecclesiæ, pro cujus stabilitate, & incremento recitabimus coram Sanctissimo Altaris Sacramento (tempore tamen opportuno) *Litanias de*

de Omnibus Sanctis. Amor erga Matrem probat filium.

II.

VUltne amari à Patre Cœlesti? fili! ergò Christum diligat; quia ipse dixit: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Qui Christum non diligit, dispergit, dilecte! hunc solum teneat; cætera contemnat.

Instructio meritoria.

Ad impetrandum sæculi contemptum adeamus Cœmeterium, & post præviam transitoriarum vanitatum considerationem vesperas subjungamus ex Officio Defunctorum. Sepulchra inspice, & sapere disce.

III.

MOnet D. Paulus in hodierna Epistola: *Chariſſimi Fratres! estote factores verbi, non auditores tantùm.* Non quid sciverit homo in via mandatorum Dei, interrogabitur in extremo judicio, sed quomodo eadem observaverit. Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi! en! effatum S. Jacobi.

Instructio meritoria.

Ut verò in accuratum & fidelem Divinorum mandatorum excrescamus executorem, in nostro cubiculo humiliter coram Crucifixo genuflectamus, & cum magna cordis compunctione persolvamus : *Confiteor Deo Omnipotenti &c.* Sícque Jesu doloroso culpam nostram dicamus de omnibus nostris negligentiis, præsertim de tot omissîs pretiosîs virtutum variarum operibus, quæ debuissemus operari ex multiplici instinctu Spiritûs Sancti, & non operati sumus. In fine addamus Psalmum *Miserere.* Peccasti ? non erubesce te humiliare.

Dies Rogationum.

EXHORTATIUNCULA I.

PUri, & mundi accedamus ad orationem. Induamus nos meritis Christi, quæ nostra sunt : Nam illa nobis commodavit. Per Jesum ergò ô fili! deprecetur Patrem, ut eò promptiùs moveatur ad dandam vobis petitam eleemosynam. Anne minùs misericos est Deus, quàm nos miseri ?

In-

Instructio meritoria.

Munda ut sit semper oratio nostra, Processioni hodiernæ interfit cum omni gravitate & modestiâ angelicâ, & ex speciali devotione erga SS. Trinitatem persolvamus officium minus de eadem, deprecantes pro distractionibus sub precibus sæpè sæpiùs admissîs. Cor mundum respicit Deus.

II.

FIli! conqueri non possumus de Deo, si nobis non concedat gratias, quas petimus ob Passionem Filii; quia nec nos ob illius mortem volumus deponere culpas, & defectus quotidianos. Quomodo volumus inclinare voluntatem Patris ad nos ob sanguinem Filii, si ob eundem sanguinem nondum statuamus nostram relinquere voluntatem perversam? irreverenter petimus: Et exaudiri *desideramus*? qualis temeritas?

Instructio meritoria.

Satisfaciamus proin, & coram quadam imagine dolorosa 12. *Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* recitemus, ac pro sancto odio propriæ volun-

tatis morienti ex obedientia Christo Redemptori offeramus. Obediendô similes erimus Altissimo.

III.

MIrum! homines volunt non tam rogari urbanè, sed & humiliter: Et nos Deum præsumimus exorare elati, immodesti, garruli, & distracti? discamus à Christo orare in horto. En! fervet etiam usque ad guttas sanguinolenti sudoris. Ubi fervor? ubi devotio?

Instructio meritoria.

Ut imitemur, in honorem omnis à Christo Jesu effusi pretiosi sanguinis 15. *Pater & Ave* persolvamus, quibus & illam jam notam oratiunculam subjungamus: *Respice, quæsumus Domine! super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Jesus Christus non dubitavit &c.* Ex die & festo Cœnæ Domini. Inuncta sanguine Christi ô quàm Deo accepta oratio!

In

In Festo Ascensionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

PRæcessit Jesus ad nostram gloriám: Præparavit nobis sedem à dextris Patris. Nostrûm est, vitâ exemplari, & contemptu sæculi occupare, & assequi eam. Utique non morabimur? ergo citò ad labores! & ad virtutum itinera.

Instructio meritoria.

Ut eò feliciùs pergamus, tres primas Decades ex SS. Rosario Glorioso recitemus, & in fine inter angelicos jubilos intonemus *Te Deum Laudamus*. Lætetur cor quærentium Dominum.

II.

VAdit Jesus. Invitat nos, ut sequamur. Et quomodo? relinquamus mundum ùt Jesus, & deponamus vana, inania, transitoria desideria, sursúmque tendamus ad immortalia. Sic perveniemus, ubi regnat Christus Jesus mortis triumphator nobilis. Ab exilio itaque ad patriam!

Instructio meritoria.

Et ne aberremus, solitudinem hodie

quæramus, aut conversationi interfimus cautissimi; privatim verò ascendentem ad cœlum Christum Dominum comitemur Psalmô Davidicô: *Laudate Dominum de cœlis, Laudate eum in excelsis.* O quàm sordet terra, dum cœlum aspicio!

III.

EJa dilecte! neglectîs terræ sordibûs, mentem, & oculos ad cœlum convertamus, ubi Jesus nos expectat. Abiit Christus in requiem suam. Quando ibimus & nos? post multam passionem, & patientiam. In valle lacrymarum, & miseriæ homo ambulat, quamdiu vivit in terra. Et hanc tamen ita diligimus? sordescant tandem vilis glebæ stercora! nati & dati sumus terræ: Vocati verò ad cœlum.

Instructio meritoria.

Ibi ut nostram inveniamus optatam requiem, hodiernam sacramentalem communionem eò ordinemus, diem certam per hebdomadem pro morte determinemus, huic specialia opera designemus, & ut post multos labores suavi-

suaviter requiescamus in sinu Jesu, & Mariæ, pro dispositione mortis felicissimæ *Litanias Lauretanas* recitemus cum Vesperis ex Officio Defunctorum. Domine! quando venies?

Dominica Infra Octavam Ascensionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

MOnet hodie D. Petrus: *Fratres! prudentes estote, & vigilate in oratione.* Sanè vigilandum, orandum, & sanctè, ac prudenter hîs diebûs vivendum est; quia appropinquat tempus gratiarum. Vivemus autem prudenter, si puritati, ac internæ recollectioni studuerimus exactè. Ah! si Deus intùs, quanta consolatio?

Instructio meritoria.

Pro condigna ergò præparatione ad Spiritûs Sancti Adventum imploremus omnes Sanctos Cœlites per Litanias Majores, & manè vix excitati, nos statim è lectis proripiamus, & procidentes in genua suspiremus: *Veni Sancte Spiritus.* Recitemus & hoc die Officium minus

de Eo. O Beata dies, cujus initium tantus Deus!

II.

ECce! stat, & pulsat ad cor nostrum Divinus Hospes. Spiritus Sanctus rogat: Aperi mihi. Quid, fili mi! statuemus? claudamus mundo, carni & diabolo, & solum admittamus Amoris Spiritum. Tunc gustabimus, quàm sit jucundum, relinquere se, & cætera omnia, & duntaxat quærere æterna. Si Deus non placeat, quid erit aliud?

Instructio meritoria.

Ut autem in nostris divertat cordibus Amor Divinus, flexîs genibûs persolvamus *Litanias* de Spiritu Sancto, septémque actus renuntiationis de sæculo speciales exerceamus, & exercitos Ven. Patri Spirituali fideliter exhibeamus, aut pro exercendis paternam efflagitemus licentiam. Amorem amori tribui expedit.

III.

O Quanta in nos Dei Bonitas! Deus non erat contentus, suum dedisse Unigenitum pro pretio Redemptionis nostræ: Desuper fontem aperuit omnium

nium donorum, dum Spiritum Sanctum promisit. Potuítne Deus, utut infinitè potens & Dives, plùs nobis donare? non potuit, quia seipsum dedit. Et qualem à nobis dispositionem exigit ad recipiendum? prorsùs modicam. Deus omnium bonorum plenitudo est; plenitudo verò, nisi vacuum inveniat, se effundere non potest. Cor ergò evacuemus nostrum, evacuemus nobîsmetipsîs, evacuemus desideriîs sæculi, & omnibûs, quæ Deus non sunt. Sic veniet dies, & implebimur Spiritu Sancto. Fili! exinanite! quid moramini?

Instructio meritoria.

Ut tantam promereamur gratiam, jugiter ex Adventu repetamus illa *septem O. Majora* cum adjuncto in fine hymno: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita &c.* Certáque bona opera per hos octo dies pro condigna cordis præparatione exercere statuamus, sed cum præscitu, & benedictione Ven. Patris Spiritualis. Clama, ne cesses. Tempus non erit ampliùs. Ut invenias, nunc expedit, ut quæras.

Dominica S. Pentecostes.

EXHORTATIUNCULA I.

DUrum est ô fili ! resistere Spiritui Sancto, vel Eum contristari. Et quoties non contristavimus ? negligendô Illius Divina lumina ? sit tandem finis ingratitudinis nostræ, & audiamus, quid tantus Hospes nobis imperet, videlicet: *declina à malo, & fac bonum.* En ! peccatum horret, & virtutem desiderat. Negabimusne ? absit !

Instructio meritoria.

Proin ut in fuga, & horrore peccati crescamus, magis, magísque virtutem æstimemus, hodie ordinario Rosario jungamus & alterum sub Mysteriis Glorioſis. Manè excitati à somno, statim elevemus oculos ad cœlum, & Divinum Hospitem invitemus inclamantes : *Veni ô S. Spiritus ! reple tuorum corda fidelium.* Sponsam sponsum venerari decet.

II.

NEscitis, quia templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Fili ! si hoc, necesse est, ut caveamus quàm

quàm diligentissimè, ne vel sensus, qui templi hujus sunt januæ, vel cor, quod est sanctuarium, curiositate, aut evagatione fœdetur. Simus ergò custodes internæ puritatis.

Instructio meritoria.

Ne amittamus, solitarii vivamus ad unam, vel horam alteram. Sic oculi, sic & lingua in quiete erunt. In solitudine verò nostra colloquamur Spiritui Sancto, orandô flexîs genibûs 12. *Pater & Ave* in venerationem duodecim Fructuum Spiritûs Sancti accedite, & illuminabimini.

III.

HEu! quæ lecta sunt nobis verba Christi! *Cùm venerit Ille, arguet mundum de peccato, quia in me non crediderunt.* Spiritus proin veniet Domini, ut condemnet infidelitatem, vel potiùs fidem mortuam tepidi Christiani, qui cùm Christum Jesum verè cognovisset, non tamen sicuti Deum glorificavit; quia fidei suæ per mores corruptos infamiæ notam asperfit, & per improbam vitam divinas impugnavit veri-

tes. Fili! quæ est vita nostra? si sine operibus bonis, judicabimur graviter. In Jesum credimus? *Fac opera Christi, ut vivat fides tua*, ait S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Capimus? nulla proin hâc die nobis prætereat hora sine labore, aut pietatis exercitio. A prandio speciali visitatione veniamus ad Jesum, & coram Sanctissimo 15. *Pater & Ave* cum *Credo* persolvamus in honorem quindecim SS. Mysteriorum Vitæ Jesu. Otium fugiamus & ardebimus Spiritu Sancto.

Feria II. post. S. Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

NUlla in discendo mora datur, ubi Spiritus Sanctus Doctor adest. *Tace*, fili mi! *quiesce*, & *late*. Tunc audies, quid tantus cordi tuo loquatur Deus. Quis nescit, quantùm homo indigeat illius alloquiô?

Instructio meritoria.

Id ut mereamur frequentiùs, semel hâc hebdomade saltem nos subtrahamus publicæ conversationi. & locò hujus adea-

adeamus Ecclesiam, oraturi 14. *Pater & Ave* in honorem septem donorum Spiritûs Sancti promittentis: *In solitudine me invenies.*

II.

AD faciendum bonum quid in nobis bonus non operatur Spiritus? profectò monet, movet, & docet. Monet memoriam: movet voluntatem, & docet rationem: Nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit spiritus sapiens, & dulcis. Et ô fili! nos tam duri, tam frigidi, & incurii sumus?

Instructio meritoria.

Magnum donum circumspectio! ut obtineamus, in venerationem 12. *Fructuum* Spiritûs S. orabimus 24. *Pater & Ave* cum *Gloria Patri &c.* In ingressu autem cubiculi semper genuflectentes dicamus: *Veni Sancte Spiritus! ad te meus suspirat animus.*

III.

IN terra datur spiritus, ut diligatur proximus. Datur & è cœlo spiri-

tûs, ut diligatur Deus. Sicut ergò est una charitas, & duo præcepta, ita & unus Spiritus, & duo munera. Fili! cape tibi hoc, qui spiritum dividis, dum Deum te diligere asseris, & proximum ubique contemnis. *Qui vos spernit, me spernit.*

Instructio meritoria.

Petamus igitur Unionem cum Deo, & ut evidentiùs tribuat, coram Sanctissimo meditationem pro opportunitate temporis instituamus de Adventu Spiritûs Sancti cum hymno: *Veni S. Spiritus &c.* & : *Te Deum Laudamus.* Addamus unam, alterámve cibi abstinentiam, quâ nostrum venerabimur Sponsum, & dulcem animæ hospitem. *Quotidie vobiscum sum : Et non cognovistis me!* Quid impudentius? homo recordatur hominis: Cur non & supremi Domini!

Feria III. post S. Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

O Verbum consolationis! *Ego sum ostium*, ait Christus ipse : *Per me si quis* introierit, salvabitur. Fili! utique

utique intrabimus? & ut oves mansuetæ, simplices & obedientes sequamur Pastorem, ne fur veniat, nos mactet, & perdat. Jesu! salva nos! perimus!

Instructio meritoria.

Charitas benigna est. Ut peccatores jamjam de salute periclitantes, denuò revertantur ad gratiam Christi, *Litanias de omnibus Sanctis* devotè, & exemplariter recitemus, additô unô, vel alterô mortificationis actu in mensa exercendô. Beati mites, & misericordes, quoniam misericordiam consequentur.

II.

AH! quot fures! quot latrones nostræ insidiantur animæ. Et quid volunt, nisi ut furentur, mactent & perdant in cordibus nostris Deum cum modestiæ gravitate, & conversione morum? fili! & non cautè ambulemus? circumspectione opus est, ne deviemus ab ovili Christi Jesu. Bonus Pastor vocat! sequere.

Instructio meritoria.

Cum eo ut perseveremus usque in finem, ut & in Christiana circumspectione

ne potenter superemus inimicos nostros, ab actibus sæculi nos hodie abalienemus, & lectioni spirituali erectô, ac liberô corpore intendamus præmittentes hymnum: *Veni Sancte Spiritus!* & in fine subjungentes: *Te Deum Laudamus.* Vita circumspecta & recollecta Laus Dei magna.

III.

UNum est ovile, unus Pastor; quia una Ecclesia, & unum Caput. Sed en! quod sunt, qui illud despiciunt, & a bono pastore sponte aufugiunt? hæretici, apostatæ, & schismatici hi infelices sunt. Pro quorum reditu, & conversione quid statuimus?

Instructio meritoria.

Matrem amat? Jesum veneratur & colit? ne per hæresin passio Christi diutiùs pessumdetur, accedat mi fili! Ecclesiam, & *Psalmos graduales* pro sua pietate recitet, & versus quatuor mundi partes se vertens genuflectat, & cum affectu adorationis dicat: *Te ergò quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Et hoc non sit hono-

nora-

norare, & consolari Matrem? hoc non sit, misereri fratrum?

Festum Sanctissimæ, ac Individuæ Trinitatis.

EXHORTATIUNCULA I.

SCit, quanta sint beneficia Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, & Vocationis. Et his quid debet? se totum. Reddat ergò, quod debet toti SS. Trinitati. Solvamus! hæc dies est gratitudinis nostræ.

Instructio meritoria.

In aliqualem tantæ Bonitatis satisfactionem oremus 12. *Pater & Ave* cum *Te Deum Laudamus.* Jungamus & tres actus heroicos abstinentiæ, quibûs nostrum probemus amorem SS. Trinitati. Deus! quod habemus per te, tibi denuò reddimus.

II.

INquirere de SS. Trinitate, perversa curiositas est: Credere, & tenere, sicut sancta tenet Ecclesia, fides, & securitas est. Videre autem eam, sicuti est, summa, & perfecta felicitas est. Chare! non

non & nos eò suspiramus? feliciter pertingemus, si comites habeamus fidem, spem, & charitatem ardentissimam. Sorores sunt, stringamus.

Instructio meritoria.

Et ut firmiter has virtutes Theologicas teneamus, pergamus ad Ecclesiam, & in honorem SS. Trinitatis tria Altaria salutemus, ubique recitandô tria *Pater & Ave* cum *Credo* & tribus *Gloria Patri* &c. Deus in templis: Quid moramur? vult quæri! vult rogari! mendici & pauperes sumus: Et mendicare erubescimus?

III.

Ego Deus, & non mutor. O gaudium! multa, & mirabilia operatur in nobis SS. Trinitas; verùm manet semper Unus, & indivisus Deus. Cur homo tam citò mutatur & avertitur à bono? & nos imagines simus Sacrosanctæ Trinitatis? deploremus inconstantiam.

Instructio meritoria.

Singulîs diebûs Dominicîs speciale ineamus pactum cum SSS. Trinitate, & quid-

quidquid vel agendum, vel patiendum occurrerit per septimanam, absolutè consecremus ei omnia. Pacto subjungamus: *quicunque vult salvus esse &c.* ad Nomen SSS. Trinitatis profundè nostra inclinemus capita nobiscum illud ruminantes: *si Deus ego sum, ubi honor meus.*

Festum pretiosi Corporis D. N. Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

DUo à nobis petit Jesus Captivus in Venerabili Sacramento: *amorem* & *compassionem.* Amorem; quia in cibum, & potum se nobis obtulit totum; compassionem, quia necdum finis offensarum, ac irreverentiarum, quibus quotidie contristatur in suo Amoris Tabernaculo. Quid igitur agendum, ut & diligamus, & diligendô Dilecto compatiamur?

Instructio meritoria.

Pro avertendis gravioribus offensis, ac injuriis *Litanias* de Sacrosancto hujus Sacramenti Mysterio recitemus in templo.

plo. Manè autem excitati per hanc amorosam Octavam citò nos propipiamus ex lectulo, & provoluti in genua suspiremus ad cœlum, & totum universum: *Centies millies laudetur & adoretur Sanctissimum Altaris Sacramentum!* Non carebit suo fructu hæc generosa matutina devotio.

II.

O Fili! an non hodie ingemiscamus cum mellifluo Bernardo: *si totum me debeo pro me facto, ac creato: quid addam pro me refecto, & refecto tam mirabili modo!* O perfide munde! vade retrò cum tuis deliciis! has offers, ut corpore & anima primas. Non sic Jesus, qui se totum in ara immolat, ut homo æternùm vivat. Quis non accedat?

Instructio meritoria.

Quidquid hodie sumpserimus de cibo, aut potu, intingamus priùs in sanguine, & vulneribus Jesu. O quàm benedicta hæc erit refectio. Nec ulla transeat mensa, ubi circà hujus medium non recolligamus animum, eúmque spirituali communione mentaliter revolvendô

Rych-

Rythmum: *anima Christi sanctifica me &c.* non reficiamus. Pro gratitudine ratione instituti SS. Altaris Sacramenti dicamus psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Grande Mysterium! sed ubi retributio?

III.

Dilecte! grande nobis paratur convivium, in quo Christus Jesus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens repletur gratiâ, & certum nobis datur pignus futuræ gloriæ. O quot sunt beneficia in hoc Sacramento Amoris! & quid rependimus? nunquid offensas? injurias? sed hoc non est diligere Jesum. Ostendam modum alium. Sic jubet Amor.

Instructio meritoria.

Dum soli sumus in cubiculo, genuflectamus versus quatuor mundi plagas cum affectu adorationis: *Laudetur, & ametur centies millies Sanctissimum Altaris Sacramentum.* Subjungamus desuper unam, vel alteram visitationem dulcissimi Venerabilis extraordina-

dinariam. Hospes adest! nugæ valete! præcedit Jesus! non novi vos.

Dominica infra Octavam Corporis Christi, seu Dominica II. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

CHarissime! noli mirari, si vos odit mundus; quia diligitis, & quæritis Deum. Id quod nec dæmon, nec patitur sæculum. Nil interest! oderit vos mundus! quid tum? vos interim eò ferventiùs properate ad Dominum. Quò infensior inferis, eò gratior superis.

Instructio meritoria.

Properate, inquam, & hodie per diem sæpius oculos vestros ad cœlum levate cum suspirio intensissimo: *ô quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!* pro obtinendo contemptu perfecto sæculi, & omnium terrenorum per quadrantem visitemus Sanctissimum Venerabile recitantes 12. *Pater & Ave* cum renovatione trium solemnium Votorum. O quàm dulce est vel horum meminisse!

II.

II.

O Excæcatos homines! paratur mensa regia, invitantur omnes, & singuli. Vix aliquis apparet. Et hoc non doleat amanti Jesu? ad solatia, & recreationes corporis quomodo non festinamus? ad Jesu corpus, & sanguinem (ah! fercula preciosissima!) vix pedem levamus, nauseantes quasi cum Israëlitis super cibo isto leviſſimo! quæ hæc ingratuitdo! irreverentia quanta! erubescamus, dum vel solùm recordamur.

Instructio meritoria.

Satisfacturi, nulli intererimus posthac refectioni sine spirituali communione, quæ instituatur hoc Sancto suspirio: *Jesu! ubi es? habet jam corpus sua: da & animæ tua: auge nimirum fidem, firma spem, accende charitatem, ut nil mihi sapiat, nisi tu Deus meus, & omnia.* Post mensam addatur Officium de Sanctissimo Altaris Sacramento. Cum Jesu prosunt omnia.

III.

O Frivolas mortalium excusationes! ut uxori, bobus & asinis serviant, tem-

tempus suppetit ampliſſimum! hodie ad cœnam invitati magnam, ut reficerentur splendidè, & pretiosè de mensa Domini, tempus defuit comparendi omne, quia clamabant: *habe me excusatum.* Sic ludunt filii hominum cum Deo & cœlo. Verùm hic lusus periculosus est. Deus enim non irridetur! fili! si ludimus, ludimur ipsi.

Instructio meritoria.

Non sic nos, ò fili! ad cœnam magnam, ad gaudia æterna nos accingamus, curiositatem in publico cavendô, & *Rosarium Glorioſum* ordinario adjungendô cum voto: *dissolvi cupio, & esse cum Christo.*

Dominica III. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

SCit filius, quantum sit gaudium in cœlo, & in corde Jesu super uno peccatore pœnitentiam agente. Augeamus hoc gaudium Christo, quia meruit de nobis. Augeamus declinantes à malo, & facientes bonum. Augeamus succur-

currendô periclitantibus tot animabus, ídque per devotas preces, & suffragia ardentissima. Frater redimat fratrem.

Instructio meritoria.

Ut igitur convertantur peccatores obdurati ad Dominum, vitámque seriò detestentur præteritam, invocemus nos omnes Cœli incolas per *Litanias de omnibus Sanctis.* Et versus quatuor mundi plagas genuflectentes signemus cum dicto! *Jesu! fili David! miserere peccatorum!* digna invocatio, per quam obtinebitur multorum conversio.

II.

CHarissimi! rogat hodie S. Petrus, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Abjiciamus igitur cogitationes excelsas, & in simplicitate cordis coram Deo, & homine ambulemus. Cum simplicibus est sermocinatio ejus.

Instructio meritoria.

Duodecim schedulas conscribamus, & cuilibet certum actum, seu opus humilitatis inseramus, & quem manè extraxerimus ex urnula, fideliter exequamur.

O praxin animæ opportunissimam! porrò ad impetrandum donum virtutis adeò necessariæ (qualis est humilitas Christiana) sæpiùs percutiamus pectora nostra cum deprecante publicano dicentes: *Domine! propitius esto mihi maximo peccatori.* Recitetur & Psalmus: *Domine! non est exaltatum cor meum.* Glorificat Deum, qui se humiliat.

III.

O Quàm sollicitus, quàm laboriosus fuit Christus, donec ovem inveniret deperditam! nonaginta novem reliquit, ut reduceret errantem. Et quæ hæc errans ovicula, nisi anima nostra? & hanc unicam habemus, & tamen, ne perdamus, vix unquam curamus seriò, & sollicitè vigilamus; dum interim corpori damus, & permittimus omnia. Verùm ô fili! *Si non es pro temetipso sollicitus modò, quis erit pro te sollicitus in futuro?*

Instructio meritoria.

Æstimatio nobis deest pretiosæ animæ, ut acquiramus, quotidie, antequam

quam eamus cubitum, flexis genibus examen nocturnum instituamus, conscientiam discutiamus, & an per diem plus corpori, quàm animæ datum, consideratè inspiciamus. Subjungatur Psalmus *miserere* expansîs brachiîs. Fili! vis praxin aliam? quoties inciderimus in peccatum (ô si contingeret nunquam!) statim intra nos recolligamur, in terram procidamus, & cum filio prodigo ad cœlum clamemus: *Pater! peccavi! ne intres cum servo in judicium tuum.* Dein datâ, & oblatâ occasione promittamus confiteri. Latet vipera, ubi peccatum: Quis diu intùs toleret?

Dominica IV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

AD æterna! ad immortalia! fili mi! invitamur, dum monet Christus: *Duc in altum.* Tandem valedicendum sæculo, pravis desideriis, & cupiditatibus, si cupiamus soli adhærere Christo Domino! contemnenda hæc sunt transitoria, si ambiamus cœlestia. O igitur nobile donum! contemptum sæculi!

Instructio meritoria.

In hoc strenuè nostram exerceamus animam. Quod fiet, si vel hodie ad discursus vanos, inutiles, aut minùs Christianos clauserimus aures, aut in honestiores, & exemplariores mutaverimus, aut nos penitùs subtraxerimus. Venenum quis hauriet? interim pro impetranda erga vanitates solida nausea 34. *Pater & Ave* in honorem totius ætatis & plenitudinis Christi recitemus. Qui cum Christo, mortuus est sæculo.

II.

LAborant Apostoli per totam noctem, & capiunt nihil. Non mirum: In tenebris navigabant. Quæ nox ista? ô fili! nostra peccata! laboremus, quantum possumus, quantum & volumus. Nisi peccata fugerimus graviora, frustra sunt omnia, frustra jejunia, frustra vigiliæ, & eleemosynæ! ô stultum laborem! & quoties sic laboravimus?

Instructio meritoria.

Si unquam, vel hodie deploremus ruinam bonorum operum, quam incurrimus quôlibet mortali peccatô; sed ut recu-

recuperemus denuò, graduales Psalmos pro opportunitate temporis recitemus coram Crucifixo, aut SS. Venerabili. Quid si & actum jungeret Sacri rigoris? qui castigat corpus, amicus est Dei. Corpori flagella! animæ beata gaudia.

III.

In verbo tuo laxabo rete, ait Petrus ad Jesum. Laxavit: Et ô prodigium! concluſit ingentem piscium multitudinem! ô lucrum obedientiæ, ac confidentiæ Christianæ! profectò plus mi fili! lucrabimur uno actu humilitatis, & simplicis obedientiæ, quàm si per integros menses, & annos in pœnitentiis, in humiliationibus, & corporis castigationibus nos exerceremus ex propria voluntate. Quid punit in inferno Deus nisi voluntatem propriam? quid gaudet, & exultat in cœlo, nisi cæca, & humilis obedientia?

Instructio meritoria.

Sed hîc labor, hîc opus est! quis eò pertinget? en! medium! nunquam exeamus imposterum S. Confessionale, nisi petitô, & obtentô speciali actu Obedien-

dientiæ, quem & nobis ipsis determinemus, ut benedicat Pater spiritualis. Oremus & Feriâ VI. ad pulsum Agoniæ Domini quàm devotissimè, nostrámque infirmam voluntatem commendemus in vulnera morituri Jesu. Moritur ille, ut vivamus obedientiæ.

Dominica V. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

VIrtutem Pharisaicam hodiernum detestatur evangelium; genuinam verò, & verè Christianam, quæ habetur per humilitatem, & simplicitatem cordis intimam, commendat plurimùm. Si Christiani sumus, boni simus in opere. Fili! nolimus solùm videri; judicia hominum fallunt; non verò opera virtutum. Judicet nos Deus! quid homines ad nos?

Instructio meritoria.

Procul cum hypocrisi, & pietate ad speciem! ut possideamus virtutem solidam, Spiritum Sanctum cum septem donis hodie invocemus, & minus Officium de Eo recitemus. Et ut ambulemus

mus viam Domini eò ferventiùs, & tutiùs, cubiculo oculum Dei aut calamô, aut penicillô pictum affigamus. Ubi Deus in corde, ibi nec hypocrisi, nec fraudibus locus. Apage ergò cum illo Machiavellico: *Homo me videt.* Principium sit sanctius nobis: *Deus me videt.*

II.

FIli! quid hodie nobis Christus Jesus? tremenda verba, dum dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Pharisæorum &c. non intrabitis in regnum cælorum.* Ecce! nec virtutes coram Deo securæ sunt; nam vana gloria, aut propria complacentia plerumque eas reddunt invisas Divinis oculis. Chare! scimus ergò, quid supremo persequamur odio? scimus & quid fugiamus continuò.

Instructio meritoria.

Ne tinea tam noxia nostra devoret sancta pietatis opera, quid agendum? meridie, & vespere nostram renovemus intentionem matutinam cum protestatione Davidica sæpiùs aut mentaliter,

aut vocaliter repetenda: *non nobis, Domine! non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Vel: *Te decet laus! tibi gloria Deo Patri & Filio cum Sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.* Quis ut Deus? Reddite Deo, quæ Dei sunt: Cæsari, quæ Cæsaris.

III.

QUis diligit Deum? qui colit, & diligit fratrem, ac proximum. Cæsarem offendimus, si in hujus statuam expuimus. Deum aggredimur, & contemnimus, quoties spernimus fratrem. O fili! quid agimus? non quos natura, & carnalitas, sed quos vult Lex Dei, & rectæ rationis, venerari, & amare oportet. Secùs nobis fiet ùt Ethnicis, & gentilibus, ùt brutis, & bestiis, quæ non amant, nisi quod placet sensualitati. Quales Christiani sumus nos? quales Jesu pro inimicis orantis, & morientis discipuli? ô confusio, si nulla ampliùs inter Ethnicos, & Christianos distinctio!

Instructio meritoria.

Charitas excelsum Spiritûs Sancti donum!

num! ut mereamur, ad noctem quotidie 7. *Pater & Ave* in honorem septem Verborum Morientis in Cruce Jesu persolvamus, & quidem pro omnibus, & singulis, qui nos offenderunt, aut contristârunt. Nunquid redditur pro bono malum? Apud impios. Christianus didicit in bono vincere malum.

Dominica VI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

INanes hodie prohibet curas Christus Dominus, & vanas sollicitudines circà transitoria, dum mandat: *Quærite primùm Regnum Dei; cætera adjicientur vobis.* Extrà, quidquid quærimus, aut affectamus, jam nostra infelicitas est. Et hanc quis appetet?

Instructio meritoria.

A sæculi nugis, & actibus ut liberemur, & liberè ad cœlestia, ac immortalia avolemus nostrîs desideriîs, frequenter hodie vel soli in cubiculo, aut devoti in templo studeamus esse, & pro impetrando perfecto sæculi contemptu in honorem totius Ætatis Christi 34. *Pater*

& Ave oremus. Ludere expedit cum mundo, ne ludamur ab eo.

II.

FIli! Alloquor vos hodie verbis S. Richardi à S. Victore rogantis: *O infelix anima! & misera! usquequò sollicita es, & turbaris ergà plurima? porrò cùm unum sit necessarium, tandem aliquando fige desiderium, dilige unum.* O Unum! & hoc ô dilecte! quanto nobis est pretio? vix modico. Detestemur ignaviam! deploremus errorem. In uno omnia.

Instructio meritoria.

Pro omnibus, sive Religiosis, sive Laicis sæcularibus in negotiis mundanis ex officio detentis, ut seipsos non negligant in puncto salutis æternæ, hodiernam sacrificii auditionem cum SS. Rosario offeramus Deo. Præmium erit nostrum, foviſſe pietatem.

III.

T*Riduò jam sustinent me*, ait Christus de suo dilecto populo. Non murmuravit, non indignabatur, sed patienter Dei expectabat voluntatem? ideò & gran-

grande prodigium, quod hodie coràm cernere meruit, in multiplicatis panibus. O si nos Deo committeremus, nostrásque curas, in eum jactaremus, quàm pacifici, quàm hilares, & quieti ambularemus. Fili! murmur, ira, impatientia quid profuit? nihil, quin nocuit plurimùm.

Instructio meritoria.

Preces mensales cum summa devotione persolvamus, de cibis vilioribus libentiùs, & studiosiùs sumere assuescamus; pretiosioribus verò nos indignos reputemus. Post mensam visitemus Sanctissimum, & pro liberali conservatione, ac sustentatione nostrûm 15. *Pater & Ave* recitemus. Gratis cor Jesu, & Dei beneficia in templo stant nobis aperta. Cur petimus nihil?

Dominica VII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

TRemenda verba! *non omnis*, ait hodiernum Evangelium, qui *dicit: Domine! Domine! intrabit in regnum cælorum.* O fili! factîs opus est,

non verbîs, non nudîs propositîs, & merîs velleitatibûs ad hoc, ut simus hæredes Regni cœlorum. O quantum erravimus! dum sæpiùs pia proposita pro nostro beneplacito aut immutavimus, aut negleximus, ídque pro nostro majori commodo.

Instructio meritoria.

Falsi Christiani sunt, qui multa promittunt, & reddunt modicum. Ut pro tot neglectîs piè conceptîs propositîs satisfaciamus, in proxima confessione nobis ipsis specialem devotionem, aut pœnitentiam zelô sanctiori dictemus, & ad eam peragendam à Patre spirituali licentiam cum Benedictione humiliter petamus. Labi, & inconstantem esse, humanum est: Satisfacere, & compensare, sanctorum. Addamus & per septem dies quotidiè unum ex Psalmis pœnitentialibus.

II.

FIli! quale dat hodie monitum mihi, & ipsi Divinus Magister? sic ille ad discipulos: *Attendite à falsis Prophetis.* Vigilemus, ne & nos de falsis Prophe-

phetis simus, simulando virtutem, fraternam pacem, & charitatem fingendo, in faciem proximum laudandô, & in absentia hujus eum traducendo, vilipendendo. Et quis ab hac hypocrisi, ab hac simulatione, & astutiâ securus? solus, qui in simplicitate, & humilitate cordis cum Deo, & proximo ambulat. Ut fiat à nobis, pro anima propter simulationes luente inter flammas offeramus *Vesperas* ex Officio Defunctorum. Quàm sancta hæc pietas!

Instructio meritoria.

Christiani non est adulari, & alterum laudare in faciem: Et quid modernis temporibus communius? frequentius? fugiamus hoc turpe adulandi genus, & nec alios (dum audiunt præsentes) nec nos ipsos commendemus. Virtus tam propria, quàm aliena cupit celari. Solus Deus illius præmiator est. Ne incidamus in sortem politicorum, & falsorum adulatorum in honorem septem Verborum morientis Jesu recitemus expansis brachiis 7. *Pater & Ave* cum totidem osculis terræ, & filiali protestatione:

Veritatem, & Justitiam dilexi, iniquitatem odivi.

III.

FUlmina audimus: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et necdum benè, & exemplariter vivere incipimus, aut statuimus? ubi timor Gehennæ? fili! aut quis poterit de nobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis? timeamus, ne excidamur. En! securis jam ad radicem posita est! ad fructus igitur pœnitentiæ!

Instructio meritoria.

Quæ autem sterilis arbor illa? anima meritîs & virtutibûs vacua, & tota otiosa, ut nostram impleamus, nulla transeat dies sine actu virtuoso, & meritorio. Libellum itaque conficiamus nobis, cui ante somnum quotidie inseramus actum exercitum præsertim illius virtutis, quâ indigemus maximè. Hic libellus quid loquetur in die mortis? audient, qui moriturientibus nobis quondam assistent; quia omnia quâdam dulcedine, & consola-

solatione cœlesti videbuntur repleta. O praxin! ô exercitium agonizantibus saluberrimum, uti & suavissimum!

Dominica VIII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

DIffamatur hodie famulus, & inde incidit in disgratiam Domini sui. Ecce! quanta vis in lingua, modica carnis portiuncula! jam audio Bernardinum Senensem exclamantem: „ O lingua ne„ quam! tu charitatem extinguis: tu de„primis justos: magnificas impios: tu „fratricidia, parricidia, & cæteras cru„delitates virulentâ impietate commit„tis. Fili! premamus labia, si loqui renuant sancta!

Instructio meritoria.

Plerumque judicantur, traducuntur, & examinantur dicta, ac facta aliorum: ad propria cæcutimus ùt talpæ. Fili! non sic ampliùs. Aliena approbemus illô charitatis principiô: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. O tesseram & cordibus, & cubiculis affigendam! in satisfactionem omnis in loquendo nostræ

stræ incuriæ recitemus speciale hodie Rosarium cum 35. osculis terræ in honorem Verbi Incarnati. O Verbum Dei! te laudent, te glorificent discursus mei!

II.

Redde rationem villicationis tuæ. Fili! est & ipse vocatus in domum Patris Cœlestis, tanquam servus fidelis. Dedit talenta, dedit & dona plurima. Attendat, ut illîs sibi emat Dei gloriam, suam, & aliorum animam. Sic enim semper parati inveniemur, ut non tam severo Judici, quàm Patri respondeamus quondam clementissimo. Operemur bonum! mors pulsat!

Instructio meritoria.

Abusum villicationis, seu beneficiorum, ac talentorum ut compensemus, animas in purgatorio specialiter nobis habeamus commendatas, quarum si debita sacrîs exegerimus suffragiîs, delebunt & illæ nostra. Eâ enim mensurâ, quâ mensi fuerimus, remetietur & nobis. Misereamur proin, & per 8. dies *Vesperas* ex Officio Defunctorum quotidie

tidie dicamus. Frater adjuvet fratrem! aut frater non est.

III.

Jam non poteris villicare. Cui loquitur Deus? Amice! vobis, & mihi. Omnia profectò tempus habent. Veniet tempus, ubi amplius non poterimus operari. Agendum est modò, quod egisse expedit æternùm. Quis jam perdere audebit tempora? quis indulgere facetiis, insulsis nugis, aut inconvenientibus levitatibus? absint hæc à filio. Ad majora natus & vocatus est. Audeat generosiora!

Instructio meritoria.

Qui sanctè, & beatè vivere intendit, sollicitudinem omnem impendat distributioni temporis diurnæ. Huic novam intentionem vel maximè sumptô in refectorio prandiô adeuntes Sanctissimum præfigere assuescamus. Non pro libitu invertamus Ordinem vitæ, imò factæ sine rationabili causa mutationis, aut interruptionis pœnam à nobis exigamus in die S. Confessionis. Sic reviviscent amissa tempora.

Do-

Dominica IX. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

AH! fili mi! quid hoc? Jesus plorat. Videt Jerusalem: Et flevit super illam. Adeò hujus civitatis ingratitudo, & inconstantia displicuit Dei Filio. O si intueatur & nostram! an non renovabitur dolor? & id quoties factum hactenùs?

Instructio meritoria.

Abstergamus lacrymas, & in compensationem ingratitudinis nostræ coram Sanctissimo nos abscondamus, dictáque prostrato corpore de offensis humili culpâ *Litanias majores* subjungamus. Humilitate, & oratione placabitur offensus, & contristatus amor.

II.

HEu! quàm tremendas ex hodierno Evangelio percipimus minas! *Venient dies in te*, ait Christus ad Jerusalem: *Circumdabunt te inimici vallo, & coangustabunt te undique.* Fili! quando hæc erunt? dum dies venerit mortis. O diem horrendam! & tamen vix memores

mores tui vivimus. Imò vivimus, quasi nunquam morituri. Væ imparatis! justò Dei fiet judiciò, ut, qui nos parare cùm possemus, noluimus, non possimus, cùm velimus.

Instructio meritoria.

Præveniamus hos terrores: Et quotidiè ante lectum stantes nostrum, nos ipsos interrogemus: *Paratúsne ad mortem? si non hodie, quando eris?* elicitò dein doloris perfecti actu, factáque nostræ incuriæ deprecatione incumbamus lectulo, sub dulci cantico: *Nunc dimittis servum tuum in pace.* Qui quotidie mori paratus, non timebit à die novissimo. Pro tranquillâ, & consolatoriâ mortis horâ, præsertim pro alleviandis, vel omninò impediendis illis extremis angustiis spondeamus, nunquam omittere Litanias Lauretanas, quibus in fine *tria Ave* annectamus à B. V. S. Mechtildi commendata.

III.

FIli! Amamúsne Christum? ergò & ecclesias, & templa veneremur. *Domus* enim *mea*, ait hodie, *domus orationis*

tionis est. Si orationis : O quanta ibi à nobis expectatur humilitas! modestia! puritas! fervor & devotio! O si in his locis intueremur angelos, & sanctos cœlites! quæ tunc nostra foret confusio! quantus nos vagabundos, negligentes, & immodestos invaderet sanctus horror!

Instructio meritoria.

Non patiamur, ut templum Domini fiat spelunca latronum, garrulitatum, & scandalorum. Zelemur Christi Præsentiam, aut garrientes monendo, aut strepitus, & varios impetus ex incuria fortè excitandos præveniendo, aut pro excitatis satisfaciendo per oscula terræ. Deleamus & nostras irreverentias, & flectentes coram SS. Venerabili per octo dies antè cubitum expansîs brachiîs Psalmum *Miserere* & *De Profundis.* Oremus autem pro illis animabus in purgatorio, quæ propter irreverentias in Ecclesiis commissas acerrimè cruciantur inter flammas. Hæ impetrabunt spiritum fervoris, & devotionis.

Do-

Dominica X. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

DUo ascendunt ad templum orantes : Unus superbus Pharisæus ; alter humilis publicanus. Primus repellitur : Recipitur secundus. Fili ! detestemur fastum, & superbiam Pharisæi ; imitemur autem publicani humilitatem. Superbis resistit Deus : Humilibus dat gratiam. Peccavimus ? bone ! cum publicano percutiamus pectus, & humiliemus in oculis Domini capita nostra !

Instructio meritoria.

Humilitatem virtutum Reginam, ut & sibi, & suis impetret, per septem dies quotidie unum ex Psalmis pœnitentialibus coram Crucifixo, vel Sanctissimo recitet : Quin ut cum publicano in omni simplicitate cordis coram Domino Deo in dies ambulet, ab hodierno die vim naturæ inferat, & sedere ad mensam discat erectô semper, & ab omni pariete vel sedili libero corpore sub tessera hodierni Evangelii : *Domine ! propitius esto mihi maximo peccatori.* Pergamus

in

in hoc exercitio, & magni erimus coram Domino. Hic humilitatem respicit, non commoditatem.

II.

QUid in Pharisæis, & hypocritis, ac omnibus impiis periculosissimum? propria confidentia. *Confidunt enim in se tanquam justi*, qui extremi interim sunt hostes Dei. O miseros! quos propria excæcat confidentia! Fili! si justi sumus, in nosipsos confidere non debemus, nec bonum, quod possidemus, nobis adscribere condecet. Unde enim justi? unde boni? unde pii vel devoti? nónne Dei gratiâ sumus id, quod sumus?

Instructio meritoria.

Tinea est propria complacentia, & in suas vires nimia confidentia. Confidit Lucifer, confidit & Adam cum mille aliis. Quò devenerunt? heu! legamus Scripturas, & exhorrescemus. Ad debellandam hanc cruentam bestiam cuilibet operi in nostro cubiculo, vel cellâ peragendo flexîs genibûs tria *Ave* cum totidem *Gloria Patri*: Et collectam: *Actiones nostras quæsumus &c.* præmit-

mittamus, nósque mentaliter Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitati Divinæ affectuosè commendemus. Hîc quid difficultatis? non video. Fiat igitur, quod summopere placebit SSS. Trinitati. Quid habes, quod non accepisti?

III.

CHaritas fraterna ô quàm pretiosum Dei munus! sed cur inter homines tam rarum? quia dantur multi, qui *aspernantur cæteros.* Sunt verba hodierni Evangelii. Estne evidentior superbiæ nota contemptu, vilipensione nostri proximi? ô fili! spernimus fratrem, jam sprevimus Jesum. *Quod enim uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Tali illusori & contemptori quid expectandum in die Judicii? lata jam est sententia? *Nescio vos.*

Instructio meritoria.

Ad implantandam solidam, & radicalem nostrûm ipsorum vilipensionem, & æstimationem omnis proximi 12. actus propriæ excellentiæ, & complacentiæ contrarios exerceamus, & exercitos per manus R. Patris Spiritualis SSS. Trinitati

tati offeramus. Porrò pro illis, quibus natura nostra videtur minùs devota, aut favorabilis, opera totius diei hodiernæ immolemus Crucifixo. Et hoc est rapere violenter cœlum! si non volumus resistere naturæ corruptæ, resistet Deus. Heu! & hoc quâ violentiâ, ira, rigore, furore?

Dominica XI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

MIracula quis nescit Christi Jesu? hæc ne cui dicerent Apostoli, præcepit in hodierno Evangelio Dominus. O fili! si Dei Filius jactantiam fugit, & elationem: Quomodo nos affectemus! qui elatus est, sedet in cathedra pestilentiæ, éstque discipulus cadentis Luciferi. Et hunc nos sequi?

Instructio meritoria.

Superi avertant! *elatum cor*, ait S. Bern. *expers est pietatis, & compunctionis.* Contrahamus sanctam consuetudinem ad laudes humanas erubescendi, & ad alienas cordialiter gaudendi, eásque ampliandi. Laus propria sordet: Nec adu-

adulator hanc promovet. Non attendamus, ne virtus periclitetur. Ut in simplicitate cordis serviamus Deo, insurgente motu propriæ complacentiæ statim flectamus, & Psalmum 130. *Domine! non est exaltatum cor meum &c.* recitemus addendo pro clausula frequentiùs nobiscum repetenda: *Te decet Laus, tibi gloria &c.*

II.

DOcet hodie Jesus benè audire, benè & loqui. Heu! quàm infirmi hîc sumus! accedamus ad Christum, ut bonum tribuat auditum pro instinctibus Spiritûs Sancti, & linguam multæ prudentiæ pro cultu Dei, & charitate proximi.

Instructio meritoria.

Sanabimur, si multum loqui, & frequentius esse inter homines non amaverimus. Nemo securiùs loquitur, quàm qui libenter tacet, & tempore suo obmutescit. Discretam taciturnitatem, & charitatem fraternam in conversatione exhibendam ut impetremus à Jesu taciturno, nullius hodie interrumpamus di-

discursum, vel in alterius verba involemus, & antequàm locum conversationis accedamus, coram Sanctissimo ſ. *Pater & Ave* oremus. Sic socius erit Christus inter pericula.

III.

SUrdus, & mutus adducitur Christo. Nunquid repulit? minimè. Expedit, quandoque surdum, & mutum esse. Surdum ad audiendos sermones statum indecentes : Mutum ad proferendos. O si hæc surditas esset in sensibus nostris! quàm quietiores, quàm tranquilliores viveremus in conscientiis nostris!

Instructio meritoria.

Detrahere, & detrahentem audire, utrumque damnabile est. Cautelam statuamus verbis nostris. Defectus proprios inspiciamus, & aliorum facta nunquam judicemus, aut propalemus. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Circumspectio ô quàm nobis necessaria! ut obtineamus, ad signum salutationis Angelicæ omni devotione, attentione, & humilitate oremus, tribus Ave interponendo petitiones sequentes : *Jesus, qui*

opera

opera nostra sanctificet. Jesus, qui verba nostra ad suum Divinum Beneplacitum disponat, ac dirigat. Jesus, qui omnes cogitationes sibi attrahat. Capiat memoria Jesu devota!

Dominica XII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

HOmo quidam incidit in latrones. Infelix casus! expectat & nos. Jam latrones imminent vana gloria, propria complacentia, elatio, & superbia, quæ non rarò actus & thesauros deprædantur virtutis. Fili! non timebimus? sine Deo incedemus? sensibus & carni serviemus?

Instructio meritoria.

Qui thesaurum suum publicè portat in via, deprædari desiderat. In Ecclesia oremus non cum sibilo, altîs suspiriîs, insulsis tunsionibûs cordis, sed in compunctione, & recollectione mentis. Sic nostra odiosa nemini erit devotio. Novies recitemus Canticum *Magnificat*, & ad præcipuas actiones repetamus Davidis tesseram: *Non nobis Domine! non*

nobis. Gloriam non dabimus alteri, Deo & huic soli debetur.

II.

ET nos languemus in fide cum hodierno Jerosolimitano! languemus in spe, & charitate. Ah! si Jesus suâ nos inviseret gratiâ! oleum suæ charitatis vulneribus nostris affunderet, suósque in humeros susciperet, ut à morte liberet!

Instructio meritoria.

Suscipiet, si charitatem fraternam non amiserimus. Sunt inter hos miseri, & derelicti plurimi. Dispensemus eis verbum consolationis v. g. infirmos visitandô, desolatos animandô, consilia anxiis suggerendô, ad confidentiam erga Deum, & B. V. Mariam inflammando. Quòd non fecerimus hucusque, satisfaciamus, & 15. *Pater & Ave* in honorem 15. Mysteriorum SS. Rosarii persolvamus. Quid sine his Mysteriis?

III.

IN opere supererogatorio ô quantum præcelluit Samaritanus hodiernus? fili! inspiciamus Evangelium, & mirabimur

mur excessum amoris, & sancti laboris. Cur nos vix non jam in Dei servitio dicimus: *Sufficit.* Communia duntaxat præstitimus: Majora expectat & meretur Deus. *Majori labore acquiritur major merces.* S. Thom. Aq.

Instructio meritoria.

Tepiditati nondum ad sanguinem usque restitimus. Hæc sanguisuga quomodo nostra non inficit merita? tollamus, & omnibus SS. exercitiis, Ecclesiæ Mysteriis, Sacrificiis & Rosariis, erectîs manibûs, & libero corpore assistamus cum omni devotione, principalioribus præmittentes studiis hymnum: *Veni Creator Spiritus!* maledictus, qui opus Dei facit negligenter!

Dominica XIII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

DEcem mundati sunt leprosi, & rediit unus, ac gloriam Dedit Domino Deo. Quanta ingratitudo mortalium! quoties & nostra jam mundata est anima sanguine Jesu! erimúsne & nos de numero ingratorum?

Instructio meritoria.

Absit! recolamus ergò hodie beneficia Dei præcipua, nimirum beneficium Creationis, Redemptionis, Conservationis, & Vocationis, & Psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt, Nomini sancto Ejus &c.* Coram Sanctissimo Venerabili, aut Crucifixo quàm devotissimè recitemus, sæpiùs per diem versùs quatuor mundi plagas genuflectentes, & desiderantes: *Ubique laudetur! ubique adoretur! ubique ametur Trinus, & Unus Deus! Sanctus! Sanctus! Sanctus!*

II.

QUis sine lepra? qui sine peccato. Ubi autem ille? fili! súmne ego, vel ipse? nónne peccavimus omnes in Fratrem nostrum Christum Jesum? Quid jam remedii, ut sanemur cum hodiernis leprosis? En! dat divinus Medicus: *Ite! ostendite vos sacerdotibus.*

Instructio meritoria.

Et hoc ô quàm opportunum consilium! toties deficimus: Et vulnera tegimus? toties infirmamur: Et ulcera occul-

occultamus? sic à lepra sanabimur nunquam. Singulîs mensibûs cum R. Patre spirituali conferamus de statu animæ, & salutis. Certè immutabimur inde toti. Præparationi ad S. Confessionem imposterum semper præmittamus hymnum: *Veni S. Spiritus! reple tuorum corda fidelium &c.* Servemúsque silentium usque ad peractam S. Communionem rigidissimum. Hæc cura pro leprosis.

III.

QUis decem leprosos sanavit? Jesus. Quid retribuerunt? *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam.* O quàm citò evanescunt Dei beneficia in cordibus mortalium? & nos inter eos fuimus! fili! doleamus, &

Instructio meritoria.

Dignè satisfaciamus ad Nomina SSS. Trinitatis, ad *Gloria Patri &c.* ad Nomina Jesu, Mariæ, SS. P. Benedicti caput profundiùs inclinandô, in Ecclesia, in choro neminem aspiciendô, quieto corpore psallendô, omnem impetum, ac strepitum, aut errores in divino Officio committendos prævertendô, cavendô.

In honorem SSS. Trinitatis *coronam B. V. M.* cum omni devotione, & reverentiâ oremus, & in fine *Te Deum Laudamus* addamus. Te decet laus! te decet hymnus Potens Domine!

Dominica XIV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Sic est: Nemo potest duobus servire Dominis: Nemo carni simul, & Divino Spiritui. Fili! quis horum in nobis prævaluit hactenus? si passio; si corrupta natura: O quanta exin nobis indignitas! Seneca dixit: *Nulla servitus turpior, quam voluntaria.*

Instructio meritoria.

Ad libertatem filiorum Dei aspiremus. Obtinebimus, si appetitui concupiscibili quoad excessivas recreationes, & nimias hilaritates majorem vim intulerimus generosiores. Hodie mediam horam nobis subtrahamus de tempore recreationis, illámque lectioni spiritualis libri applicemus. Et hoc est gaudere in Domino, & recuperare deperdita tempora.

II.

II.

QUid est vita hominis? respondet hodiernum Evangelium: *Fœnum agri, quod hodie est, & cras mittitur in clibanum.* Et tamen tantus est amor vitæ, ut si vel à longè fiat mortis mentio, vix non desperatur. O fili! hæc, quæ dicitur vita, nihil est, nisi mors quædam perpetua, & exilium à cœlesti felicitate, ad quam procreati, & nati sumus. Vitam amamus: Patriam non curamus: Quid hoc?

Instructio meritoria.

Sequamur Gentilis Senecæ monitum: *Meditare quotidie mortem, ait. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. Qui mori didicit, servire dedidicit.* Consilium opportunissimum! huic ne desimus, hodie aliquid per quadrantem de morte legamus, cœmeteriúmque defunctorum cum *Vesperis* ex Officio eorum visitemus. Beati, qui libenter sunt, & agunt cum fidelibus defunctis!

III.

AD quid tam inutiles curæ? semper de cibo, de potu, de vestitu, de sa-

nitate corporis cogitamus, loquimur, aut ordinamus; interim vix animæ recordamur. Quænam in nobis pars præstantior? pro anima utique mortuus est Christus? & hanc tam turpiter, & viliter tractamus! quia siti, fame perire sinimus. Meritò ingemiscit S. Xaverius: O anima! imago Dei! quis te satis æstimat? satis curat? pro te vitam, & sanguinem Deus ponere dignatus est, cujus nec stillam pro toto extrà te mundo posuisset. Fili! ubi curæ nostræ, si non pro salute?

Instructio meritoria.

Corpori debentur paleæ; animæ cœlestes deliciæ. Concedamus, & hodie post quamlibet refectionem, aut etiam recreationem Sanctissimum Altaris Sacramentum visitemus, & spirituali communione sanctè consolemur jugiter suspirantes ad Eucharisticum Deum: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus!*

Do-

Dominica XV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm inscrutabilia sunt Dei judicia! defunctus hodie effertur, & hic unicus filius Matris suæ. Mors parcit nemini. Rapit æquè rosas & flores, quàm fœnum sterile & aridum. Fili! ne noceat animæ, nostra sit cura unica. Verùm *animam mors non perdit, sed mala vita, abeúntque felices, quorum sine crimine vita est.* Cato.

Instructio meritoria.

Quæ autem sine crimine vita? si frequentiori confessione emundata; si quotidiano examine nocturno ritè perlustrata, & in amore ergà Deum, ac horrore ergà omne peccatum de novo obfirmata. ita fiat! consilium est: non respuamus. Hinc extraordinariam confessionem instituamus cum certis operibus supererogatoriis. Communis vita si non ferveat, displicet Deo.

II.

SUmus & nos ex discipulis Christi. Ita nostra sunt vota. At si Christum

non sequamur ubique, uti factum in hodierno Evangelio à primis Apostolis, indigni sumus hoc nomine. Non audienda ergò corrupta voluntas. Abneganda est. Præcedit Jesu imitatio, & sequela. Servus sit major Domino? obstupescite cœli super hoc!

Instructio meritoria.

Sed quomodo abnegabimus nos, & nostra omnia? desideriis veniendi post Christum ardentissimis: Oblivione propriæ commoditatis: Contemptu temporalium, & amore cœlestium. Recitemus igitur Psalmum: *Eructavit cor meum Verbum Bonum: Dico ego opera mea Regi.* Quid triste nobis accidat, si adhæreamus duci, & Magistro nostro? gaudia omnia, quæ infrà Jesum sunt, vel mendacia sunt, quæ decipiunt, vel inania, quæ non satiant.

III.

Miseretur Christus plorantis mulierculæ, & filium reddit matri suæ. Est fortè & inter nos, qui nostrâ charitate, & misericordiâ indiget? fili! aperiamus manum, expandamus sinum, demus

mus consolationis, patientiæ, & mansuetudinis verbum. Hæc lex evangelica. Quâ mensurâ mensi fuerimus, remetietur nobis.

Instructio meritoria.

Reflexè attendamus, ut hodie neminem (præcipuè nullum ex superioribus, vel confratribus) offendamus, sed ubique debitam in eos charitatem, & reverentiam promoveamus, verba offensiva, acuminosa, & pungitiva impediamus, & omnium paci, ac tranquillitati studeamus. Quapropter coram Sanctissimo, vel in cubiculo coram Crucifixo flexîs genibûs *Litanias de omnibus Sanctis* offeramus pro stabilienda in cordibus nostris perpetua charitate, mandante Christo Jesu: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Dominica XVI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! considereret, obsecro, quomodo invidi Pharisæi omnia Christi observent vestigia, ut invenirent materiam,

eundem arguendi de peccato. Sed frustrà. Firmior inde stetit Christi Innocentia; ipsi verò suô miseri tabuerunt livore. Plerumque invidia interficit seipsam. O igitur malum virulentum! fugiamus : Est enim (teste S. Basilio) *diaboli inventum.*

Instructio meritoria.

Charitas vetat, ait Didacus stella, *ne quid mali proximis suspicemur.* Deliquimus in hoc sæpè mi fili! satisfaciamus, & vel hodie in discursu, conversatione de proximo semper bona, utilia, & consolatoria loquamur, & proferamus. Et si non possumus, prorsùs taceamus. Ut Deus invidias, & judicia impediat temeraria, recitemus Psalmum : *Benedicam Dominum in omni tempore &c.* cum S. Augustini desiderio : Rector meus! tolle invidiam, & da tuam Charitatem.

II.

Filli dilectissime! quale audio præceptum ex hodierno Evangelio? *Da huic locum :* Lego in eo. Sed cui? soli & unico Deo. Huic omnis debetur honor

nor, & gloria. Procul igitur cum fastu, & arrogantia! ab hac initium sumpsit omnis perditio.

Instructio meritoria.

Altæ in nobis assurgunt cogitationes? de officiis! de honorum titulis, de multis, ac magnis studiis ac scientiis etiam in futura meditamur tempora? heu! non demus his locum : Sed Deo, & religiosæ indifferentiæ, ore & corde nobiscum illud Christi repetentes : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Et ut vincamus eò celeriùs, speciale propositum circà hoc superbiæ genus examini particulari, & generali inseramus; certò expugnabimus. In adorationem morientis ex humilitate Jesu expansîs brachiîs recitemus 34. *Pater & Ave.* In humilitate Dei Unigenitus cæpit, continuavit, consummavit. *Quid superbis terra, & cinis?*

III.

EST & aliud Christi consilium pro conservanda charitate, & Christiana humilitate. Dicit enim : *Non discumbas in primo loco.* Honorare omnes

nes homines, semper pium, justum, & sanctum : Velle seipsum : semper periculosum, quia superbum. Fili! volumus amari? amemus. Honorari? honoremus. Honor honorem provocat.

Instructio meritoria.

Sed quomodo exhibendus honor? politici honorant pedibûs : nos capite,& humili corde. Nec simus acceptores personarum. Quotquot, & quales nos transeunt, salutemus, & salutandô veneremur. Si obviaverint inimici, vel nobis minùs devoti, aut accepti, duplicemus, ut duplô major sit victoria. Virtuti tribuamus locum, non passioni. Dicamus Psalmum : *Domine! quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversùm me &c.* & pro omnibus adversariis addamus *Officium minus* de quinque Vulneribus Jesu. Ab his discamus diligere inimicos.

Dominica XVII. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili? quid turpius humanâ astutiâ? en! hodie omnes Pharisæi Christum

stum venerantur, & vocant suum Magistrum, non quasi vellent discere veritatem, sed ut caperent in verbis propriis. Sic sonat aliud in ore, & aliud latet in corde. Nos veritatem amplectamur: & delectabimur in Domino, dabítque petitiones cordis nostri. Perdet enim Deus omnes, *qui loquuntur mendacium.*

Instructio meritoria.

Ut liberemur ab hac miseria, per aliquot confessiones nos specialiter accusemus circà ea, quæ vel charitatem, vel simplicitatem, aut veritatem in nobis minimè commendabant. In satisfactionem quoque eorum omnium dictorum, aut factorum per septem continuos dies quotidiè unum Psalmum ex pœnitentialibus oremus cum 12. oculis terræ. *Magna est veritas, & prævalet.* 3. Esdr. 4.

II.

INvitamur ad amandum: *Diliges Dominum Deum tuum.* Pudeat nos minùs amare Deum, quàm canes Dominos suos! Canis ùtùt objurgetur, aut lapidetur ab hero, amat tamen, non potest repelli; sed magìs accedit, sequitur

tur illum, & caudâ blanditur. O fili! lædit, & flagellat nos adversitate Deus; quia meruimus. O quomodo non refugimus? lamentamur statuentes in corde: *Non serviam.* Et hoc in amando non sit vinci à canibus? Amor! serò novimus te!

Instructio meritoria.

Amorem probat patientia. Quidquid submiserit hodie Deus, tacito patiamur corde, & ad noctem pro tanto dilectionis signo *Te Deum Laudamus* intonemus. *Domine! hîc patientiam, posteà indulgentiam!* S. Laur. Justin. Faciamus & urnulam, in quam sortium locò injiciamus exercitos patientiæ, & fortitudinis actus. Quis tollet nisi Deus?

III.

Bis dat, qui citò amat. Nil, quod nimis grave, præcepit Deus. Fili! citò reddamus. Rem deplorandam! præcipit gravissima mundus: Et suscipiuntur; petit Deus solam præceptorum observantiam (& hâc quid facilius?) petit sui amorem, & reverentiam, (quid dul-

dulcius?) & non impetrat. Quanta injustitia! ingratitudo quanta!

Instructio meritoria.

Hæc scimus? hæc audimus? hæc experimur? cur patimur? amans pro amante vigilat, & nos pro Dei honore. Itaque pro compensatione neglecti, & contempti Dei tam boni ter veniamus ad Sanctissimum Altaris Sacramentum, culpas ibi deprecemur etiam aliorum, & in satisfactionem expansîs brachiîs S. Rosarium addamus ordinario, ad quodlibet *Pater* ingemiscentes : *Amor! & tu non amaris?*

Dominica XVIII. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quid attentat hodie Gerasenorum stultitia? rogant Christum, *ut transiret à finibus eorum.* Nescivit hic ingratus populus, nec agnovit Dominum suum; ideò oblitus est Creatoris sui. Dilecte fili! erubescat ad hæc genuinus animus! transeant à nobis vana, & stolida mundi desideria, ut teneamus, quæ

quæ Christi Jesu sunt, & perpetua. *Hæc ergò spes! si cupimus: Beati sumus.* S. Xav.

Instructio meritoria.

Quô vitiô plerumque cor clauditur Christo? intemperantiâ, & superfluitate in cibo, potu, & somnô. Est, ut dicimus, nobis Christus super omnia. Si ita: Ergò & nostra impendamus studia, ut vel hoc mense quoad temperantiam, & sobrietatem insignia exhibeamus opera, & aliis exempla demus illustrissima. Specialiter Feriam IV. VI. & Sabbathum abstinentiis sanctificemus. Sunt dies Redemptionis nostræ! recordemur!

II.

Filli! ecce turbæ cingunt undique Christum, & glorificant eum. Quæ causa? viderunt enim prodigia. Sed ô debilem fidem! veniet tempus, & clamabunt: *Crucifige! Crucifige!* ita habet stylus sæculi. Dum nos felices, honorat; dum inter adversa, refugit, & nauseat. Dilecte! vide, cui fidas. *Quicquid dicit, promittit, & consulit mundus, falsum, & dolosum est.* Didacus stella.

In-

Instructio meritoria.

Pro tentatis, captivis, & derelictis visitemus Deum Eucharisticum in Ecclesia, útque mittat desursum lumen Divinæ consolationis, & eorum corda roboret donô Christianæ patientiæ Rosarium offeramus de 5. Mysteriis Dolorosis. Hic stylus Christianæ pietatis est.

III.

FIli! nos tangit hodiernum Evangelium, dum quærit? *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Scimus, quàm noxia, quàm inutilia, quàm & indecentia sint, quæ nostris occurrunt sensibus, & cogitationibus. Interrogabimur ideò & in tremendo judicio: Quare *cogitásti hanc rem?* 2. Reg. 14. & quid respondebimus? haud poterimus præ timore, & tremore. Nam *abominatio sunt Domino Deo cogitationes malæ.* Prov. 15.

Instructio meritoria.

Cogitationes pravas sentire equidem peccatum non est; sed in has consentire. Impugnamur ab his graviùs, & instantiùs? statim flectamus, & cogitationes pessi-

pessimas in corde Jesu, & Mariæ abscondamus subjungendô *quinque Pater & Ave*. Si autem Officium de Eorum corde ad-manus, devotè persolvamus, Inde nobis omne lac, & mel. Gustemus! probatum est.

Dominica XIX. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

QUæritur de veste nuptiali? sine hac non admittemur ad nuptias. Induimus, si à benè cœptis nunquam desistamus. Inveniet sponsum, qui non amittit vitæ sanctæ propositum. O quid nobis S. Chrysostomus: *Si à cœpto bonæ vitæ cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrupimus.* Hæc verò perditio ad quid?

Instructio meritoria.

Sunt autem plerumque hominum dicta, aut adversa, quæ nostra immutant proposita. Ah! verbum! heu! adversitatis umbra poterit talia in Dei famulum? quodcunque horum contigerit hodie nobis, per manus omnium SS. Mar-

Martyrum deponamus in dulcissimo Corde Jesu cum suspirio : *Domine! vim patior! responde pro me*, ut augeat patiendi desiderium, addamus Psalmum : *In Convertendo, Dominus Captivitatem &c.* statuentes cum Jobo : *Justificationem meam, quam cœpi, non deseram.*

II.

Filli! unde hæc nobis gratia, quòd rarò acerbos in nobis experiamur, & sentiamus iracundiæ, invidiæ motus? hæc unde? En! respondet D. Bernardus : *Gratias agat Corpori, & Sanguini Christi; quoniam virtus sacramenti operatur in ipso.* Cum gaudio itaque frequentemus mensam Angelicam. Quò frequentiùs, eò fructuosiùs. Invitat Augustinus : *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.*

Instructio meritoria.

Omnibûs diebûs Dominicîs communicandum suadeo, & exhortor, inquit præfatus Ecclesiæ Doctor. Fili! ego autem vos exstimulo, & rogo : Omnibûs diebûs certò spiritualiter communicet; quia Christus ad vos : *Ecce ego vobiscum sum*

sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi : O si vel ad refectionis horam Illius recordaremur! quàm sanctiùs nos reficeremus! incipiamus hodie! filio, & famulo Dei non est crastinum. Dicamus Litanias de SS. Altaris Sacramento.

III.

MUlti ad epulas invitati : Sed pauci electi. Quis est in culpa? an Deus, qui non dedit omnibus gratiam, ut venirent. Credidit id impius Calvinus. Non ita nos, ô fili! sola voluntas propria excluſit à nuptiis. Sic S. Textus : *Nolebant venire.* O nolle! ô pauci electi!

Instructio meritoria.

Vocanti Deo non cooperari, gratiam vocationis despicere est. Ne veniamus in sortem infelicium, paucos, sed egregios in vita spirituali operarios sequamur, & de una confessione in aliam nobis certa proponamus pietatis opera, cum præscitu, & licentia R. Patris Spiritualis fideliter exequenda. Pro beneficio autem mirabilis Vocationis Divinæ persolvamus

vamus Eucharisticum Psalmum : *Benedic anima Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Gratiarum actio est novarum provocatio. Amat sæculum gratos : Quid ergò Deus?

Dominica XX. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! quid hoc? tot homines moriuntur quotidie : Et nos adhuc vivimus hilares, & integri? an non cum Jeremia exclamemus : *Misericordiæ Domini! quia non sumus consumpti.* Ubi corpus? ubi anima, si Dominus non adjuvisset nos? gaudet Deus esse beneficus. Expectat, qui accipiant. Promptior ipse largiri, quàm nos accipere.

Instructio meritoria.

Cur beneficium conservationis quotidianæ perpendimus tam modicè? tandem ô fili! tandem ô dilecte! compensemus, tam in examine particulari, quàm generali illud in specie rememorandô, & in perpetuam Conservatoris venerationem manè, ac nocte *Te Deum Laudamus* orandô. Respondeamus & Ser-

vatori Optimo vitâ prorsus exemplari, & virtuosâ: *Qui enim de sua spe, & operatione securus est, confestim aperit pulsanti, & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.*

II.

QUatuor sunt hominum genera, ait S. Bernardus, qui cupiunt possidere regnum cœlorum, aliqui violentâ rapiunt sui abnegatione: Alii eleemosynîs mercantur. Hi occultando opera bona furantur: Illi ad hoc compelluntur immissione variarum afflictionum, & multarum ærumnarum. Chariſſime! ex quorum numero sumus nos? si ex omnium: Gaudeamus in Domino, & observemus, quod S. Augustinus: *Ora, ut traharis.*

Instructio meritoria.

Ita est! trahat nos Deus, ut toti vivamus ad hujus nutum, & Beneplacitum. Renovemus igitur S. Professionem, & hujus renovatione nostram animam cum omnibus potentiis, & viribus SSS. Trinitati de novo consecremus in fine sub-

subjungatur Canticum: *Magnificat* cum S. Bernardi desiderio: *Deus! pro his omnibus, quod rependam, non habeo, nisi tantùm, ut diligam.*

III.

INcrepamur jam iterum à Christo dicente: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Misera fides! quæ sensibus regitur. Palpari non vult Deus, sed in simplicitate cordis, & vivacitate spiritûs adorari. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Terreat nos incredulitas Thomæ; trahant verò evangelia Ecclesiæ!

Instructio meritoria.

Optima oratio, quæ procedit compuncto corde. Non ore, sed mente veniamus ad Dominum, præsertim, dum hora Sacramentalis Communionis, & Adorationis SS. Venerabilis. Ad Fidei nostræ probationem, quoties intendimus in ecclesia precibus, id erectîs manibûs, & clausîs oculîs fiat. Per hos intrat spiritus, non per manus, aut sensus vagabundos, atque dissolutos. Subjungantur denique *Litaniæ* de SS. Alta-

ris Sacramento, aut de Suavissimo Nomine Jesu.

Dominica XXI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

IRascitur hodie Dominus non famulo, sed hujus iniquitati, non passione odii, sed amore justitiæ, non turbatione mentis, sed fortitudine spiritûs. Hæc ira justa, & sancta est. Quæ verò nostra? an non quotidiana? sed & iræ hodierni Domini in evangelio simillima? fili! *omnis amaritudo, & ira & indignatio tollatur à vobis.* Est mea cum Paulo ad Ephesios admonitio.

Instructio meritoria.

Irasci hominis est, ait Hier. *sed iram non perficere, Christiani.* Ergò dum motus vehementior insurgit ad iram, intrà nos recollecti, à nobis ipsis sine mora interrogemus: *Cur irascendum? quibus irascendum? quomodo irascendum? quando irascendum? quousque irascendum?* sic rarò, vel nunquam succumbemus. Ne impotens hæc in nobis prævaleat passio, *Feriam VI.* jejuniô, & silentiô

lentiô veneremur, oraturi in honorem septem Verborum mansuetissimi in Cruce morientis Jesu 14. *Pater & Ave.* Ira nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat.

II.

O Crudelem famulum! consequitur misericordiam à Domino: & suo confamulo negaverat omnem. Fili! sumus nos veri Christiani? en! litteram characteristicam, fraternam misericordiam. Ideò S. Eusebius Cæsar. *Qui misericordiâ caret, Christianus non est. Judicium sine misericordia, qui non fecit misericordiam.* S. Jac. 2. 13.

Instructio meritoria.

Si clauseris viscera misericordiæ (affirmat S. August.) *indigenti, omnino & tibi claudetur janua Christi.* Sit nostrum propositum, omni justa petenti hodie statim annuere in omni charitate & mansuetudine. Fortè non est, quod demus in eleemosynam? sunt tamen bona verba, & pia in templis suffragia, quæ hodie offerantur cum reflexione ad omnes Christi pauperes, & indigos. In fine

addamus Psalmum: *Ad te levavi oculos meos &c.* Fratres sumus Jesu? & charitatem nesciamus?

III.

QUid sibi hodierna Evangelii verba: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis.* Profectò pœnam innuit Talionis. Libenter remittamus offensas; aliàs nec Deus remittet nostras. Iram nunquam perficiamus; aliàs & Deus acuet suam. Malum pro malo non reddamus; aliàs reddet & Deus. Quàm tremendum, incidere in manus Domini!

Instructio meritoria.

Ergo & quod nobis non volumus fieri à Deo, nec alteri faciamus: Et quod cupimus fieri nobis, præstemus & alteri. Volumus honorari, æstimari, ab omnibus amari; honoremus & alios præsertim illos, quos vel ut discolos, vel ut minùs morigeros, vel ut indoctos, & talentis naturæ vacuos ore contempsimus, & mente vilipendimus. Sex actus speciales exerceamus hodie, quibus charitatem non fictam, sed verè Christianam probemus

bemus orantes pro invicem *Officium Mariæ majus*. Charitate discernuntur Mariæ filii, & clientes.

Dominica XXII. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! propriâ se hodie Christo, & populo prodidere nequitiâ astuti Pharisæi. *Ea enim est peccati proprietas* (ait Didacus de Cast.) *ut seipsum prodat, tacentibûs omnibus, & loquente nemine.* Et non fugiemus confusionem tantam, cujus causa sibi omnis peccans? Malo mori, *quàm fœdari*, & ita prostitui. Ignominia omnis in peccato!

Instructio meritoria.

Cupimus metere honorem? ergò virtutem seminemus. Quod fiet per accuratam sacrorum Exercitiorum observantiam, & expeditionem distributionis temporis fidelissimam. Ne verò propria nos confundat conscientia, oremus Psal. *In te Domine speravi &c.* nihil pretiosius tempore! & heu! nihil

hodie vilius reputatur! transeunt dies salutis, & nemo recogitat!

II.

O Ingrata gens Judæorum! iterum consilium ineunt, ut caperent Jesum in sermone. Ne capiamur & nos in verbo, os nostrum à malo, & pravo custodiamus eloquio, & caveamus ab omni multiloquio. In hoc quis effugiet peccatum? Verè Salomon: *Qui custodit os suum, custodit animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Quis nos liberabit? prudentia, & circumspectio.

Instructio meritoria.

Involare in verba aliorum, & discursus interrumpere, nimiæ garrulitatis, & effusionis est. Qui moribus studet, potiùs audit, quàm loquitur. Subtrahamus hodiernæ recreationi unum, vel alterum quadrantem, & quem fortè dedissemus garrulitati, impendamus vel orationi in templo; vel occupationi piæ in cubiculo. Deploremus deperdita vanitatibûs tempora, & SSS. Trinitati offeramus

Offi-

Officium minus cum 30. *Pater & Ave.* Gaudium ut sit plenum, in Deo, & temporis usu quæramus.

III.

AD imaginem Dei factus est homo. sed ô fili! jam interrogamur: cujus est nostra? *Repræsentemus* (monet D. Bernardus) *in nobis imaginem Christi in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis.* Adhortatur & S. Ambros. *Honorem Divinæ Similitudinis, ad cujus formam creatus es, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere, contende.* Sequamur monita. Sancti dederunt.

Instructio meritoria.

O pudor! exclamat S. Bernardus: De vase stercorum semper curas, de imagine Dei non curas. Imaginem seu vitam nostram ut sollicitè curemus, temperantiæ, modestiæ, & taciturnitati insigniter studeamus, earúmque exercitio totum hunc mensem tribuamus quotidie orantes: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemi-*

demisti. Addamus Rosarium dolorosum, memores illius Xaveriani proverbii : *Quid te abjicis ad infima, qui natus es ad summa ?*

Dominica XXIII. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

VIdet in platea publica hodie Princeps Evangelicus Christum. Et ecce! citò accessit, & prostratus in terram adoravit. Si hæc in platea, quæ fieri oportet in ecclesia? S. Antoninus nos instruit dicens : *Ad ecclesiam sit humilis, & devotus accessus, nec ibi fiant parlamenta, nec judicia, vel vaniloquia, sed auditio, & meditatio attenta divinorum.* Ubi plerumque cor nostrum in templo? fortè ingemiscimus : Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum!

Instructio meritoria.

Quàm graviter increpat S. Chrysostomus, quos in templo cernit irreverentes.

tes. *Tantus est risus*, exclamat, *tanta turbatio, sicut in balneis, sicut in foro; alios video stare, & nugare, dum preces fiunt. O audaciam! quando erit salus? quomodo placabimus Deum? nescis, quòd cum Angelis stes? & cùm hymnos dicis, & stas ridens. Etenim non esset mirum, si fulmen dimitteretur non solùm in illos, sed & in nos; fulmina enim hæc digna sunt?* Fili! qualis lectio illa? recordemur sæpiùs, & cum majori timore, & reverentiâ flectamus in Ecclesia. Hodie *Officium minus* de SS. Altaris Sacramento persolvatur. Deus adest! apage cum cæteris aut sensuum, aut cogitationum insaniis!

II.

O Gaudium! revixit per Christum filia, quæ mortua fuit. O fili! hujus *filiæ resuscitatio est animæ peccatricis justificatio*, teste S. Bonaventurâ. *Filia tua est propria anima, defuncta per culpam, cui manus Christi imponitur per gratiam.* Misereamur animæ! hac perditâ, perdidimus omnia. Animæ invi-

gilat Deus : Invigilant inferi : Quid homo?

Instructio meritoria.

Sic est. *Omnes peccatores Christus resuscitat, si cessent à peccato, & ex toto corde pœniteant.* Euseb. Emiss. Pœnitentiæ igitur sacramentali addamus & aliam, quam vocamus, supererogatoriam, cum licentia tamen R. Patris spiritualis peragendam. Quò plus dabitur, eò plus accipietur. Dileximus multùm? peccata remittentur plurima. In satisfactionem totius vitæ nostræ recitemus *Psalmos pœnitentiales.* Hoc lytrum, quô ingratitudinis humanæ expunguntur debita.

III.

CItò movetur Divinus medicus ad resuscitandam puellam, nec multis indigebat cæremoniis. *Tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Longè major mora in resuscitatione Lazari. Non mirum : Nam quadriduanus veteranum nobis significat peccatorem, cujus resuscitatio propter procrastinationem est diffi-

difficillima. Aut non peccare! aut citò pœnitere! dilata pœnitentia rarò vera.

Instructio meritoria.

Infirmamur? fili! citò ad Medicum. Cadimus? sine mora ad sublevantem nos! porriget labentibus potentem dexteram, si frequentem adhibeamus confessionem. Huic assuescamus, & ab ea absterrentem diabolum non audiamus. *Ubi*, & *quando contigit malum*, ait S. Aug. *ibi iterum moriatur malum.* Pœnitentes ut verè nos probemus, *Litanias* oremus *de omnibus Sanctis.* Præiverunt! sequamur.

Dominica XXIV. post Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! tremenda sunt omnia, quæ in hodierno leguntur Evangelio. Dies tremenda! dies illa, dies iræ, calamitatis & miseriæ, dies magna, & amara valdè instat, jam citat, & vocat. *Væ mihi* (suspirat S. Martyr Cyprianus)

cùm veniam ad judicium? dilecte! quid nos?

Instructio meritoria.

Ne incidamus in manus irati & offensi Judicis, censores, & judices simus nostrûm, & nunquam cubitum & lectum petamus, nisi depositô nocturnô animæ testamentô, quod inveniendum in devotis, & obviis Libellis precatoriis. Hodie renovemus *formulam Votivam* cum *Litaniis Lauretanis.* Teneamus Mariam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: Potens est enim. S. Bernardus.

II.

ERuditè ex hodierno concludit Evangelio S. Augustinus dicens: *In quo quemque statu invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Ut boni inveniamur, semper mortem habeamus ante oculos. Cui mors non familiaris, sibi inimicus est.

In-

Instructio meritoria.

Sed quomodo familiares erimus? visitemus frequenter cæmeteria, & pro omnibus defunctis devotè oremus Psalmos *Miserere* & *De Profundis*. Sistamus nos quoque ad noctem coram Crucifixo quasi morituros quotidie. Repetamus sæpiùs morientis Jesu ultima verba. Non moritur, qui vivit sibi semper mortuus.

III.

Tunc plangent. O *tunc*! ô *plangent* amarum! Fili! ut non habeamus, quod tunc plangamus, præterita peccata deploremus cum lacrymis; futura verò caveamus intendendo operibus bonis. Doluisse de præteritis, & timuisse de futuris summa est prudentiæ humanæ. Non dimittamus.

Instructio meritoria.

Peccavimus multum! solvamus plurimum! quæ enim proportio inter finitum, & infinitum? instrumenta sacri rigoris si habeamus, corpori applicemus.

cemus. Non recalcitrabit ampliùs; si non: petamus, emamus! optima comes ad patriam odium sui, & jugis pœnitentia. Tres actus austeritatis exerceamus. Vivamus! sed in spiritu. Caro occidit! spiritus vivificat!

EX-

EXHORTATIUNCULÆ CONSOLATORIÆ

Pro

omnibus totius anni *diebus Festivis.*

JANUARIUS.

Festum Dolorosissimæ Circumcisionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

ABiit unus, & annus rediit alter. Pro præterito satisfaciamus, quia peccavimus sæpiùs. Pro præsenti imploremus novas virtutes, & gratias, ut Deo eò fervantiùs servire valeamus. Hæc omnia dabit vulneratus Jesus! primam hodie

subiit

subiit sanguinis effusionem. En! tanti constitimus Christo.

Instructio meritoria.

Quoties audierit pronuntiari Nomen Dulcissimum Jesu, toties detecto capite, illud salutemus in corde dicendo: *Sit Nomen Domini Benedictum &c.* In venerationem verò hodiernæ solemnitatis persolvat Litanias de hoc sacratissimo Nomine, & quidem, si fieri potest, coram præsepio. Hîc vigilat amor!

II.

VOx sanguinis clamat ad nos! ô fili! quæ vox illa? Jesu est, & quidem Jesu circumcisi. Quid verò clamat? fraternam charitatem, humilitatem, & mutuam in adversis patientiam. Negabimus id Fratri? Conservatori? Amatori tanto?

Instructio meritoria.

Absit! citò ad Præsepe Domini, & in testimonium compassionis fraternæ *Officium minus de Sanctissimo* Nomine magno pietatis sensu peragat. Sanctum Sancta decent.

III.

III.

AH! quousque Dei descendit humilitas? hodie obedit Deus, seque subjicit legi, circumcisus ut homo. Fili! aut Deo parere debemus, aut cupiditatibus, vel dæmoni. Quid eligimus? humilient capita nostra superba S. Bernardi verba: *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare.*

Instructio meritoria.

Annum præsentem inchoet ab imitatione & humilitate Jesu. Offeramus Circumciso *Rosarium Dolorosum* cum Cursu Mariano, repetitô sæpius suspiriô: *Jesu sanguinolente! tuus sum in hunc annum, & omnem vitam. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam: Et non confundas me.*

Festum S. Odilonis Abbatis ex Ord. S. P. Benedicti Consolatoris præcipui animarum in purgatorio.

EXHORTATIUNCULA I.

AUxiliô, & suffragiis indigent fideles, & inter flammas purgatorii dolorosæ animæ. Harum annuam commemo-

memorationem instituit S. Odilo, verè Pater afflictorum. Fili! post mortem quid optabimus? S. Odilonis institisse pietati, & defunctis quotidie succurrisse. Captivi sunt! misereamur!

Instructio meritoria.

Inchoemus igitur cum novo anno, & omni die vel à manè, vel ad noctem Psalmum *Miserere* cum *De Profundis* pro omnibus defunctis offeramus Deo; imò singulîs mensibûs unum sacrificium, vel sacramentalem Communionem eis donemus, memores dicti à S. Chrysostomo: *Gratìs misericordiam sperat is, qui misericordiam non fecerit.*

II.

QUid video? parvulum Odilonem omnibus membris captum repere ad aram Mariæ. Infans invocat Matrem, & sanitatem obtinet. O nos incurios! est tota mirabilis Virgo Maria: Et in necessitatibus hanc negligimus, atque ad humana confugimus opera. Quid mirum, si fallamur conceptâ spe? sileat misericordiam tuam (exclamat D. Bernardus) Virgo Beata!

si

si quis est, qui invocatam te in suis necessitatibus sibi meminerit defuisse.

Instructio meritoria.

Visitemus in Aris suis Mariam, eámque salutemus filiali illo hymno : *Ave Maris Stella &c.* Fili! tristamur, si sine salutatione, aut aliô reverentiæ, ac amoris signô transeamur ab homine : Quid ad nostram inurbanitatem, & incuriam Cœlorum Regina? Mater sum : Sed ubi honor meus?

III.

ABbas Cluniaci factus quàm Sanctissimus fune, super collum injectô, quotidie se Deo, & Mariæ devovit in perpetua charitatis, & humilitatis obsequia. Fili! hunc funem, hanc charitatem quamdiu jam expectat à nobis cœlum? utinam traheremur in funiculo S. Odilonis! utinam & exemplîs aliorum Dei famulorum! Deus si nostra non rapiat corda : Quid ergo?

Instructio meritoria.

Procuremus pietati nostræ ejusmodi amoris funiculum, & si non quotidie ante cubitum, saltem nobis injiciamus solemnio-

lemnioribus Festis Domini, & Mariæ formulámque addamus aut sodalitiam aut Religiosam, seu sacræ Professionis. Dilecte! interrogat de fructu? audiemus: Dimittuntur ei peccata, quia dilexit multum.

Festum S. Eduardi Angliæ Regis.

EXHORTATIUNCULA I.

HIc Rex, hic Princeps est, qui pauperes, ac infirmos suis regalibus excepit humerîs, ut eorum providè succurreret necessitatibus. O fili! Reges pro Deo, pro virtute, & gratiæ merito ita se humiliant: Quid nobis agendum? certè palea minima amore Dei, vel proximi sublata de terra plùs valet in cœlo, quàm universa mundi vanitas. Quid enim in oculis Domini fortitudo Alexandri? quid Majestas Cæsaris? quid Ciceronis eloquentia? *In nihilum computabitur*, ait Salomon. Qualis veritas?

Instructio meritoria.

Amemus igitur opera virtutum. Hæc sola in cœlo pretiosa est. Ut verò the-

sauros

ſauros colligamus, ſacculósque nobis faciamus, qui non veteraſcunt, proximo noſtro ſex ſpecialis amoris, & reverentiæ actus impendamus & poſt ſignum ſalutationis Angelicæ *tria Pater & Ave* addamus pro obtinenda perfecta charitate ergà Deum, & proximum. Non erit ſine mercede hæc Chriſtiana pietas.

II.

DAnis Angliam miſerè vaſtantibus, quid agit Eduardus? Mariam in Adjutricem eligit, & invocat. En! quò in periculis, & hoſtium inſidiis confugiendum. Maria nos expectat; brachia, & manus in opem porrigit, ut ſuſcipiat, atque protegat periclitantes. Quid igitur ſtamus hîc otioſi?

Inſtructio meritoria.

Habet adhuc Anglia vaſtatores ſuos Danîs crudeliores, quia hæreticos impiiſſimos. Ut Maria ſuccurrat tot periclitantibus animabus pro Angliæ, & aliarum nationum converſione *Curſum Marianum* manibûs S. Eduardi offeramus SSS. Trinitati. Fili! *Deum imitemur* (monet Auguſtinus) *qui amavit*

nos

nos fœdos, ut ex fœdis faceret pulchros. Ut quid irascimur peccatoribus? aut cur reprobamus? nobis timeamus! pro aliis oremus, *charitate fraternitatis invicem diligentes.* Rom. 12.

III.

REx hic Sanctissimus nihil non dabat, cùm nomine S. Joannis Evangelistæ rogaretur. In præmium ab eodem Apostolo admonetur de instante mortis horâ, & ad cœlorum invitatur gaudia. O fili! quis cœlites, & Dei sanctos jamjam triumphantes non jugiter colat, & diligat? *Nimis honorati sunt amici tui Deus!*

Instructio meritoria.

Erit totus quondam infernus, qui decumbentes in lectulo mortis nos impugnabit. Advocatos quæramus. Cœlum habet. Invocemus omnes domesticos Dei *Litanias de omnibus Sanctis* persolvendô & nomen S. Eduardi quàm devotissimè implorandô. Si Deus, si Sancti pro nobis, quis contra nos?

So-

Solemnitas Glorioſiſſimæ Domini Epiphaniæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! ſtella adeſt! vocat Reges ad præſepe Domini. Stella hæc gratia divinæ Vocationis eſt. Nunquid & nobis apparuit? curramus ergò, & adoremus Deum, ne revocet cœlum.

Inſtructio meritoria.

Gratiæ vocationis ut Zelosè cooperemur, in noſtros per omnem vitam invocemus Patronos tres Magos Chriſto Jeſu acceptiſſimos, quorum gloriæ congaudeamus in cœlis, intonando *Te Deum Laudamus* cum oratione de Feſto. Honor eſt grandis, cum Regibus agere.

II.

PAuper eſt Jeſus: Pauper Maria: Pauper & S. Joſephus. Munera expectant, ut in ſua ditentur paupertate Fili! negabimus ea? quæ hæc inhumanitas? Crudelior judaicâ, quæ non recepit eos.

Inſtructio meritoria.

Citò conſolemur! tria ſunt munera, quæ Magi obtulerunt Domino. Tria

ſtatuamus & nos propoſita quoad temperantiam, & taciturnitatem, quæ deferamus ad Præſepe, & offeramus Jeſu, Mariæ, & Joſepho, ubi & *Litanias* de iisdem SS. Perſonis ſubjungamus affectu quàm ardentiſſimo. O quid non recipimus de manu Jeſu, Mariæ, & Joſephi? amore reddamus reciproco.

III.

MAgi ſtella præeunte inveniunt Jeſum cum Maria. Bona, Chriſtiana, & exemplaris vita nos ducet feliciter, monſtrabítque Deum, & in Deo omnia. Fili! vitam exemplarem nunquam dimittamus, ne & Deum, & cum Deo perdamus omnia. Teneamus, ſtringamus, quia ipſe ait Jeſus inter brachia Matris : *Deliciæ meæ ſunt eſſe cum filiis hominum.* O Charitatem!

Inſtructio meritoria.

Et quot ſunt, qui hanc ſtellam, hanc vitam prorſus contemnunt? an non totus mundus in maligno eſt poſitus? quis inde Jeſu dolor? mitigemus, & pro converſione omnium infidelium, paganorum, & hæreticorum coram præſepio

Offi-

Officium *de dulcissimo Corde* Jesu persolvamus. O munus Deo, & cœlo gratissimum.

Festum S. Raymundi de Pennafort Redemptoris Captivorum.

EXHORTATIUNCULA I.

CUm lacte pietatem & amorem Dei, ac Mariæ hausit, haustúmque toti mundo communicavit, doctrinâ, & sanctitate vir celeberrimus. Fili! quando seriò inchoabimus in Dei, & Mariæ obsequiis? ætas transit; evanescunt tempora: Quid sic remanebit in sæculis nostris pro æternitate? non terreat virtus! omnis enim difficultas potissimùm in nobis est. Plura terrent, quàm premant. Non simus miseri ante tempus.

Instructio meritoria.

Misereamur igitur animæ, & ne nuda compareat in Dei judicio, quotidie unô vestiamus Rosariô, & si cum discretione liceat, jejuniô sabbathinô etiam in annos multos continuandô, haud ignari, quid nobis Bernardus: *Omnibus debitricem se pia facit Virgo, omnibus miseri-*

cordiæ ſinum aperit, plenitudinem ejus accipiunt univerſi. Quantò abundantiùs Zeloſi Mariophili!

II.

MOnetur à Maria, ut pro Redemptione Captivorum inſtitueret Religionem ſub Titulo Beatiſſimæ Virginis de mercede. Obediit filius Matri; Ordinem erigit ô quanto cum afflictorum ſolatio, & lucro!

Inſtructio meritoria.

Veneremur S. Ordinem à charitate, & miſericordiâ inclytum, & ut viros ſemper pariat Eccleſiæ ergà quoscunque ſive corpore, ſive animâ miſeros commiſeratione inſignes, merita hodiernæ diei pro illius incremento offeramus. Faciet S. Raymundus, ut & nos omnia fiamus. O Utinam! Inhæreat cordibus noſtris Hilarii Arelat. teſſera: *Tam pretioſo munere noſtra peragitur Redemptio, ut homo Deum valere videatur.*

III.

FIli! grande eſt prodigium, quod Deus operatus eſt in hoc ſuo dilecto famulo. Nam 160. milliaria palliô ſu-

per

per aquas stratô confecit, & suum cœnobium januîs clausîs intravit. Vir in spiritu etiam ab ipsis honoratur elementis.

Instructio meritoria.

Transeundæ & nobis multæ aquæ tribulationis, & contradictionis. Ne corpus nos mergat, unum, vel alterum cibum ex delicatioribus huic subtrahere generosè statuamus, adhibitô desuper examine particulari de temperantia, & sobrietate. Quas virtutes ut obtineamus, pro defunctis animabus ante refectionem 5. *Pater & Ave cum de Profundis* recitemus. Summum imperium est, posse temperare gulæ.

Festum S. Laurentii Justiniani Venetiarum Patriarchæ.

EXHORTATIUNCULA I.

EMinuit scientiîs, & doctrinæ donîs; at nihili hæc omnia duxit Laurentii humilitas continuò sibi dicens: *Deus est omnia; homo verò, & quæ hominis sunt, nihil.* Fili! quid nos ad hanc doctrinam? sapiamus cum S. Laurentio, & soli studeamus, nósque totos impendamus

Deo. O dilecte! meliorem Deum habemus, quàm cogitamus.

Instructio meritoria.

Quomodo autem? omnia studia nostra inchoemus hodie à S. precibus, & invocatione Divini Nominis, præmittendô videlicet hymnum: *Veni S. Spiritus &c.* omnis enim sufficientia nostra ex Deo est. Dat sua roganti; negat verò superbienti.

II.

Post 15. extructa templa, & cœnobia, sanctè quievit non ex otio, & desidia, sed ut eò liberaliùs, & ferventiùs scribere posset de laudibus, & Excellentiis Mariæ. O fili! sic otiari sanctum est, Qui operari desinit, amorem in Deum, & Mariam negligit. Felix corpus, si in Divino, & Mariano conteratur obsequio!

Instructio meritoria.

Scribere didicimus! tributarium ergò nostrum faciamus calamum Deo, & Mariæ, & quoties occurrunt Jesu, & Mariæ Nomina, detectô capite, vel flexîs genibûs, & majusculis litterîs scribamus.

Nun-

Nunquam calamus sacratior, quàm dum intendit Jesu, & Mariæ. Oremus hodie Litanias Lauretanas, vel de Nomine Jesu. Tristamur? charissime! veniat in cor nostrum Jesus, & Maria!

III.

FActus Venetiarum Patriarcha pro tessera diurna adhibuit illa Pauli verba: *Non auditores legis justi sunt apud Deum: Sed factores legis justificabuntur.* Hinc tanta ei sanctitas, quâ omnibus fieri omnia meruit. Fili! quid hîc vita nostra? multa scimus, plura didicimus; verùm ubi opera? profectò ex nostra peccandi facilitate, & terrenorum cupiditate haud dignoscitur, nos credere paradisum, & infernum esse. O nos ignobiles! indignos Christianæ pietatis discipulos!

Instructio meritoria.

Factores ut nos probemus Divinæ legis, urnulam menstruam, & in urnula totidem schedulas, quibus inscripti sint nobiliores variarum virtutum actus, ponamus, quot dies numerat mensis. Quotidie unam tollamus: Sic nulla dies

transibit sine bono opere, & optatâ meriti, ac correspondentis præmii mercede. Urnulam antequàm assumamus, *Litanias de omnibus* Sanctis præmittamus. Fodiamus, ut reperiamus.

Festum B. Gondisalvi Ordinis Prædic.

EXHORTATIUNCULA I.

QUis parvulo frequenter ploranti absterſit lacrymas? ostensa B. V. Imago. Et perfectò quis tristetur in oculis Mariæ, quæ Mater, & consolatrix afflictorum? verè S. Ephrem: In Maria invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam. Quid & nos speremus? fili dilecte!

Instructio meritoria.

Mel in corde, & lac in ore est Nomen Mariæ. Ideo centies, & usque centies hodie ingeminemus: *Ave Maria!* O Magna! ô pia! ô multùm amabilis Maria! túne nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium *te*. S. Bern.

II.

II.

GOndisalvo Maria suasit, ingredi S. Dominici familiam, quia sibi sacram. Non cunctatus obediit, venit, Mariæ, & S. Dominici filium induit. O fili! ita suos curat clientes cœli Domina. Curavit & nos.

Instructio meritoria.

In statu vivimus magnæ felicitatis. Sed cujus beneficiô, curâ, & solicitudine? nónne Mariæ? gratias agamus, & pro gratia vocationis 15. *Pater & Ave* cum suis 15. Mysteriis recitemus coram devota Icone. Maria expectat: Reddamus, quod debemus. Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ô Maria. Rup. Abb.

III.

O Fili! non pœniteat, quidquid laboris, aut pietatis pro cultu, & amore in B. V. Mariam assumpserimus. In lectulo mortis compensabuntur omnia. En! morienti Gondisalvo adfuit Mater, & ad cœli invitavit gaudia. Hæc

expectamus? in amore perseveremus. Videtur enim Maria dicere Filio, sicut Filius Patri: Volo Fili, ut, ubi ego sum, ibi sit & minister meus. Rich. à S. Laur.

Instructio meritoria.

Omnium terribilium terribilissimum mors est. Suavissimam ut sentiamus, ad elevationem S. Hostiæ, & S. Calicis sub sacrificio Missæ Jesu, & Mariæ nostram agoniam cum ultimis torturis quàm affectuosissimè commendemus, addendo *tria Pater & Ave* cum Antiph. *Sub tuum præsidium &c.* potentes invitandi sunt. Nihil tuæ, ô Virgo! resistit potestati. Nihil repugnat tuis viribus; omnia tuo obediunt imperio; omnia tuæ potestati serviunt. Greg. Nicomed.

Festum S. Mauri Galliæ Apostoli cum indulgentiis plenariis.

EXHORTATIUNCULA I.

AD sanctitatem aspiramus Benedictinam? optimè. At ubi sunt alæ, quibûs citò eò avolamus? en! porrigo in humili, prompta, & hilari S. Mauri obedientia. Hac solâ dignoscimur: An simus

simus genuini Jesu Christi, S. Benedicti, & S. Mauri discipuli? esse verò, ô quanta gloria!

Instructio meritoria.

Ut per omnes S. Ordines virtus hæc æquè nobilis, quàm summè necessaria triumphet, recitemus *Litanias* ex Trithemio de omnibus Sanctis SS. Ordinis Benedictini, cum 12. actibus abnegandæ voluntatis propriæ. Obedientia nulla sine sui exercitio. *Propria voluntas Deo semper inimicatur.* S. Laur. Just.

II.

S Maurus incedit super aquas; tamen non mergitur, nec clamat cum Petro: *Domine! salvum me fac.* Parcunt aquæ his, qui ad vocem & nutum currunt superioris, rejectâ voluntate propriâ. Leve reddit omne corpus strenua voluntatis mortificatio. *O malum detestabile! ô antiqua nequitia, quantum dominaris!* S. Laur. Justin.

Instructio meritoria.

O fili! unde tanta dispendia rerum? ex propria voluntate. Subjiciamus hanc Deo; igitur integram instituamus

Octavam in honorem prodigiosæ S. Mauri obedientiæ, & quotidie cum 3. *Pater & Ave* illam quoque orationem subnectamus, quam Ecclesia ipsa usurpat in hebdomade Majore: ℣. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem,* ℟. *Mortem autem Crucis.* Oremus: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam &c.* Crucifixum intuemur: Et non obediamus?

III.

COntinentiæ fuit tantæ S. Maurus, ut per S. Quadragesimam bis tantùm in hebdomade, & quidem parcissimè sumeret cibum: Somnum stando, aut super aggestum calcis, & sabuli stratô ciliciô capiebat. Fili! quid hoc? nimiùm timemus corpori nostro: Cur? quia aut modica, aut nulla in Deo est nostra confidentia. Regnat caro: Extincta luget ratio. Qualis hic homo?

Instructio meritoria.

Patiamur hodie incommoda quædam in stando, sedendo, aut jacendo, gaudentes, & gratias agentes toties, quoties malè fuerit corpori. Caro non quiescit, nisi

nisi sub fercula. Exhibuimus membra iniquitati ad iniquitatem : Serviant jam justitiæ ad sanctificationem. Ut fiat, in honorem totius S. Passionis Dominicæ *Rosarium* recitemus *doloroſum*. Capiti sic simile membrum.

Festum S. Pauli Eremitarum Patriarchæ.

EXHORTATIUNCULA I.

VIdeo fugientem è sæculo in deserta Paulum. Quæ causa ? quia vidit pereundi occasiones, & pericula nimis quantùm certissima. Exulabat fides cum castitate, & vita mortalium ducebatur non nisi inter carnis delicias, & turpia oblectamenta. Sic fugere, salvari est. Nec fuga ignobilis, quâ pervenitur ad Deum.

Instructio meritoria.

Ne petuliat sensualitas, unô, alteróve abstinentiæ actu ad prandium, & cœnam reprimamur, & sedentes ad mensam spiritualiter communicemus. Christum nobis nutriamus, & spiritum ; corpus verò & appetitum trucidemus. Pro ob-

tinendis quatuor virtutibus Cardinalibus oremus 14. *Pater & Ave* expansîs brachiîs.

II.

TAntis in solitudine deliciis S. Paulum repleverat Deus, ut mundum, & voluptates æternùm valere jusserit. O nos ignavos in vita spirituali! vocat Deus, vult & nos à mundano expediri strepitu! deseramus & experiamur, quàm jucundum soli intendere Deo, & iis, quæ Dei sunt. Piè viventibus non subtrahuntur deliciæ, sed mutantur.

Instructio meritoria.

A prandio adeamus templum, vel coram alia cubiculi imagine sancta nos recolligamus, meditando illa Pauli verba: *Sic transit gloria mundi.* Pro acquirendo autem perfecto rerum terrenarum contemptu addamus Litanias de dulcissimo Nomine Jesu. Jesus mel in corde, & lac in ore. *Tristatur aliquis? veniat in cor ejus Jesus.* Bern.

III.

FIli! qui multùm conversantur inter homines, rarò sanctificantur. S. Paulus

lus 80. annos exegit in solitudine, quin ullum videret hominem præter S. Antonium, quem Deus ipse advocavit. Dilecte! patet causa, cur tam modica sanctitas nostra? magis vivimus homini, quàm Deo. Sed quid hîc S. Augustinus? *Amplectar te bonum, sine quo nihil est bonum! amplectar te optimum, sine quo nihil optimum.*

Instructio meritoria.

Per quamlibet septimanam, diem Mercurii, Veneris, & Sabbathi, aut diem alium solemnem alicujus professi veneremur sanctô silentiô, & recollectione mentis, ac vitæ. O quàm pura, quàm quieta, & serena tunc servabitur conscientia. Hâc præveniamus Festa. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis.* S. Greg.

Festum S. Antonii inter Eremicolas Primi Abbatis.

EXHORTATIUNCULA I.

AUdiit ex S. Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus.* Dedit Antonius fugiens ad

ad antra, eremos, & deserta. Fili! miramur nunquid tam generosè pauperem? verùm audiamus, quid S. Hieronymus: *Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* Rejiciamus mundi sarcinam, ne opprimat.

Instructio meritoria.

Nihil negemus hodie justa petentibus; & si non habeamus, quod demus de substantia, demus saltem de bona voluntate, demus pacifica, & verba mitissima. Pro omnibus afflictis, miseris, & indigentibus offeramus 34. *Pater & Ave.* Et hæc in cultum ætatis Christi, qui benefecit omnibus.

II.

QUis liber à tentatione? nec sancti. Antonius fastu vanitatum, divitiarum fulgore, & voluptatum illecebris tentatur ab inferis. Sic nullus locus ab hostibus securus. Fili! terreat nos tandem nostra in vivendo libertas! putamus, nos stare. At timendum, ne in momento cadamus. Ubique enim tentatio! ubique dæmon! ubique caro!

rectè

rectè S. Laur. Justin. *Securitas est facilis ad lapsum.*

Instructio meritoria.

Ad arma! ad Vigilias! ad preces! familiarem nobis illam, hodie præcipuè, faciamus tuendæ puritatis formulam: *Per Immaculatam Conceptionem, & Intemeratam Virginitatem tuam ô purissima Virgo! emunda † cor † corpus † & animam meam.* Addamus & Officium de Immaculata Conceptione. Vis mundus esse? Mundam dilige!

III.

PRo testamento suis discipulis nobilem reliquit doctrinam dicens. *Credite filii! pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem cum humilitate.* Ecce! his virtutibûs superantur inferi.

Instructio meritoria.

A manè excitati statim surgamus, intentionem matutinam quàm devotissimè coram SS. Altaris Sacramento præmittamus, ad prandium, & cœnam aliquem cibum esurienti Jesu offeramus, nostráque abstinentiâ pauperes pascamus.

mus. Quis neget, & nos tunc in humilitate profeciſſe plurimùm? vade ergò retrò Satana! depellamus recitando Curſum Marianum. Quod aurora noctuæ, id eſt Maria Satanæ.

Feſtum Glorioſiſſimi Martyris S. Sebaſtiani Patroni contra peſtem potentiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

HEu! peccata noſtra clamant vindictam coram Judice Divino! Fili! quid fiet nobis? verùm ſtat fixum, & irrefixum, Deum noſtrâ placare humilitate, & pœnitentiâ. Promeritum ne arripiat flagellum ſuæ iracundiæ, nósque omnes feriat miſerâ peſte, confugiamus ad S. Sebaſtianum, quem & quotannis ſpeciali veneremur pietate. Potens eſt! vivamus, ut mereamur.

Inſtructio meritoria.

Quæ autem pietas illa? in profeſto jejunemus, & pro tota dilecta patria in templo coram Sanctiſſimo *Septem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis Majoribus* (tempore opportuno) recitemus.

Ore-

Oremus, ne incidamus in manus Domini.

II.

O Quàm angustâ, & difficili viâ penetravit cœlos S. Sebastianus! porta ad cœlum angusta est. Quis intrabit? certè non pinguis, non carnalis, superbus, avarus, & temporalium cupidus homo. Sarcinam rejiciamus sæculi, & non audiemus illud Filii Dei: *Clausa est janua: Nescio vos!*

Instructio meritoria.

Quidquid verbi, vel operis adversi nobis obvenerit hodie, S. Sebastiani memoriâ, in patienti, & humili silentio supportemus mentaliter invocantes Deum notô afflictorum Psalmo: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi &c.* Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.

III.

NOn timuit vir Dei Carnificũ manus, nec Imperatoris sententiam. En! restitutus sese denuò sistit oculis tyranni, potius querens patiendi occasionem, quàm effugiens. O fili! causam Dei defendimus,

mus, videntibus, & invidentibus pluribus angelis, qui lucro haberent maxima pati pro ſuo Domino: & hoc nos poſſumus: nobis hoc inſigne eſt factum beneficium, ut pro Dei honore pugnemus. Theatrum Deo, Mariæ, Angelis, & omnibus ſanctis ſumus. Sæpè nos ſtrenuos promiſimus: cur in occaſione torpemns timidi?

Inſtructio meritoria.

In occaſione tribulationis, contradictionis, correctionis, aut confuſionis mentem elevemus ad Dominum, & pro ſubmiſſa patientiæ ac humilitatis occaſione laudemus pſallentes: *Laudate Dominum de Cœlis* &c. Chriſtianorum eſt in Cruce magis, quàm in quiete lætari. Chare! non ambiamus beatitudinem, cujus finis interitus. Pati ſit omne gaudium noſtrum!

Feſtum S. Agnetis V. & Martyris Conſtantiſſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

FIlli! in Divinis, & ſpiritualibus tepeſcimus obſequis? non ita. Sed recorde-

cordemur laborum Christi. Intueamur tot nobiles parvulos, qui palmam nobis præripiunt; & teneras Virgunculas, quas inter & duodennis Agnes fortitudinis prodigium. Contemplemur fervorem Antiquorum Patrum, & tormenta Martyrum. Quis nostrûm lanqueat amplius, tot nobis ad cœlum præcurrentibûs?

Instructio meritoria.

Vt fervor crescat in cordibus omnium Christianorum, præcipuè religiosorum, Canticum, *Benedicite omnia opera* &c. oremus. O quàm modicus fervidè Deo servientium numerus! augeamus. Lassetur corpus, modò ardeat pectus! huic non est benè, nisi illi fuerit malè. Unum alterius deficit incremento.

II.

S Agnes puella innocentissima in mediis ignibus accenditur magis ad amandum Deum, & vulneribûs gaudet se similiorem Christo, sponso Castissimo. Christiani sumus, mi dilecte! & pro Christo quid magni facimus, aut patimur? Agnetem viribûs superamus, amo-

amore, fide, constantia ò quàm inferiores hâc virgunculâ!

Instructio meritoria.

Ter hodie accedamus supplices ad S. Agnetem, & illius meritîs à Deo inordinatæ nostræ tristitiæ, indignationis, & fractæ in bono constantiæ, præsertim negligentiarum in exercitio amoris imploremus veniam, *quinque Pater*, & *Ave* cum *Credo* expansis brachiis recitandô. Dolere de offensis, filiorum Dei est.

III.

FIli! si Crederemus ut S. Agnes; si diligeremus quod S. Agnes; Si solum Christum profiteremus vitâ & moribûs ut B. Agnes, generosiùs responderemus mundo, carni & diabolo, quod responderat Agnes: apage! *jam pridem desponsata sum Christo.* Hinc cæcitas mentis! hinc nostra constans inconstantia! quid autem hoc? juravimus fidem Deo: & pro libitu violamus? fideliores Creaturis, quàm Creatori.

Instructio meritoria.

Ad sacrificium Missæ præmittamus

Rhy-

Rhytmum S. Augustini: *Noverim me! noverim te, nec aliquid cupiam nisi te.* & cum trina Communione Spirituali per diem instituenda. *Amo te, Domine! & si parum est, amem validiùs: amem puriùs.* S. August.

Festum S. Meinradi Einsidlensis Eremicolæ, & Martyris prodigiosi.

Ex Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

QUinquennis desertô comitis titulô monasterium, inde solitudinem petiit. Ut retraheret tartarus, gravibûs in virum insultibus irruit: sed incassûm. Recreatus enim Angelorum consortiô, risit impotentis hostis conatus irritos. Cum Deo agentibus quid timendum? nihil. Latrant inferi, ut vigilemus, & stemus in armis.

Instructio meritoria.

O Fili! diu jam distractionibûs, & vanîs dissipamur cogitationibûs. S. Meinradi meritîs liberari possumus. In Patronum nostrum eligamus, & hodie *Litaniîs de* omnibus sanctis S. Ordinis nostri

noſtri eundem veneremur: Sæpè tempore diſtractionis, & evagationis ingemiſcentes: O *S. Meinrade! vim patior! reſponde pro me.*

II.

MAgnum, & ultrà hominem eſt, ait S. Petrus Dam. aſperitatem verborum, & verborum non tantùm pati, ſed & non reddere. Illud verò majus, & quid Divinum ſapit: *benefacite his, qui oderunt vos.* Hanc veritatem implevit Meinradus, dum latronibus, quidquid habuit ciborum, benevolè appoſuit. Gratiarum actionis locò cruenta cecidit victima, eò gratior Deo, quò inhumanior homo.

Inſtructio meritoria.

In bono vincamus malum. Pro omnibus igitur noſtris malefactoribus, ne Deus aut corpore, aut anima puniat, unum offeramus Roſarium de miſteriis doloroſis, cuilibet decadi inſerendo petitionem Chriſti: *Pater! dimitte illi; quia neſciunt, quid faciunt.* Bonus, & verus Chriſtianus non habet inimicum, niſi ſe ſolum.

In

III.

IN loco Martyrii Maria Martyrum Regina ſibi Capellam conſtituit, quam Ipſe Dei Unigenitus in propria conſecravit perſona. Tanti coram Deo, & Maria eſt, ignoviſſe malefacienti. Cor plenum charitate ergà inimicos templum Domini ſanctum eſt. O Fili! cadat Dagon! pereat indignatio, & ſpiritus ultionis! nobis enim illud relictum eſt mandatum Domini: *Diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde.*

Inſtructio meritoria.

Pro omnibus vindictam, odia, & neces ſpirantibus *officium de Dulciſſimo Corde Jeſu* offeramus S. Meinrado, humiliter ſupplicantes, ut det nobis famulis ſuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, omnique hoſtium ſublatâ formidine, tempora ſint ſuâ protectione tranquilla.

Festum Desponsationis B. V. Mariæ cum SS. Josepho.

EXHORTATIUNCULA I.

NUptiæ sunt! cor vestrum petit Jesus, Maria, & Josephus. Hoc ni Sponso, ni Christo, Mariæ & Josepho dederimus totum, dedimus nihil. O ingratitudinem! renuntiandum tandem est sæculo, & misero diabolo, ut intimè uniamur cum Deo. Nobis adhærere Deo, bonum est. Ubi fuimus, dum sine eo?

Instructio meritoria.

Dum nuptiæ sunt, offeruntur munera. Talia & à nobis expectat Joseph cum Maria. Quid dabimus? cum sex heroicis modestiæ angelicæ actibus quoque *Litanias, de tota SS. Consanguinitate J. M. J.* persolvamus. Amicus honorat alterum. Numeramus in cœlo plurimos: suspiciamus!

II.

CAstos casta decent. Castus erat Jesu Nutritius, casta & dulcis parens; quia Virgines in ævum. O Fili!

nos sponsas profitemur Christi. Benè: in tales nosIpse elegit dicens: *Veni electa mea! ponam in te thronum meum &c.* at caveamus,ne macula sit in corde. Subtilis, & delicatus est amor! etiam in minimo offenditur. Chare! *illum* ergò *amemus, quem amare debitum est: illum exosculemur, quem osculari castitas est.* S. Paulinus.

Instructio meritoria.

Ah! quoties Jesum! quoties Mariam! quoties & S. Josephum offendimus quinque sensibûs nostrîs, quos plùs pascimus, quàm reprimimus. Deprecemur,& pro omnibus iniquitatibus quinque sensuum vel hodie fructuosè eluendis, oremus 15. *Pater & Ave* cum totidem osculis terræ. Clausîs sensibûs nobis loquitur Deus. Utique D. Paulus clamat: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, & Deo placentem.*

III.

DEsponsatio Mariæ gaudium annuntiavit universo mundo. Ex hoc enim ortus est nobis sol Justitiæ, Christus

Deus noster, qui solvit maledictionem, & dedit benedictionem. O igitur dignare me, amare te Virgo Sacrata. Profectò fuit Dominus cum B. V. & ipsa cum Domino in eodem labore, & in eodem opere nostræ Redemptionis. Mater misericordiæ Patrem misericordiarum adjuvit in opere nostræ salutis. Rich. à S. Laur.

Instructio meritoria.

Quos Deus conjunxit, nunquid separabimus nos? absit ô Fili! cum *Officio* Immaculatæ Conceptionis oremus, & *Officium minus* de S. Josepho quod huic fecimus, fecimus & Filio Christo Domino. Et nunquid displicebit?

Festum S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.

EXHORTATIUNCULA I.

DElicium Mariæ fuit Ildephonsus. Unde? quia hujus Virginitatem contrà hæresim Mariæ inimicam fortiter propugnavit, & totâ Hispaniâ ejecit. Ut quid otiosus est noster in Mariam amor? undique hostes, persecutores Mariæ ubique!

que! Ah! si ego Mater: Ubi honor? ubi timor meus?

Instructio meritoria.

Defendamus Matrem, & ut impiæ cessent hæreses, omnísque exhibeatur Deiparæ reverentia, per octo dies *Rosariolum* constans *decem Ave* in venerationem decem Marianarum virtutum. 1. Castitatis. 2. Religionis. 3. Prudentiæ. 4. Humilitatis. 5. Fidei. 6. Gratitudinis. 7. Obedientiæ. 8. Paupertatis. 9. Timoris Dei. 10. Patientiæ summâ devotione recitemus. En! pietatem, quam Christus docuit B. Joannam Ord. Annuntiatæ Mariæ.

II.

O Si sancti cœlites id nobis contestarentur, quod S. Leocadia Magno Ildephonso dicens: *Per te, Ildephonse! vivit Domina nostra.* Quàm benè, quàm suaviter forent nobis ultima vitæ tempora! quid enim terreat Mariophilum? tenet Mariam: Quis auferet? mors? non auferet, sed uniet fortiùs cum Matre filium.

Instructio meritoria.

Vivat ergò Maria! vivat in potentiis! vivat in sensibus! vivat in corpore, & anima! decies per diem hæc ipsa repetamus desideria, & hilari mente optemus: *Vivat Jesus amor meus, & Maria Mater ejus.* Porrò Litanias Lauretanas subjungamus. Infelix homo, qui non vivit, nec servit Mariæ!

III.

FEstum Expectationis instituit S. Ildephonsus. Placuit Mariæ Mariana hæc pietas; amore reddidit amorem, dum casulam obtulit pretiosam arte coelesti. Non est virtutis obsequium, quod non præmiatur Deus, & Maria.

Instructio meritoria.

Præmia ut & nos promereamur plurima, dies Mariæ sacros omni devotionis sensu, & affectu præveniamus, aut vitâ solitariâ, aut unâ, alterâve abstinentiâ. Inchoemus hodie, & addamus illa septem *O majora.* Multum dat, qui propter Mariam suos appetitus abnegat.

Con

Conversio Mirabilis S. Pauli Gentium Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! & nos persecuti sumus Jesum cum rebelli Saulo. Sit tandem ô fili! finis peccando! surgamus, & convertamur ad Jesum, qui tamdiu jam expectat nos. Convertamur per seriam pœnitentiam, per solidam morum conversionem, & continuam sensuum, & corporis mortificationem. Simus Jesu amatores, & nostrûm generosi persecutores. Sic sic placabitur provocata offensionibûs Dei Justitia.

Instructio meritoria.

Ad impetrandam tum nobis, tum aliis seriæ & integræ conversionis gratiam, recitemus *Litanias majores*; offeramus & Sacram Communionem pro illuminatione gentium, & gravissimorum peccatorum. Qui hoc negligit charitatis opus, timeat, ne graviùs cadat.

II.

QUæso, dilecte! quid nos retardat à celeri conversione, & hominis

renovatione? tantæne difficultatis converti ad Dominum? liberari à vinculis! redimi à jugo dæmonis? an ergò non gravius onus, currere, & ambulare viam iniquitatis? fili! in puncto salutis, quàm cæci! quàm pigri! quàm & stulti sumus!

Instructio meritoria.

Abstergamus hanc nostram cæcitatem, & quia petulans corpus causa est unica dilatæ conversionis, actu rigoris coërceatur, & sacrô cilicio humilietur: Scriptum est enim: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

III.

E Turbis, periculis, & impietatibus misericorditer vocati sumus, ut essemus vas electionis Deo, Ejúsque Nomen portaremus coram gentibus, infidelibus, & peccatoribus. Sed quomodo? verbô, & exemplô; plùs tamen exemplô veri, & zelosi Christiani, ô fili! Quanta vocationis nostræ obligatio! ubi retributio? vivamus *alii*: & solvimus satìs.

In-

Inſtructio meritoria.

Excutiamus inſuper ſegnitiem noſtram, & hodie flectentes verſus quatuor mundi partes oremus *quinque Pater & Ave*, ut Deus ſubmittat viros Apoſtolicos, quorum ſpiritu, & zelô animæ jamjam de ſalute periclitantes feliciter ſalventur, & hæ quàm plurimæ. Chare! juſta petimus: Impetrabimus. Solùm orantibus non deſit conſtantia.

Solemnitas S. Joannis Chryſoſtomi, Magni Eccleſiæ Doctoris.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! Magnum Eccleſiæ Oratorem! magnum verbîs: majorem factîs, maximum virtutum exemplîs. Hi gradus ſunt, quibûs ducimur ad montem religioſæ perfectionis, & miræ ſanctitatis. Fili! ſcandere lubet? ſit noſtra comes generoſitas, & Chriſtiana prudentia. *Fortitudo, & laus mea Dominus.*

Inſtructio meritoria.

A verbis incipiamus, & bonos diſcurſus, ac colloquia religioſum decentia inducere inter noſtros, vel promovere ſa-

tagamus. Theſaurizemus & nobis quotidiè in multis precibus, & ardentiſſimis ſuffragiis ad Deum, Mariam & Sanctos fundendis. Linguam ſanctificemus recitandô *Pſalmos graduales*. Ita os noſtrum os erit S. Chryſoſtomi.

II.

S. Chryſoſtomus parcit nemini eximprobis; quia timet neminem. Hinc aulas, & principes in ſuum ſuſcitavit caput, optimè gnarus: Præſtat diſplicere homini, quàm Deo. Fili! Deus! an homo imperat nobis? Deſpici meretur à Deo, qui in hujus cauſa hominem reſpicit. Deum ſuſpiciamus, & pergamus, non quô invitamur, ſed quò procedendum.

Inſtructio meritoria.

Ut tollatur reſpectus politicus, & humanus ex cordibus omnium religioſorum, præſertim ſuperiorum, omníſque cura impendatur diſciplinæ Monaſticæ ſeclusô hominum vanô timore, in honorem quatuor Doctorum Eccleſiæ *duodecim Pater & Ave* cum totidem *Gloria*

Pa-

Patri &c. perſolvamus. O quot veritatis Chriſtianæ nacti ſumus Magiſtros!

III.

MUlta ſcripſit S. Chryſoſtomus, eô ſpiritu, & zelo, ut dignus ſit æſtimatus, cui S. Paulus Apoſtolus (quem ille coluit mirè) ſcribenti, & prædicanti dictaſſe, videatur. Laborantibus pro Deo, & ipſi ſuccurrunt Cœlites. Fili mi! non ſimus deſides! poſſumus & nos: modò prompta non deſit voluntas ad pios labores. Hîs emitur Scientia Dei.

Inſtructio meritoria.

Cum gaudio proin noſtra aggrediamur ſtudia, nec tœdio, nec torpori, nec defatigationi cedamus. Verùm ut Deus nobis ſuâ potenti adſit gratiâ, ſtudiis præmittamus *Veni S. Spiritus.* Cui & orationem de Feſto S. Chryſoſtomi addamus. Sapientia donum eſt Dei. Non datur niſi ſupplicanti.

Feſtum S. Franciſci Saleſii, Divini Amoris Magiſtri.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! fortè S. Franciſcum Saleſium non novimus hactenùs? Ecce! fuit decus hujus ſæculi, virorum Apoſtolicorum, & Epiſcoporum exemplar, pietatis, & amoris Divini Doctor peritiſſimus. Quis non ſatagat eſſe cultor, & amator Viri coram Deo, & homine pretioſiſſimi? Rari ſi hi ſint, augeamus ſanctitate & noſtrâ juſtitiâ.

Inſtructio meritoria.

Ut amatores creſcant Dei, & S. Franciſci, præſertim in S. Familia à Saleſio quàm piiſſimè inſtituta, fiat una hodie ſpecialis Viſitatio Sanctiſſimi Altaris Sacramenti. Cum recitatione *Litaniarum* de Eodem. Si S. Franciſcum quæramus, cum Jeſu in tabernaculo inveniemus. Properemus!

II.

QUidquid ſcribendum, componendum, legendum, aut agendum, id omne exordiebatur à Verbo: *Vivat Jeſus.*

ſus. Hoc Nomen totum exhauriebat Saleſium. Nec cogitabat, nec loquebatur, niſi: *Vivat Jeſu! Amor meus!* Operarium fortunatiſſimum, cujus opus à Jeſu incipit, & in hujus amore deſinit! *Triſtatur aliquis? veniat in cor ejus Jeſus. S. Bern.*

Inſtructio meritoria.

Sit & eadem per diem teſſera continua in ore; imò & ſchedulis inſcribamus, & intrà cellas, aut lectiſternia ſuſpendamus. Sic Jeſus non erit procul à latere noſtro. Recitemus & *Litanias* de Sanctiſſimo Nomine Jeſu. Amici nomen ſi audis, lætaris: quid ſi Nomen Redemptoris? Salvatoris? Amatoris?

III.

FIli dilecte! cor noſtrum mutemus cum Corde viri hujus Seraphici. Franciſcus caruit omni felle, & cordis acerbitate. Ideò purum mel fudit in proximum, ægrotos conſolandô, pauperes eleemoſynîs ditandô, peccatores docendô, & errantes oviculas ſuaviter ad

Christi Jesu ovile attrahendô. O nobile cor! O quàm rarum homini.

Instructio meritoria.

Ut meritîs S. Francisci obtineamus, *sex actus* mansuetudinis reflexè exerceamus unà cum *doloroso Rosario*, quod offeramus pro illis, quos sæpè nostrâ impatientiâ, & indignatione offendimus. Est hæc voluntas Divini Magistri præcipientis: discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed, quoniam mitis sum, & humilis corde.

Festum S. Petri Nolasci Fundatoris S. Ordinis De Misericordia ergà captivos.

EXHORTATIUNCULA I.

DIscamus à S. Petro succurrere proximo. Is S. Ordinem instituit, qui animas servaret vel à tyrannide, vel à dæmone captivas. Quid agit charitas nostra? captivi ò quot adhuc existunt! sed ubi Petri? ubi redemptores? non advertuntur; quia pauciſſimi. Non quæ

quæ Jesu Christi, & afflicti proximi, sed quæ sua sunt, quæruntur, curantur, & diliguntur. Hinc dominatur & imperat amor sui. Sed væ regno, cui puer præest!

Instructio meritoria.

Pro incremento, & flore Ordinis tam Charitativi opera totius hodiernæ offeramus diei. Ad noctem gratiarum actionis locò, quòd Deus hanc S. familiam submiserit periclitantibus, intonemus vel in templo, vel cellula *Te Deum Laudamus.* Quis non gaudeat de tanto animarum remedio, atque lucro?

II.

ANgitur S. Petrus de re domestica. At mox vidit Matrem consolationis Mariam, & dicentem: Fili! *Ne dubita: in paupertate non te deseram: studeas, & servias filio meo, & mihi.* Amice! nostras curas, & cœlo, & Mariæ commendemus: erimus inter negotia uti quieti, ita & faustissimi. O chare! quàm bonum Patrem! quam piam & Matrem habe-

habemus in cœlesti patria! Utamur sunt paratissimi ad nostra obsequia!

Instructio meritoria.

Hodiernas actiones principaliores inchoemus à Jesu, & Maria, præmittendo flexîs genibus: *Ave Maris Stella*, omnésque superfluas curas in Vulnera Jesu, & Ubera Mariæ abscondendo cum tessera: *Cœlum providebit!* Quærite primùm regnum Dei.

III.

NOx inimica est animæ: Sed non piorum. Suaviter dormiunt S. Petri discipuli: dormientibus assistit Maria, & ne quid damni inferret dæmonis invidia, maternè protegit. Ita dormire quis non exoptet? Fili! tam dulciter dormiemus, si nostra ad lectum comes iverit Maria.

Instructio meritoria.

Præparatio pro somno sanctissimo est ipsa conscientiæ nocturna discussio. Hanc quotidie præmittamus cum *formula votiva*, & *Litaniis Lauretanis*. Nomen Mariæ ô potens scutum pro dormientibus!

FE-

FEBRUARIUS.

Festum S. Ignatii Antiocheni Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! vivimúsne? sed cui? Doceat id S. Ignatius, cujus totum vivere, loqui, & cogitare non erat nisi laudare, & amare Jesum. Et quid facilius? quid dulcius? ô si Jesus in cor nostrum veniret, quàm citò sancti essemus!

Instructio meritoria.

Procul cum amore profano; totum se nobis dedit Christus! mundus nil nisi interitum. Satisfaciamus ratione stultitiæ, & vanitatis nostræ, & recitemus *Officium* de dulcissimo Nomine Jesu. Ah! cur non rumpitur pectus, dum Jesus offenditur? amor Jesu ad magna impellit. Sed in nobis ubi illa?

II.

S. Ignatius sic dilexit Dominum Jesum, ut Ipsi cuperet esse quàm simillimus! hinc pii gemitus: *Frumentum Christi sum! dentibus bestiarum molar!* Amicus

cus Jesu esse non potest, qui ab hujus degenerat vita, & exemplo : Et tamen nos tam avidè desideramus.

Instructio meritoria.

Christus sit confabulator tuus (ait Damianus) *contubernalis tuus, & conviva; imò Christus ipse sit tua delicia.* Ideò nunquam accedamus communitatem fraternam, nisi coram Sanctissimo vel Crucifixo petitâ ab Eo benedictione, & præmissîs *quinque Pater & Ave* in honorem quinque Litterarum, quibus constat Nomen Jesu. Ubi Jesus, ibi salus, pax, & gratia.

III.

QUid amor non tentat ? Mariæ ita familiaris fuit S. Ignatius, ut illi adhuc viventi scripserit epistolam, reciprocámque ab Ea acceperit. O gloriosum Litterarum commercium, quô filius Matri, & Mater intimè jungebatur filio! quid nos attentabimus ? Amandissime! licent paria.

Instructio meritoria.

Filius salutet Matrem : Et nos Mariam. Epistolam igitur expediamus ad Cœli Re-

Reginam, in qua octo magis heroici actus in humilitate, temperantia, & taciturnitate Ei offeramus pro perpetua nos inter amicitiâ. Schedam deponamus aut in manus Beatissimæ V. Mariæ, aut abscondamus sub pia Icone cum Antiph. *Salve Regina*, Mater Misericordiæ!

Festum Purificationis B. Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus, ut se pro nobis offerat, ac præsentet hostiam vivam. Surgat ergò filius spiritualis! & occurrat Deo suo! occurrat in omni puritate animi, lætitiâ cordis, & gaudio Benedictini spiritûs.

Instructio meritoria.

Hæc Præsentatio ut nostra sit in cœlis glorificatio, recitemus *primas quatuor Decades* ex S. Rosario Gaudioso. In fine prostratô coram Sanctissimo Altaris Sacramento corpore nos totos præsentemus SSS. Trinitati in Hostiam Divini Bene-

beneplaciti, & voluntatis Sacratissimæ. Non surgemus sine grandi merito. Renoventur dein solemnia Vota cum Psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia &c.*

II.

O Prodigium humilitatis! Maria se subjicit legi peccatorum, ut videretur esse, quæ tamen non erat! quia Mater Dei. Fili mi! simus, quos probant opera, videlicet: in oculis Dei justi, humiles, & omnis sanctitatis amatores. Judicent nos humani oculi! quid eum? modò propria nos non incuset conscientia. Si nos hominum moveat opinio, citò abstineamus ab opere bono? Quidquid egerimus, vel omiserimus, perinde est, criticos experiemur.

Instructio meritoria.

Pro acquirenda humilitate cordis solidâ post preces ad salutationem Angelicam persolvendas exosculemur in honorem ætatis Christi trigesies quater terram subjungentes Psalmum: *Domine! non est exaltatum cor meum &c.* Humi-

liate

liate capita vestra Deo! clamat ad filios Ecclesia.

III.

QUod Mariæ erat charissimum, obtulit hodie Deo, nimirum Christum, & honorem suum. O dignum Patre Cœlesti sacrificium! Fili! si honorem, si cor, si voluntatem, & affectus nostros pro Deo impenderimus, obtulimus omnia. Et ô quàm suave est, tam pio, & liberali Patri servire, qui terrena offerenti rependit cœlestia. Ideò S. Chrysolog. cur non cœlo *mutuamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus?*

Instructio meritoria.

Ut purificemur, & mundemur spiritualiter, omnibúsque delictorum eluamur contagiis, per octo dies in nostro cubiculo candelam accendamus, quâ ardente antè cubitum semper renovabimus formulam votivam cum *Lyt. Laur.* Hæc candela loquetur, quanti sit in corde nostro, ac pietatis affectu dulcis Virgo, Clemens Mater, Potens Maria.

Dies

Dies S. Blasii Episcopi, & Martyris Patroni contrà dolores gutturis potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

QUatuordecim Auxiliatores sunt, quos in suis necessitatibus implorat ecclesia. Hos inter & S. Blasius. Fili! timemusne violentam mortem? possumus liberari: Sed meritis S. Blasii. Est frater, amicus noster, passus est eadem mala, quæ nos patimur. Non S. Blasio difficile est, homines adjuvare, quoniam Deo junctissimus.

Instructio meritoria.

O quot miseriis subjectus est homo! sumus & nos. Ne opprimamur, omnes quatuordecim Auxiliatores totidem *Pater & Ave* cum *Gloria* recitantes veneremur. Hos coluisse, proderit in morte.

II.

EPiscopus tam sanctus, ut dignitatibus morereretur, studiô vitæ durioris secedit in antrum cum S. Hieronymo affirmans: *mihi oppidum carcer est, & solitu-*

solitudo paradisus. Quid non amamus? vel cur quærimus turbas? hîc non habitat virtus, nec animæ sponsus. Jesus vult esse solus cum solo.

Instructio meritoria.

Fugiamus sæcularium conversationem, & soli in cubiculo oremus Psalmum: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* dum soli, nunquam soli; quia à latere Deus, & angeli.

III.

BEstiæ dum S. Blasium advertunt orantem, quietæ perstant in antro, nec recedunt, usque dum completâ oratione à Dei viro expectatam acceperint benedictionem, & recedendi licentiam. Quanta vis in oratione, cui & bestiæ suam deferunt reverentiam: nunquid ut compensent nostram?

Instructio meritoria.

Bruto non cedamus! fervorem augeamus, idque vel præprimis hodie: igitur ad omnes preces, & exercitia flectamus erectô corpore, erectis ad Deum manibûs, & oculis quàm modestissimè com-

compositîs, neque in ecclesiis vel perdamus verbulum. Ter in templo oremus amantis animæ strophàm: *Anima Christi! sanctifica me!* hominem veremur? & Deum non respicimus! O frigidam fidem!

Dies S. Andreæ Corsini, Episcopi Fesulani ex Ordine Carmelitarum.

EXHORTATIUNCULA I.

ANdreas malè vivere cœpit: Sed finiit sanctissimè. Cujus ductu? auxilio? Mariæ, cui boni parentes adhuc parvulum dicabant ex integro. Sic Mater protegit filios. Profectò *Adiutrix nostræ Redemptionis, Auxiliatrix nostræ Justificationis; Deus enim omnes gratias faciendas Mariæ commisit, quas ipsa fideliter distribuit.* S. Bernardinus.

Instructio meritoria.

Vitam ut & nostram sanctificet Maria, ter coram devota Hujus Imagine oremus hymnum: *Ave Maris stella* cum *Salve Regina.* Ad noctem addamus

mus formulam votivam. Facile est, emendare vitam, ubi talis Mater, quæ instigat.

II.

NOvitius tentatur miserè! Vinci, & superari tamen non potuit S. Andreas. Unde? quia vixerat non nisi inter clientes Mariæ. Montem petiit Carmeli. Habitum Mariophilorum induit: Quid mirum, quòd tam fortis in bello. Nulla nos terreat virtus Adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater Unigeniti Dei. B. Amad.

Instructio meritoria.

Gratissimus & nos cœtui tam sancto, qualis est Carmelitarum. Ab his enim illud accepimus Mariæ vexillum, quô nec carnem, nec inferos timeamus. Pro gratiarum actione, uti & sacratissimi hujus Ordinis amplitudine offeramus Mariæ *Officium majus* cum 12. osculis SS. Scapularis. Quod filiis, idem præstatur & Matri. O si magna! excelsa! sublimia!

III.

TOtum vivere S. Andreæ fuit se odisse, & diligere Mariam. Verùm ô

quanto cum sui emolumento! infirmo enim servulo adest Consolatrix infirmorum, ipsa cœlitum Domina. Et quid vult? diem mortis insinuat, & ad regna invitat cœlestia. O bona nova! Ah fili dilecte! quem pœniteat, vixisse Mariæ!

Instructio meritoria.

Continuemus, quod pii sodales promisimus Dominæ, & ad omne signum Angelicæ salutationis hodie specialiter commendemus nostram extremæ luctæ, & mortis horulam, jungendô *Litanias Lauretanas.* Non timet mortem, cui quotidiana, & dulcis fuit illius memoria. Hæc verò apud filios Mariæ est continua.

Festum S. Agathæ Virginis, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

VIcit S. Agatha mundum cum omni pompa, quia in primo flore despexit. Fili! sancti deserunt: conquerantur & contrà mundum sui assecla, quia fallax est. Promittit bona: Et largitur mala: Spondet vitam: Et infert mor-

mortem. An non ita? loquatur quotidiana experientia.

Instructio meritoria.

Cœlum sæpiùs affectuosè suspiciamus, & desideranter oremus Psalmum: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* Tessera diurna: *O quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!* Toties decepti à sæculo, non adhærebimus Deo?

II.

S. Agatha nec blanditiis, nec minîs, & terroribus cessit, restitit, & mortem elegit, ne Christum cum cœlo perderet. Fili! & nos tam generosi foremus in amando, qui nostram salutem momentaneæ delectationi, & laxitati toties postponimus? A Virgine discamus, quid sit, diligere Jesum.

Instructio meritoria.

Hujus amorem curavimus modicè: satisfaciamus per recitationem Officii de dulcissimo Nomine Jesu, & ter flexîs genibûs ei dicamus culpam per illam formulam: *Confiteor Deo Omnipotenti &c.* humilitas & oris confessio jungit,

& unit Deo; separat autem occultatio. Deus scit, & cernit omnia: Et ne nos humiliemus, evincat superbia? Manhu! quid hoc?

III.

UNde tanta S. Agathæ puritas, quâ & ipsîs (teste S. Ambrosio) superior fuit Angelis? Unde? dicam, ô fili! pro nostra doctrina. Deum ubique sibi suspexit præsentissimum: ideò nec voluntatem suam attendit; nec delicias curavit: sed cœlestia solùm suspiravit. Utique sequemur? Parùm sapit, cui nihil sapit, nisi in palato.

Instructio meritoria.

Hæc omnia impetrabimus, si hodie præcipuas septem Beatissimæ Virg. Mariæ festivitates per annum occurrentes recitatione *trium Rosariorum*, & *Officii majoris* veneremur. Quod justum, & dignum est, non negat Maria.

Festi

Festivitas Gaudiosa Dulcissimi, & Potentissimi SS. Nominis Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

NOmen Jesu insonat! flectamus genua, & nostra exultent pectora! in hoc SS. Nomine stat nostra tota salus, & gloria. Quis non revereatur, & diligat? O fili! stamus pro nomine nostro, nec in aliquo patimur inhonorari; quantò magis ardeamus pro Nomine Jesu, pro Nomine Redemptoris, & Salvatoris nostri? Scimus obligationem: ergò & reddamus.

Instructio meritoria.

Manè excitati genuflectamus versùs quatuor mundi partes, cum omni veneratione, & desideriô gratulantes: *Centies millies laudetur Sanctissimum, ac Dulcissimum Nomen Jesu!* Per diem autem recitemus Officium minus de Eodem. Frater fratri congaudeat!

II.

QUis nostrûm est, ô fili! qui non offendit sæpiùs admirabile Nomen Jesu? ô quantæ hîc irreverentiæ! ô quot

admissi abusus! Dies adest honoris, & gloriæ: tandem emendemus, & in omnem terram, quantum fieri potest, Nomen Salvatoris portemus, & promoveamus, verbô, & exemplô, plùs tamen exemplô. Qui Regem honorat, honorabitur ab eo.

Instructio meritoria.

Præcipuè satisfaciamus pro millenis blasphemiis, & detestandis injuriis, quibûs Jesum impetunt obdurati Judæi, Gentiles, & pessimi Christiani, compatiamur, & in honorem quinque Litterarum, quæ hoc sacrum exprimunt Nomen, recitemus 50. *Pater & Ave* cum Lytaniis de eodem. Amor non est, qui compati nescit.

III.

Estne Nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri? non est. Procul cum fastuosîs, superbîs, & elatîs *titulîs*! Satis in honore sumus, si humiles, si fortes, & magnanimi pro Nomine Jesu. Occasiones non desunt; patiamur, ut cum Jesu exaltemur.

In-

Instructio meritoria.

Quoties hodie transibimus Imaginem Jesu Crucifixi, toties flectentes dicamus: *Jesu Nazarene! Rex Judæorum! miserere mei!* Et ut Deus augeat cultores Sacratissimi hujus Nominis, hodiernam Confessionem, & S. Communionem cum uno S. Rosario offeramus cum S. Bernardo optantes:

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quærite,
Quærendô inardescite!

Festum S. Romualdi S. Ord. Camaldulensis fundatoris.

EXHORTATIUNCULA I.

Mirabilis Deus in vocationibus suis! Interfuit Romualdus cædi alicujus. Et ô digitum Dei! mox inter homines vivere desiit, séque inter deserta, & speluncas penitus sepelivit. Quotidiana, mi fili! cernimus mundi, & hominum pericula: & tamen non fugimus? quàm justè timendum, ne incidamus.

Nunquam honestior, nunquam & securior fuga, quàm si contra peccata!

Instructio meritoria.

Ut nostram, & aliorum salvemus animam, à manè & vespere versus quatuor mundi plagas flectamus, & signantes signô S. Crucis dicamus: *ecce! Crucem Domini! fugite partes adversæ*, addamus demum 5. *Pater*, & *Ave* cum *Te decet Laus, tibi gloria &c.*

II.

S. Romualdus dicere est solitus: centum annos hilari animo traduxi in religione, sed viginti, quos transegi in sæculo, me angunt maximè. O Fili! Deo soli intendamus! homines fugiamus! sensus nostros contineamus, & jucunda erunt vitæ nostræ tempora. Et quid impediet, ne fiat? Deo adhærere est beatè vivere. Reliqua opinione bona sunt, sed natura in illis bona non est. Solùm illud bonum est, quod sempiternum. Hoc extrà Deum quærere possumus: invenire autem nunquam.

Instructio meritoria.

Deploremus perdita, & inter falsos mun-

mundi favores malè transacta tempora, & iterum redimamus. Quomodo? per septem dies quotidie unum ex psalmis pœnitentialibus recitandô, & aliquem cibum (si plures apponerentur) determinatè Deo offerendô. Vivimus, non ad delicias, sed ad salutarem pœnitentiam. Vitam & sanitatem debemus corpori, non sensualitatem, vel voluptatem.

III.

S. Romualdus adeò orationem adamavit, ut aut nullum, aut rarum somno tempus dederit, per omnia vigilans, ne sui spirituales filii vincerentur aut otiô aut somnolentiâ. Suîs vigiliis sanus in annos centum & viginti vixit. O nos timidos! timemus sanitati, dum diutiùs vigilandum, aut orandum. Confidamus Deo, de cujus amore tunc agitur. Scit, & vult Deus servare famulos suos. Promisit dudum: *Ego diligentes me diligo.*

Instructio meritoria.

Vigilate, & orate, mandatum Domini est. Subtrahamus hodiernæ (si quæ fuerit) recreationi, conversationi,

& nocti unum alterumve quadrantem, & aut pio studio, aut sacræ scriptioni, aut devotæ orationi ac Meditationi applicemus. Pro hâc nostri victoriâ offeramus unum supererogatorium Rosarium expansîs brachiis recitandum. Vim patitur amor! Magno sunt Dei beneficia! magnîs & multîs compensantur tum humilitatis, tum pœnitentiæ obsequiîs.

Festum S. Joannis de Matha Ordinis de SSS. Trinitate Fundatoris divinitus electi.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid miserabilius captivitate? hanc ut tolleret Deus apud Christianos, specialem adinvenit Ordinem pro redimendis captivis è potestate Saracenorum. Dilecte! de tam sancto instituto quis non gaudeat? aut Deo gratias non agat?

Instructio meritoria.

Igitur *Te Deum Laudamus* persolvamus, & per manus S. Joannis pro liberatione omnium fidelium, qui fortè inge-

ingemiscunt sub tyrannide, offeramus *Lytanias majores de omnibus Sanctis.* Unita vis, & juncta auxilia coram Deo sunt potentissima.

II.

GRatulemur S. Joanni, quòd è millibus fuerit electus in sortem illorum Dei servorum, qui animas Christo Jesu adducerent innumeras, quæ æternùm periissent, si liberatæ non fuissent. Fili! ubi zelus noster? animas & nos petamus de cœlo. Dabit, si exemplariter, si & virtuosè vixerimus. Nihil egimus, ò Chare! si lucrum neglexerimus animarum.

Instructio meritoria.

Absit hoc! citò ad pietatis subsidia! quæ autem illa? extraordinariam Confessionem, & S. Communionem instituamus pro animabus periclitantibus. Recitemus quoque Cursum Marianum. Cessant threni, & lacrymæ cum captivitate, ubi adest invocatio Jesu, & Mariæ.

III.

SUnt & in cœmeteriis captivi, & miseri. Consideremus tumulos! visi-

temus defunctos! audiemus lugubre miseremini! miseremini saltem vos Dei amici intimi! Clamor hic timendus & nobis, si misericordiam modò non fecerimus erga defunctos.

Instructio meritoria.

Amor non patitur moram! adhuc oremus hodie pro defunctis eorum officium cum uno nocturno, & omnia opera totius diei solis in purgatorio captivis applicemus. Hoc pretium est, quô frater redimit fratrem & quid facilius? Carbones mi fili! nescimus, quàm acuti sint in urendo! aliàs tentaremus majora.

Festum S. Apolloniæ Virg. & Martyris in dolore dentium Patronæ Amabilissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

COr ubi Dei ardet amore, tormenta non sentit, sint etiam gravissima. En! dentes suos offert lictoribus Apollonia; sed hilari mente. Quanta in Virgine fides! qualis & pro Deo constantia!

In-

Instructio meritoria.

Quid non merebimur à Deo, si devotè honoraverimus S. Apolloniam? merebimur certè pacem, & quietem à dolore dentium. Per octo igitur dies quotidie recitemus hymnum de communi Virginum ex Vesp. *Jesu corona &c.* cum oratione de Festo. Honorat Deum, qui Sanctam. Honorantibus autem omnia cooperantur in bonum.

II.

IN accensum rogum, divinô acta spiritu, liberè insilit, & suâ fortitudine tyrannum cum tortoribus triumphavit. Violenter agendum, mi fili! ubi periclitatur Nomen Dei, & propria salus. *Frigidum nolle non sufficit.* Grandia facere, & fortia pati Christianorum est. Ergò & nostrûm.

Instructio meritoria.

Per manus S. Apolloniæ tres actus mortificationis externæ offeramus SSS. Trinitati, & pro obtinenda fortitudine Christiana addamus *Officium de S. Cruce.* Qualis Magister, talis & discipulus; ille in Cruce, ita & nos.

III.

FIli! dolores advertimus, & morbos in corpore? quid tum? patitur solùm homo; gaudet verò Deus cum anima. Inspiciamus Crucifixum, & evanescet omnis dolor cum tristitia. Quid enim omnis passio nostra ad passionem Jesu? In manu nostra est, si velimus, ferrum convertere in aurum. Sæpè cruces non sunt, quas credimus esse.

Instructio meritoria.

Dum hic patimur, redimimus, quæ sustinenda in vita altera. Pro gratiarum actione offeramus 33. *Pater & Ave* cum *Credo*. Tot enim annîs pro nobis passus est Dei Unigenitus. Ah! & nos unâ horâ sub adversis, & minùs prævisis casibus fatiscimus! desperamus!

Solemnitas Matris Matrum, & Sororis SS. Patris Benedicti Castissimæ S. Scholasticæ Indulgentia plenaria.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! congaudeat sibi de hodierna festivitate. Est enim dies Matris vestræ sicut

cut castissimæ, ita & sanctissimæ. S. Scholastica hæc est, quæ vix novit mundum, & jam despexerat eum. Vita illius erat ipsa puritas; mors verò glorioſissima. Quis Scholasticam non veneretur, & diligat?

Instructio meritoria.

Contemptus sæculi, puritas vitæ, & bona mors ô quàm nobis tria necessaria. Impetrabimus omnia per SS. Matris Scholasticæ merita. Ad Litanias igitur omnium Sanctorum ex Ord. S. P. Benedicti cum uno, vel altero S. rigoris actu. Rigorem amârunt Sancti & Sanctæ: Cur non & peccatores?

II.

BEnè, & sanctè loqui nescimus, mi Fili! intremus scholam Benedictinæ Scholasticæ: Et docebimur satis. Totam noctem cum Fratre suo Sanctissimo consumpsit colloquendô de æternis gaudiis, & credidit, vix momentum fuisse. Citò transeunt tempora, ubi beatitudinis æternæ memoria.

Instructio meritoria.

Ars artium est inter homines conversari, & non in conscientia fœdari. In honorem

norem S. Scholasticæ abstineamus hodie à multiloquiis, vel discursibus minùs statum decentibus, & animæ noxiis. Ne delinquamus in lingua, Psalmum : *Verba mea auribus percipe &c.* coram Crucifixo oremus cum 33. osculis terræ! Aut nihil, aut parum dixisse, optabimus in morte.

III.

AGonizat Mater! Fili! subveniamus! at non indiget nostrûm! jam avolavit ad cœlum castissima columba. Mortua est Scholastica sine dolore. Non mirum : Nam dilexit multùm. Sola puritas, & sincerus Dei, virtutísque amor alleviat mortis angustias. Quid agimus, si non ita vivamus?

Instructio meritoria.

Utramque virtutem imitemur in SS. Matre Scholastica, & per integram octavam coram hujus Ara, vel S. icone flectentes, minus illius *Officium*, vel *Lytanias* recitemus sub quotidiana tessera : *Monstra*, te esse Matrem!

Fe-

Festum Cathedræ S. Petri Antioch.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆc dies, quam fecit Dominus pro gloria, & lætitia Nominis Christiani. Hodie S. Petrus primâ vice à fidelibus renuntiatus est Vicarius Christi, & Pastor optimus Christianorum. Gratulemur Romanæ Ecclesiæ! gratulemur & nobis, quia hujus vivimus electi filii, & discipuli! Quid potuit vineæ suæ facere Deus, & non fecit?

Instructio meritoria.

Probemus nostram gratitudinem pro beneficio vocationis ad fidem catholicam per triplicem visitationem ecclesiæ. In prima recitemus officium SSS. Trinitatis. In secunda symbolum S. Athanasii: *quicunque vult salvus esse.* In tertia pro augmento ecclesiæ, extirpatione hæresum, & pace ac concordia Christianorum Principum 15. *Pater & Ave* cum *Credo.* Pietate, & orationibus exaltatur Dei Ecclesia.

II.

O Fili! ſub quàm ſancta vivimus Matre! Chriſtus, Caput ejus, ſanctus eſt. Sancti ſunt ejus fundatores. Doctrina, cæremoniæ, ſacramenta illius ſancta ſunt omnia. Quàm multa inſuper ad ſanctitatem noſtram tum exempla, tum incitamenta! & hæc quotidiana. Filii Eccleſiæ ſumus: ſed digni matre tantâ?

Inſtructio meritoria.

Ut ſimus, imitemur primos Chriſtianos, quorum totum vivere erat, vigilare inter orationes, & dare eleemoſynas pauperibus. Utrumque & nos præſtemus, recitandô graduales Pſalmos, & petentibus, quæ juſta, & ſancta ſunt, nihil negandô, ſed potius renuentem voluntatem egregiè mortificandô. Stabit bonîs exemplîs, & multîs precibûs pia Mater, Romana Eccleſia.

III.

M*Emento*, ait S. Leo, *cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum.* Memento; ſed ad puritatem, & ſanctitatem vitæ. In his enim virtutibus cogno-

gnoscent omnes, quia discipuli, quia fratres sumus Christi, & genuini Ecclesiæ filii. Taliter si & mori cupiamus, toti mundi, & perfecti vivamus in hoc sæculo.

Instructio meritoria.

Ecclesiis omnis debetur honor, & reverentia. In his dum oramus, caveamus ab omni garrulitate, levitate, aut futili, immodestâ curiositate. Quia verò multum deliquimus, supererogatorio Rosariô satisfaciamus cum 50. osculi terræ. Templum Domini est! non fiat spelunca vitiorum, aut levitatum.

Festum S. Mathiæ Judææ, ac Oethiopiæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

SOrs Apostoli cecidit in Mathiam. Sors Benedictini religiosi cecidit in nos. Mathias opere, & sanguine implevit sortis mensuram, & plenitudinem; nos impleamus magno fervore, ac spiritu Benedictinô. Filii! volumúsne parem cum S. Mathia sortem possidere in cœlis? pari zelô apostolicô laboremus

remus pro Deo, & S. Evangelio in terris.

Instructio meritoria.

Spiritum, & fervorem ut obtineamus S. Mathiæ, in venerationem 12. *Pater*, & *Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* et uno *Credo* recitemus. Sortem sat tenet bonam, qui colit, & honorat S. Mathiam.

II.

APostatavit Judas, & non contentus sorte suâ æternùm periit. Tanti est, in statu suo non perseverare! non sic, fili mi! Seneca dat fidele monitum: *Hoc à te exige, quem statum instituëris, præstare te, talem te usque ad exitum serves.* Servavit S. Mathias. Ideò tanta jam hujus gloria in cœlis. Hæc datur soli constantiæ. Currunt multi, sed unus accipit bravium. Quis? qui perseveraverit.

Instructio meritoria.

Gratias agamus pro beneficio vocationis orandô illum Eucharisticum Psalmum ex matutino Sabbathi: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra*

trà me sunt, Nomini sancto ejus &c. Gratiarum actio est optima beneficiorum retributio. Reverentia & humilitas provocant Beneficentiam. Ingratorum perpetua in terris est oblivio.

III.

QUæ causa collatæ tam subitò dignitatis Apostolicæ in S. Mathia? humilis erat, & parvulus in oculis suis. Ideò S. Mathæus: *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Sola humilitas valet coram Altissimo. Elatio, & jactantia impugnat Deum: Quid igitur honoris, aut amoris inde sperandum? superbis resistit; humilibus dat gratiam. Hæc lata sententia!

Instructio meritoria.

Si incedamus, capita humiliter inclinemus, & pro impetranda solida, ac perfecta humilitate, coram Crucifixo flectentes 15. Pater, & Ave recitemus cum nota collecta ac versiculo: *Christus factus est obediens &c.* Oremus, *Respice quæsumus Domine super hanc familiam*

miliam &c. Crucifixum intuemur: & superbimus?

Dies S. Walpurgæ Virginis, & Abbatissæ, nec non infirmorum Thavmaturgæ.

EXHORTATIUNCULA I.

A Bipsis propè incunabilis suam Christo dicavit Virginitatem, & in perpetuum hujus obsequium sese obtulit Walpurga Virgo tenerrima. O fili! facilius est servire Deo, quàm credit homo. Mandata profectò cujus gravia non sunt. quare? respondet S. August. *Non enim est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat.*

Instructio meritoria.

Ut huic Redemptori toties debito charitatis obsequio non desimus, satagamus, vel imposterùm à signo primæ exitationis primas Diei cogitationes ad solum dirigere Deum, orantes flexîs genibus *tria Pater, & Ave* cum totidem *Gloria Patri.* Vincatur natura, ubi agitur de augenda Dei gratia.

Præ-

II.

PRæfuit Virginibus adeò feliciter, ut ſanctæ Walpurgæ virorum quoque committeretur cura, & ſollicitudo. Non mirum : Eminuit enim charitate, & caſtitate angelica. Hæ virtutes ſunt, quæ & animas ſervant inter pericula. Ubi illæ, ibi & Deus. Ubi autem Deus, quis ſibi timeat?

Inſtructio meritoria.

In Charitate, & cordis innocentiâ noſtram ô fili! frequentemus hodiernam converſationem, præmittentes vel in cubiculo, vel templo Domini Pſalmum : *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis.* Tela prævisa minus feriunt. Cum ſancto ſanctus eris.

III.

INnocentiam S. Walpurgæ mirô remuneratus eſt Deus prodigiô; quia ex benedictis Caſtæ Virginis oſſibus oleũ profluit humanæ infirmitati ſaluberrimum. Impurè qui vivunt, retinere non poſſunt, oleô tam ſancto è vaſculis occultâ vi ſubtractô. Ceſſant ô fili! prodigia, ubi incipiunt peccata. Animæ mundæ nunquam

quam malè est : benè semper. Quæ cura de nostra?

Instructio meritoria.

Ut vivamus sani corpore, & integri animâ, Thavmaturgam veneremur nostram S. Walpurgam, recitandô hymnum: *Jesu! Corona Virginum* cum oratione de Festo. Noctúque sensus nostros ad modum extremæ Unctionis signemus dicendô: *Indulgeat mihi Dominus per S. Mariæ, & B. Walpurgæ intercessionem, quidquid deliqui oculis &c.* Sensuum ubi sollicita custodia, ibi aut nulla, aut rara peccata.

Festum Leandri Hispalensis Archiepiscopi, & Doctoris ex S. Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

ARianam pravitatem laudemus hodie meritîs S. Leandri totâ ejectam Hispaniâ. Magna hæc gloria est tanti Doctoris, quam & ipsa solemni ritu celebrat Ecclesia. Hæc triumphat in hostes solâ virtute, doctrinâ, & vitæ exemplîs.

In-

Instructio meritoria.

Ut plures prodeant è familia Magni Benedicti Leandri zelosissimi, recitemus *Lytanias* de omnibus Sanctis Benedictini Ordinis. In fine dicamus : *Te Deum Laudamus.* Laus Dei, & Sanctorum nunquam est sine præmio. Si non hîc, dabitur alibi.

II.

EA fuit Leandri sapientia, & auctoritas, ut inimici vel solô illius auditô nomine contremiscerent. Struunt periculosas sancto insidias. Avertit Deus, & tantum sibi Doctorem servavit Omnipotentis Providentia. Vivamus sanctè, & vicimus inimicos.

Instructio meritoria.

Pro Conversione excœcatissimorum apostatarum recitemus coram Crucifixo, aut Sanctissimo *Lytanias majores.* Aderunt sancti Dei singuli, ubi agitur, & pugnatur pro gloria Christi.

III.

EN! S Leander in exilium ejicitur. Hæcne merce tanti laboris? Fuit; sed pretiosissima. Nam Deus constituit.

Justus hic est. Hinc nostros ô fili! conatus in hac terra præmiatur adversîs, ut in futurum ampliora tribuat meritis, & virtuti statuta præmia. Spernamus mundi favores, & gaudia. Patiamur Manum Domini. Patris est: exoſculemur! non punit, sed ungit.

Instructio meritoria.

Ut exilium hujus mortalis vitæ portemus cum insigni proventu animæ, oremus ter Canticum trium Martyrum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* addendo & toties suspirium S. Augustini: *hîc ure! hîc seca!* modò æternùm parcas!

MARTIUS.

Festum S. Virginis Chunegundis Augustæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Patronæ specialissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid ita placet Deo, ac puritas, & innocentia vitæ? Id testatur ambulans super ignitos vomeres S. Chunegun-

negundis innocentia. Ignis non lædit, quem puritas defendit.

Instructio meritoria.

Fili mi! Christo, Mariæ, S. P. Benedicto servimus, certò indignè, si non in sanctitate. Igitur rigidi simus sensuum nostrorum custodes, & pro stabili castimonia cordis oremus *Officium minus* de Immaculata Conceptione. Conteret Virgo Immaculata caput stygii serpentis.

II.

DEI templis, & ecclesiis ô quantam debemus reverentiam! noverat id S. Imperatrix! Hinc quidquid opum, & divitiarum accepit à Deo, illorum splendori, & ornatui obtulit, & ut quoque S. Henricus sua eò conferret, exhortationibus incitavit. Fili! non erubescant, qui nec mediâ horâ devoti, aut attenti in ecclesiis flectere, vel adorare supremam Majestatem dignantur. Simus his ferventiores nos!

Instructio meritoria.

Visitemus Ecclesias; & quidem inclinatô capite, oculísque vel ex integro clausis, vel in terram humiliter defixis,

& in satisfactionem omnium irreverentiarum offeramus 24. *Pater & Ave* cum totidem actibus fidei. Non credit, qui in templo Deum liberè offendit.

III.

SAt forte martyrium est, vivere inter delicias, & mundi gaudia, & tamen non fœdari. Sic vixit Augusta hæc sanctissima, de qua in lecto mortis S. Henricus: *Virginem dedisti; Virginem reddo.* Quid hîc respondent appetitus, & concupiscentiæ nostræ?

Instructio meritoria.

Suas cohibuit S. Chunegundis amore, & cultu Mariæ. Curramus & nos ad hanc pulchræ dilectionis Matrem, & ne seducamur ampliùs aut sensibus, aut inordinatis desideriis, nos in filios ei commendemus consuetâ sodalibus formulâ: *Sancta Maria, Mater Dei, & Virgo!* ego N. *te hodie in Dominam &c.* pro coronide dicamus *Te Deum Laudamus.* Multum in castitate seminat, qui caliter Mariam honorat.

Fe-

Festum S. Casimiri Regis Poloniæ Protectoris Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

MAgnus hic Poloniæ Princeps maluit mori, quàm maculari. Hic effectus est horroris perfecti ergà quodvis peccatum. Fili dilecte! horror, & odium peccati ô quàm multa, quàm magna præstant in anima! agnoverunt mundi Principes. Ideò fugerunt, & reliquerunt omnia. Nos quando sequemur? heu! quid moramur inter tot pereundi pericula?

Instructio meritoria.

Injiciamus hodie nostris frœnum oculis, & ut seriò timeamus peccatum, proximam Confessionem cum Sacramentali communione eò ordinemus. Recitemus insuper Psalmum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* ex Completorio. Aut sanctus, aut nihil.

II.

S. Casimirus horruit minima, & levissima peccata ceu gravissima. Et reverà respectu offensi Dei nunquam

datur minimum. O si & nos hujus essemus sententiæ! quàm cautiores fugeremus venialia! Hæc monstra sunt in oculis Dei! execremur! mactemus!

Instructio meritoria.

Paciscamur hodie cum SSS. Trinitate, nullum per diem præsentem admittere veniale peccatum pleno consensu, & advertentiâ, pactúmque hoc firmemus speciali silentiô, & separatione ab omni publico. Offeramus idcircò cursum Marianum. Quid est, quod non impetrabimus per MARIAM?

III.

NOn delicias, non libertatem, non delectamenta, quæ habuisset S. Casimirus in abundantia, elegit, sed cruciatus, cilicia, aliáque corporis tormenta, dicens sibi. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Deserendæ sunt sæculi cepæ! harum locò dabuntur deliciæ sanctorum. Et quæ illæ? Nec oculus vidit, nec auris audivit!

Instructio meritoria.

Nulla dies sine linea, nec corpus unquam sine sui tortura. Non parcamus ab-

abstinentiis, nec pœnitentiæ rigoribus. Rogemus à Venerabili Confessario; is sciet, quid conducat animæ. Corpori nihil comedamus extrà tempus ordinariæ refectionis. jejunemus hîc, ut ibi satiemur in perpetuum. Pro oratione sit Psalmus: *Deus, Deus meus! ad te de luce vigilo, sitivit &c.* Desideranti aperietur.

Festum S. Coletæ, Prodigiosæ Virginis ex S. Ord. S. Matris Claræ.

EXHORTATIUNCULA I.

SAcerdos dum sacram hostiam elevat ad aram, Coleta in lacrymas rumpitur copiosissimas. Hi fluunt rivuli, ubi fons, & Scaturigo invenitur viva fides! Fili! ah! S. Hostiam quoties aspicimus? Sed quali spiritu? Utinam compunctionis, & amoris!

Instructio meritoria.

Ad omnes SS. elevationes Sacrificiorum (si contigerit interesse) statim flectamus, & erectîs manibûs, oculisque clausis adoremus Deum Eucharisticum, dicentes: *Adoro te devotè latens Dei-*

tas &c. Jesus adest! quid aliud cogitamus?

II.

S. Coleta obtinuit à Deo suo, quidquid ab eo petiit. Fili! an nescimus, Jesum ideò remansisse in terris, ut nobis esset præstò, & auxilio? Invitat nos in templis, in SS. Exercitiis &c. Veniamus! Dabit, quod sanctè & justè petimus.

Instructio meritoria.

Trinam Visitationem sanctissimi instituamus! in prima vivam fidem. In secunda fiduciam firmam. In tertia charitatem efflagitemus ardentissimam, terna vice expansîs brachiîs 12. *Pater*, & *Ave* cum *Credo* recitantes. Quod dignum, & justum est, dabit nobis. Oremus fratres!

III.

IN Cultu SS. Eucharistiæ B. Coleta fuit prorsus admirabilis: ideô digna, ut ex manibus Jesu hoc caperet amoris epulum. Si vel parùm amaremus Jesum in Venerabili Sacramento, fili! illum sæpiùs etiam extra Ecclesiam piîs

suspi-

ſuſpiriîs, affectibûs, & devotis teſſerîs per diem ſalutaremus, deſiderantes: *Sitivit in te anima mea! quando veniam, & apparebo?*

Inſtructio meritoria.

In utraque refectione ſpiritualem reflexè communionem inſtituamus, mentaliter videlicet adorandô Sanctiſſimum, & dicendo: *Jeſu! nolo vivere ſine te. Veni, & ciba, pota, ac refice me. In te credo, ſpero, te amo ſuper omnia.* Recitemus & Pſalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Cui malè, ſi cum Jeſu Euchariſtico?

Solemnitas Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis ſideris in ſancto Dominicanorum ordine illuſtriſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! ſedemus in tenebris, & in umbra mortis? Quæramus ſolem, Veneremur S. Thomam, & illuminabit nos. Hujus ſanctitate, & doctrinâ triumphat tota Eccleſia; quantò magis

noſtra unica, dilecta anima. Ad plauſus, ad jubilos ergo.

Inſtructio meritoria.

Ut in ordine hoc Florentiſſimo prodeant plures ejusmodi ſoles, qui confundant, ac diſſipent hæreticorum caliginem, & tenebras, omnia opera totius diei in hunc finem offeramus S. Thomæ, quem & Hymno Ambroſiano *Te Deum Laudamus* veneremur. Gaudium omne à bono, & ſi alienum, tamen noſtrum eſt.

II.

D. Thomæ totum vivere, aut legere, aut ſcribere, aut orare fuit. Ideò & portentum exſtitit ſcientiæ. Fili! vacuum eſt cor noſtrum; quia vacuum continuâ induſtriâ, labore, & vigilantiâ. Laboranti promiſſa eſt merces: otioſis exitium, & ruina.

Inſtructio meritoria.

Non deficiat nobis accurata temporis diſtributio. Tempora hodierna demus ſtudio, devotioni, & Deo. Pro imitatione S. Thomæ Aquinatis antè quodlibet exercitium adoremus, & invocemus

mus potens Dei auxilium cum hymno: *Veni S. Spiritus.* Ab hoc nobis omnis sapientia, & eruditio.

III.

S. Thomas scripsit, & vixit solius Divinæ gloriæ causâ; hinc illa ex ore Christi deprædicatio: *benè scripsisti de me.* Perperam vivit, iniquè & laborat, quisquis studiis in suis nihil quærit, quàm Deum. Fili! vivamus, ut audiamus à Jesu: *vixisti benè propter me.*

Instructio meritoria.

Quæ nostra in actionibus intentio? Elevemus sub his frequenter mentem ad Deum conteſtantes cum Petro: *Domine! tu scis, quòd amem te.* Opere quodam peractô cantemus Domino: *Benedictus Dominus Deus Israël* cum *tribus*, *Pater*, *& Ave*, atque notâ oratione: *actiones nostras quæsumus &c.* Et hoc an non sanctè opera consummare est?

Festum S. Veremundi Abbatis ex Ordine S. P. Benedicti Regni Navarræ contrà famem Patroni Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

NE gravaret animam, & affligeret conscientiam S. Veremundus, corpus severè habuit, & quidem adhuc in prima sua pueritia. Felix, qui tam citò hosti dominatur domestico, rebelli corpusculo! hic solus dominabitur gentium, & omnium passionum. *Fili!* probemus & nos, ut simus ac vivamus nobiscum semper in pace, & spirituali consolatione.

Instructio meritoria.

Unam, vel alteram incommoditatem hodie libenter supportemus, uti & patienter. Pro cujus patientia oremus 15. *Pater*, & *Ave* cum Hymno: *Vexilla regis prodeunt.* Vulnus pro vulnere! jubet Jesus de Cruce.

II.

ELectus Vir innocens in Pastorem populi mores non mutavit, sanctior factus

factus ex dignitate. Inde tanta ergà subditos prodigia. Honorem ni virtus stabiliat, damnat, & præcipitat. Fili! nostrâ, quam imposuit Deus, sorte simus contentissimi. Dabit cœlum meliorem, si nostræ conduxerit animæ. Patientia!

Instructio meritoria.

Ut liceat vivere, & mori in solida humilitate, arripiamus Crucifixum, & sub suavissima exosculatione recitemus psalmum: *Domine! non est exaltatum cor meum &c.* adjungendô *quinque Pater, & Ave.* Inspice, & fac secundum Exemplar! Pati voluit Christus, non imperare, & dominari.

III.

FAmem ut tolleret à Regno Navarræ, quid egit S. Veremundus? Sacris operatur: Et ecce! adest columba, & circumvolans esurientium capita, satiavit omnia. O quàm Deo acceptum est sacrificium, si fuerit mundum.

Instructio meritoria.

Ut à dulci patria S. Veremundus publicas advertat necessitates, pestem, fa-

mem, sterilitatem, & belli, ac cœli fulmina, recitemus hodie Lytanias de omnibus sanctis, specialiter nominandô: S. *Veremunde! ora pro nobis.* Audiunt sancti, & juvant, dum sumus miseri.

Festum S. Joannis de Deo Confessoris, & Ordinis Hospitalitatis Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! in afflictione, in cruce, vel desolatione vivimus? Non contristemur! Hic S. Joannes, quòd vocatus sit *de Deo*, meruit suâ fortitudine, & patientiâ. Ut & nos simus, & vocemur filii Dei, tollamus crucem, & laudemus in adversitatibus Dominum. Non pigris, non otiosis, sed patientibus dabitur nomen, & regnum filiorum Dei.

Instructio meritoria.

Ut afflictæ, & desolatæ animæ non deficiant in fide, vel à Christo se separent, septem speciales patientiæ actus hodie exerceamus cum S. Rosario Doloroso. Quod impenditur misero, impen-

penditur ipsi Christo. Quàm ergò pretiosa Charitas proximi!

II.

AFflictiones non solùm sustinuit fortiter Joannes, sed & sponte quæsivit, inventásque augere studuit. Ideò stultum inducit, factus peripsema omnium. Erubescat hîc fastuosa hominum superbia! fili! quàm modica adhuc præstitimus in humilitate Christiana! si vivamus sine adversario, nemo sciet, quid possimus, ne nos ipsi quidem. Ad notitiam sui opus est experimento. Nemo vires suas didicit nisi tentandô.

Instructio meritoria.

Ut tamen crescamus in virtute tam nobili, resistamus hodie omni respectui, vel laudibus humanis de die sæpiùs repetentes in corde: *Domine! propter te! omnis autem homo mendax.* Suffragiorum locò addamus 12. Pater, & Ave cum totidem osculis terræ. Tot Gradus humilitatis, & patientiæ sunt.

III. Quid

III.

QUid video? Joannem medium inter flammas, & tamen innoxium. Quis conservavit? charitas pauperi & misero impensa. Corde ergâ Deum, & proximum intùs ardente, quidquid mali evenerit ad extrà, non tangit amantem. Fili! non volumus uri? Diligamus.

Instructio meritoria.

Hæc charitas, ut in devotis familiis S. Joannis de Deo sit quotidie flagrantissima, ergà obvios pauperes, & miseros, 12. actus multæ charitatis reflexè exercendos offeramus SS. Trinitati cum suspirio S. Augustini: *Domine! da cor, quod te cogitet, animum, qui te diligat, mentem, quæ te recolat, intellectum, qui te intelligat, rationem, quæ tibi semper summè delectabili fortiter inhæreat.* Ama, & amaberis.

Festum

Festum S. Franciscæ Romanæ
Fundatricis Oblatarum sub regula S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

SEnsibûs quotidie fallimur, & præcipitamur! Franciſca ut cohiberet, omnibûs abstinuit spectaculîs, conviviîs, & publicîs oblectamentîs Hinc Angelus Dei aberat nunquam à latere Matronæ piissimæ. Vivere sensibus, & spiritui est idem, ac velle servire duobus Dominis. Et quod horum poterimus? Amicus sensuum inimicus constituitur Divinorum, atque cœlestium.

Instructio meritoria.

Ne ampliùs oculîs, vel gustu offendamus Deum, sensus nostros à Manè Deo commendemus Eucharistico cum quinque Pater & Ave in honorem 5. vulnerum Jesu. Oremus & collectam: *Respice quæsumus super hanc familiam tuam &c.* Vulnera Crucifixi erunt sensuum receptacula.

II.

VIri exilium, bonorum omnium jacturam, totiúsque domûs mœrorem tulit Franciſca conſtantiſſimè, non contriſtans, ſed laudans, & cum Jobo benedicens Dominum: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit Nomen Domini benedictum. Fili! ecce regulam contrà inordinatam triſtitiam! Utamur; & contriſtabimur nunquam.

Inſtructio meritoria.

Grati ut ſimus Deo mala immittenti, flexîs genibus perſolvamus 15. *Pater, & Ave* cum *Te Deum Laudamus.* Sentire adverſa naturæ, & quid humanum eſt; In his lætari, & gratias agere, gratiæ, & quid divinum. Eligamus, quod ſanctius. *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Pro. 12.

III.

ÆStimationem ſui ut triumpharet, quid excogitavit demiſſa Dei famula? Titulô vaſculi immunditiæ gloriari, & aſellum onerata manipulô lignorum per publicas Romæ plateas agere voluit, eligens diſplicere homini, ut ſoli

soli placeret Deo. Et hoc vincere seipsum est. Fili! hîc abhorret natura? Quare? Quia sui amore nondum vacua.

Instructio meritoria.

Æstimationem propriæ excellentiæ ut reprimamus, clam scalam serpendo ascendamus, & cuilibet gradui cum *uno Ave* osculum figamus, addendô in fine canticum Mariæ: *Magnificat anima &c.* Hæc ascensio nostra erit in cœlum provectio. Sic S. Petrus: humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Petri 5. 6.

Festum S. Gregorii Magni, Pontificis, & Doctoris in Ecclesia Eminentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD scholam magnæ sanctitatis, & omnis perfectionis nos vocavit Deus. Fili! ergò Magistrum inquiramus in S. Gregorio, qui & virtute, & Dei sapientia, ac spiritu Christi, & almi Patris Benedicti magnus vocari meruit. His omnibûs quantum indigemus! sed quomodo impetrabimus?

In-

Instructio meritoria.

Laudetur Deus in sanctis suis! Lytanias recitemus de omnibus Sanctis ex S. Ordine Benedictino cum Cantico; *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Laus Dei cœlites lætificat, & beatos facit. S. Laur. Justin.

II.

IRatus erat Deus populo Romano, quem gladiô feriit luis pestiferæ. Iratum placat denuò S. Gregorius. Quomodo? Publicè circumferendô Mariam, cui ipsi cœlites auditi sunt aggratulari cantantes. *Regina cæli lætare.* In periculis optimum dat medicamen & consilium Maria. Bona est Maria hominibus, quia per Ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipsam consequuntur veniam. Bona justis, quia per Ipsam obtinent perseverantiam. S. Vinc. Ferrer.

Instructio meritoria.

Hoc idem Angelorum Canticum ter de die per manus S. Gregorii offeramus cœlitum Reginæ pro avertenda omni contagione à dilecta patria. Peribimus, nisi

nisi vitam suffulserit Maria. Nam solium Divinæ Misericordiæ est Mater Misericordiæ, in qua omnes inveniunt solatia misericordiæ.

III.

S. Gregorius nusquam major videri voluit, quàm in doloribus, & humiliationibus. Magna scripsit, & fecit; sed semper infirma sanitate. Laudari noluit, ideò & Pontificatum abhorruit. Fili! memento, veram Christiani magnitudinem esse, magna præstare, & parvum sese reputare. *Nam magna, & rara virtus est, ut magna licèt operantem, magnum te nescias.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Studiosè aliorum facta commendare, & nostra deprimere, hodie satagamus; quin & adeuntes ecclesiam in ultimo angulo delitescamus, orantes inclinatô capite, clausîs oculîs, & erectîs manibûs 24. Pater & pro acquirendis 12. gradibus perfectæ humilitatis. Pharisæus repellitur! publicanus recipitur. Humilis assumitur! superbus & elatus ac fastuosus relinquitur!

Dies

Dies S. Isidori Agricolæ Patroni à Madrito electissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! non erubescamus, si vilius quid agendum nobis imponatur à S. obedientia. S. Isidorus vilitate Deum, & cœlum cum mira sanctitate sibi emerat. Non est vile, quod Deo impenditur. Sancta sit voluntas: Placebit opus, utut humillimum.

Instructio meritoria.

Ne homo superbiat inferior, sponte quoddam hodie exerceamus opus, quod ob vilitatem magis abhorret natura, & S. Isidoro offeramus cum uno Rosario extraordinario. Opera, si propter Deum, semper pretiosa sunt.

II.

HEro suo S. Isidorus servit fidelissimè, memor, quòd & Christus Josepho, & Mariæ vixerit subditus. O fili! Deum aggredimur, si superiorem capitositate, vel inobedientiâ contristamur. Absit! solatia, & amorem meretur suâ in nos paternâ, & continuâ solli-

licitudine. Nescit offendere, quisquis perfectè didicit se subjicere, & obedire.

Instructio meritoria.

Ut omnes Ecclesiæ Rectores gloriosè regnent, vitia evellant, & destruant, virtutes implantent, virósque glorioſos in suis generationibus pariant, *Lytanias de omnibus Sanctis* (inseratur: *S. Isidore! ora pro nobis*) coram Sanctissimo persolvamus. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Maculam in facie quis non considerat?

III.

SAnctè vivere cupimus omnes: Sed non sanctè vivimus; quia cum Isidoro diem, & labores nostros non ab oratione, & rectâ in Deum intentione constanter auspicamur. O fili! sed ad quid hæc dierum, & laborum perditio? Doleamus.

Instructio meritoria.

Et vel hodie firmiter statuamus, statim à manè coram pia Imagine, vel sanctissimo Altaris Sacramento præmittere intentionem Generalem totius Diei cum cæteris precibus matutinis. Ut autem

SSS. Trinitas benedicat opera nostra, uti benedixit S. Isidori, præmittamus cuilibet notabiliori negotio *tria Pater & Ave* cum *Gloria Patri* & oratione: *Actiones nostras &c.* Dulcis est labor, quem condit pietas, & sancta devotio.

Festum S. Gertrudis Abbatissæ Nivigelensium.

EXHORTATIUNCULA I.

UT soli desponsata Christo maneret, è domo aufugit Patris Pipini Brabantiæ Ducis. Alas dedit fugienti amor Virginitatis, & primæ innocentiæ. Filii! quoties periclitamur, quia occasiones non fugimus? Imposterum prævaleat quieta mens, & tranquilla conscientia. Perfecta charitas habetur *de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* S. Laur. Just.

Instructio meritoria.

Id haud impetrabimus sine speciali Dei gratia. Ad quam impetrandam, uti & ad avertendas omnes peccandi occasiones proximas recitemus quinque Psalmos Nomini Mariæ aliàs designatos, & Ma-

Mariophilis ex usu frequentiori satis notos cum Lytaniis Lauretanis in fine. Extrà periculum, & teli jactum sumus, dum sub Mariæ Præsidio stamus. Periissemus sæpiùs, si nos non servâsset pietas Matris.

II.

COntremiscimus ô fili! dum mortis occurrit memoria. Et meritò: Est enim mors omnium terribilium terribilissima. Quid autem hoc? S. Gertrudis in lucta ultima lætatur, & jubilat. Causa hujus quæ? Deipara agonizanti adest, suóque conspectu exhilarat filiam. Non timet in morte, qui MARIAM unicè diligit in vita. Hinc illa S. Bernardi exclamatio: *Certè Domina, cùm te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta es.*

Instructio meritoria.

Quoties sanctum Mariæ Nomen hodie audierimus, toties illud capite inclinato, & detectô revereamur, cujus honor, gloria & amor ut exeat in omnes fines terræ, oremus Rythmum S. Casimiri: *Omni die dic Mariæ mea lau-*

des anima. Si ego Mater : Ubi honor? Ubi amor meus?

III.

JAm mortis proxima Gertrudis sancta ardenter supplicat, ut cum sacro velamine, ac assueto cilicio sepeliretur, nolens ea ponere arma, quibus carne expugnatâ, illibatam servavit animam. Hostes undique cernimus, fili! & arma abjicimus? Ah! quæ erit nostra sine his lucta ultima? Si non pessima, certè periculosissima.

Instructio meritoria.

Sine S. Scapulari, & Rosario Mariano præsertim noctu nunquam inveniamur, quia sunt signa salutis certissima. Hæc sæpiùs exosculemur, & ut in-&cum his liceat mori, coram S. Icone, vel Altari Beatissimæ Virginis renovemus flexîs genibus formulam votivam cum hymno: *Ave Maris Stella.* Magna gratia, pugnare sub vexillis MARIÆ. Hæc servant justos, terrent impios, pellunt inferos. Hominibus enim data est Maria in liberationem, dæmonibus in hostem. B. Petr. Dam.

Fe-

Festum S. Gabrielis Archangeli Primi Maternitatis B. V. Mariæ Encomiastis.

EXHORTATIUNCULA I.

FIlli dilecte! debitores sumus S. Gabrielis. Solvamus: Sed vitâ Christianô dignâ, vitâ sanctâ, & exemplari. Annuntiavit toti mundo gaudium magnum, dum SS. Incarnationis Mysterium. O felix nuntium quod destruxit peccati chirographum! quid retribuamus.

Instructio meritoria.

Nulla gratior SS. Angelis devotio, quàm quæ venit à corde puro, & humili. In præsentia igitur hujus Archangeli ambulare vel hodie discamus hac sub tessera: *Archangelus me videt.* Ne offendamus, novies repetamus illam Angelicam Salutationem manè, meridie, & vespere recitari ab Ecclesia solitam cum profunda genuflexione ad ℣. & *Verbum Caro factum est.* Hoc est cum Angelis venerari Incarnationem, & salutare Ma-

riam. Quid dulcius in ore? Quid excellentius in homine?

II.

ANguſtiæ, ô fili! nos circumdant undique? intùs pavor, extrà inſidiæ, & mille pericula. Quærunt, ut rapiant miſellam animam, jurati inſeni. Sed quid conſilii? S. Gabrieli adhæreamus. Dicitur enim *fortitudo Dei.* Quàm potenter ſub hoc noſtra quieſcit anima. Incurii Deo, & SS. Angelis ſumus, ſi in cauſa virtutis dæmoni cedimus. Suſpiciamus cœlum! en! quot veniant in ſubſidium.

Inſtructio meritoria.

Tres infenſiſſimi ſunt hoſtes animæ. Hos ut ſimul tollat, unus ſufficit S. Gabriel, pro cujus amore perpetuo mentis noſtræ implantando offeramus *Lytanias de omnibus ſanctis Angelis.* Cuſtos eſt periclitantium! clamemus, & exaudiet nos.

III.

MAriam tepidè colimus frigidè amamus? fili mi! ſi ſanctum attendimus Gabrielem, meritò confundimur. Tan-

Tantus fuit in Deiparam amore, ut nemo fuerit è Virginis amatoribus, qui tantum Archangelum superaret amandô. Hinc continuus Mariæ comes, & socius.

Instructio meritoria.

Deprecemur nostras irreverentias, & in harum compensationem persolvamus novies Canticum Mariæ: *Magnificat.* Addendo & illum Psalmum Eucharisticum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ &c.* Multùm offendimus? Mitigemus devotîs precibûs. Suscipiet S. Gabriel. Acceptabit & Maria.

Festum S. Josephi, Nutritii Salvatoris, Sponsi B. V. Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

MOriendum est! Quando? & Ubi? An benè, an malè? Prorsùs incertum. Sed non diffidamus, dilecte fili! ecce! bonæ mortis patronos vobis sisto potentissimos Jesum, Mariam, Josephum. Horum amor, & cultus, ô quot jam mortem attulit suavissimam! non negabitur nobis, si fideles fuerimus in amando Jesum, Mariam, & S. Josephum.

Instructio meritoria.

Fidelitatem hanc nostram probet firmum amoris pactum, & propositum, nunquam eundi in lectum, nisi præmissis Lytaniis Lauretanis, vel de die recitatis. Hodie inchoemus, & per Dei gratiam continuemus. Fatebimur in die iræ, quàm dulce! quàm acceptabile fuit, coluisse, & dilexisse Jesum, Mariam, & Josephum.

II.

Filli mi! hodie vos alloquor verbis Bernardi de Busto, nos consolantis: „ Qui aliquid à Deo vult obtinere, acci„piat B. Josephum pro Advocato, & „ omnia impetrabit. O verba consola„ tionis! Quis nostras numerabit miserias, & necessitates? Deficit corpus! patitur anima! & meritò: quare enim non veneramur, & invocamus S. Josephi merita? Potest, & vult succurrere: quid moramur?

Instructio meritoria.

Detestemur nostram desidiam, & hodie compensemus eam *officio minori* de SS. Josepho, & propter insignem illius

lius gloriam in cœlo, addamus & Canticum *Benedicite*. Vox hæc, vox S. Josepho erit amabilissima!

III.

S. Josephus moritur in brachiis Jesu, & Mariæ. O mors verè pretiosa! fili! & nos ita mori optamus? Ita vivamus. Humiliemus nos in omnibus! Jesum in corde foveamus! Mariam colamus! & non elongabitur à lectulo mortis morientium Tutor S. Josephus.

Instructio meritoria.

Prima surgentis, & ultima obdormientis sint verba: *Jesu! Maria, & Joseph! in vestras manus commendo corpus, & animam meam.* Praxis ò quàm utilis! Ut stabiliamus, cuilibet personæ hodie unum, & suum proprium officium offeramus: Jesu de suo SS. Nomine: Josepho de suo munere: Mariæ de Immaculata conceptione. Me unô exaltabitur hoc Trinum.

Festum S. Joachimi Sanctissimæ Dei genitricis Patris gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! ò quantum debemus S. Joachimo. Dedit nobis Mariam, & in Maria omnia. Quis non gaudeat hodierna in solemnitate? quis non gratuletur viro tam sancto, quàm utili toti universo? nemini cedamus! simus in gratiarum actione primi. Bonum Patrem habemus in D. Joachimo. Quid lugemus?

Instructio meritoria.

Igitur pro majori S. Joachimi gloria sacrum vel audiamus, vel legamus, cui & Lytanias addamus de tota Consanguinitate Jesu, Mariæ, & S. Josephi, quod horum fecimus uni, fecimus omni. O quanto cum fœnore meriti!

II.

Pater hic piissimus unicam suam filiam cui consecravit? Cultui Divino. Fili! huc tendant labores! huc omnia nostra reducantur studia! hominibus

bus nihil debemus : Deo universa. Sed ô quàm inversa vivimus tempora! homo hominem rapit! neglectô Deô!

Instructio meritoria.

Actiones antequam aggrediamus, flexîs genibûs per manus B. Joachimi offeramus Jesu, Mariæ, & Josepho orantes *tria Pater & Ave* cum antiphona: *Sub tuum Præsidium &c.* & reliquis, quæ Lytaniis Lauretanis annexæ sunt, orationibus. A Jove principium! à Jesu, Maria, & S. Josepho omne felix auspicium!

III.

D. Joachimo mansueta appingitur columba, ut vel inde illius patesceret innocentia. Justus erat, ideò & dignus, ut pareret filiam, à qua sedentibus in umbra mortis illuceseeret sol Justitiæ Christus Jesus. Innocentia si nobis desit, ad S. Joachimum redeamus. Pater est Mariæ, & Maria Mater nostra. Quid, & quantum non speremus de utriusque manu? Cum Christo enim dicere possunt: Data est nobis omnis potestas in cœlo, & in terra.

Instructio meritoria.

Mors imminet! fili! pro assistentibus Mariam, Joachimum cum S. Matre Anna eligamus, & vel hodie diem Martis constituamus pro speciali eorum cultu, & devotione. Novies dicamus in hunc finem Canticum Mariæ: *Magnificat anima &c. cum 9. Pater & Ave.* Magnificate, & magnificabimini à Jesu, & Maria!

Solemnitas SS. Patris Nostri Benedicti Patriarchæ Monachorum Glorioſissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii sumus Magni Patriarchæ, SS. Benedicti: Sed admodùm debiles, infirmi, & esurientes. Accedamus ergo, & petamus à tanto Patre tres panes, quos petiit S. Bernardus, videlicet: *Sanctitatem vitæ, justitiam heroicorum operum, & pietatem morum.* Fili! Pater porrigit! nostrûm est avidè capere.

Instructio meritoria.

Sed non capiamus soli! oremus & pro tota SS. P. Benedicti familia, ut hæc sua san-

sanctitate, spiritu, & fervore ulteriùs militantem, Romanámque fulciat Ecclesiam; triumphantem verò viris indies repleat illustrissimîs. Offeramus ergo *Lytanias* de SS. P. Benedicto, quas per octo dies devotè continuabimus cum octo actibus propriæ abnegationis quotidie exercendi. Sic filii honorant parentes.

II.

NOmen Patris verè competit Benedicto; quia dedit, & genuit Christo innumeros filios, uti sanctitate vitæ, ita & spiritu Dei nobilissimos. O si & nos inter illos! fili! non diffidat! colat, & diligat S. Regulam, vitam instituat Benedictinô dignam, mundo, & homini non intendat, sed Deum, & SS. P. Benedictum corde, ore, & moribus semper gerat secum; sic assecutus est Viros tanti Ordinis præstantissimos.

Instructio meritoria.

Pro quorum augmento recitemus *Lytanias* de omnibus sanctis Ordinis adeò Benedicti, & flexis genibus legamus hodie 12. gradus de humilitate è S. Regulæ

C7. cum totidem osculis, & oratione: *excita, quæsumus Domine, spiritum &c.* verba movent, exempla trahunt.

III.

FIli! certamus sub sancto Almi Benedicti magisterio! ò nos felices! inde enim ad summa, excelsa, & sublimia vocati sumus. Scimus utique tanti ordinis privilegia? Scimus & promissa desursum præmia diligentibus Benedictum! Ut nobis reddamus certissima, relicta tanti Magistri sequamur, & æmulemur omnis sanctitatis charismata. Latet in eremo, quem nobile stemma constituit super multa in mundo. Nos gaudeamus, quia datum & nobis pergere, quin & currere ad Patrem.

Instructio meritoria.

Studiosè inquiramus in unam, vel alteram horam mediam, speciali recollectioni hodie deputandam, vel in cubiculo, vel coram Deo Eucharistico in templo. Soli dum fuerimus, pro disciplina, & zelo monastico, principaliter verò pro spiritu, & fervore omnium Superiorum persolvamus expansîs brachiis

chiis Rosarium cum affixo officio minori de SS. Legislatore. Lateamus, ut placeamus cœlo, & prosimus ordini tam sancto.

Festum S. Catharinæ Suecæ
S. Brigittæ Filiæ Speciosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! nunc gaudet S. Catharina, quòd per quatuor horas quotidie illacrimata sit patienti Jesu. Hoc gaudium quando incipiet in cordibus nostris? Heu! deliciis velle diffluere, dum Jesus satiatur opprobriîs, quàm indigna res Christianô? Bernardus monuit: non decet, sub spinoso, & percusso capite membra delitescere delicata. Ad compassionem ergò.

Instructio meritoria.

Hanc exhibemus Christo, si hodiernas adversitates, per manus S. Catharinæ obtulerimus! imò & unierimus cum doloribus Jesu, recitandô desuper Rosarium Doloroſum flexîs coram Sanctissimo genibûs cum aliquot terræ osculis. Christus in Cruce: & ego.

II.

UT ſua ſanctè initiaret opera S. Catharina, quid egit? Semper unum præmiſit *Ave*. Neque eô nondum recitatô, ulli etſi conſulta, dedit reſponſum. Tanti erat huic Virgini, primitias dare Mariæ. Sequamur ô fili! & feliciora ſuccedent opera noſtra. Salutantes reſalutat cœlorum Regina, & propitia Parens.

Inſtructio meritoria.

Omnia ſalutis, & æternitatis negotia commendemus hodie Deiparæ, recitandô Lytanias Lauretanas cum formula Votiva. Errat, qui diem, vel opera à Maria non inchoat.

III.

O Tremor! videt S. Catharina totum mundum jam incendiô involutum, certò periturum, niſi pro eo ad Deum incederet Maria. Fili! quoties & nos ruinæ ſpiritualis in cauſa ſumus? Et fuimus? Conſervavit tamen Maria. Doleamus interim.

Inſtructio meritoria.

Et pro conſervatione totius Reipublicæ

licæ Christianæ, pro aversione omnis mali, & supplicii ad Psalmos 7. pœnitentiales confugiamus, eos recitando quàm zelosissimè. Justus est Dominus! Verùm & longanimis, & multùm misericors, si nostram viderit pœnitentiam.

Festum Annuntiationis à S. Gabriele Beatissimæ Virgini Mariæ factæ.

EXHORTATIUNCULA I.

GAudeat filius! hodie enim est dies salutis nostræ! Hodie Incarnatum est Verbum Dei! adeò Deus dilexit hominem, ut suum daret Unigenitum, ut redimeret & salvaret perditum. Quanta ergò non sit nostra cordis innocentia, ne annuntiantem turbemus Angelum? Recederet, si anima deficeret.

Instructio meritoria.

At teneamus, nec dimittamus: Est enim Angelus pacis. Quòd missus sit à SSS. Trinitate in Redemptoris negotium, recitemus Psalmum, cujus initium: *Benedic anima mea Dominum &c.* cum novem Pater & Ave, ac totidem oscu-

li

lis terræ. O diem salùtis! recordabor tui solius.

II.

HOdie Maria fit Mater Dei! si Mater Dei, ergò & nostra, dilecte fili! O igitur felices nos! ùt Dei genitrix omnia potest: ùt Mater nostra cupit omnia nostrûm causâ. Accedamus jam ad thronum gratiæ! accedamus ad sinum Mariæ. In Maria invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, peccator veniam. S. Ephrem.

Instructio meritoria.

Gratulemur Beatissimæ Virgini ad tantæ Majestatis Titulum: Et toti SSS. Trinitati gratias agentes recitemus Canticum Ambrosianum: *Te Deum Laudamus.* Per diem verò ter visitemus Altare Mariæ consecratum, Matrem illâ salutantes Devotionis tesserâ: *Ave Filia Dei Patris! Ave Mater Dei Filii! Ave Sponsa Spiritûs Sancti!* Hi tituli placent Mariæ. O si in ore nostro frequentissimi!

III. Ave

III.

AVe Maria! fili! quid sibi vult hæc salutatio Angelica? En! clavem dedit auream ad Cor Dei. Multa volumus impetrare de manu Divina? clamemus ad Matrem! salutemus Mariam! fili! ergò nobis non est notum illud D. Bonaventuræ sanctum monitum: *Libenter nos salutat Maria cum gratia, si eam libenter salutamus cum Ave gratia plena.* Insigne monitum! Utamur!

Instructio meritoria.

Festivitas hæc tanta est, quantum negotium salutis æternæ. Ut salutatio hodierna resonet in ore omnium, 35. Ave recitemus, vel si omnia venerari cupimus Mysteria SS. Rosarii, tria privatim persolvamus soli cum solâ remanentes, & conversantes Maria. Non est nimium, quod exhibetur Deiparæ, & cœlitum, mundíque Reginæ. Utique S. Bonaventuræ verba sunt: *Matri Christi omnem, quam potes, exhibe reverentiam!*

Fe-

Festum S. Ruperti Archiepiscopi Salisburgensis, & Apostoli Bavariæ zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quot animæ periissent, si his non subveniisset pabulô S. Evangelii, & Verbi Divini S. Rupertus! Fili mi! & nos zelamur salutem animarum? Salvare possumus, si exemplariter, & sanctè vivamus. Exempla bonæ vitæ sunt animarum retia.

Instructio meritoria.

Jaciamus ergò! & cautè conversandô, ac modicè loquendô ædificemus alios, & ut graviora à Republica tollantur scandala, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis.* Magna à magnis petenda.

II.

FIdem, & primam pietatem Bavariâ debet S. Ruperto; inde & ei prospera cuncta. Potuit vir Dei tanta in provinciam integram; quid poterit ergà animam nostram? Curramus, & Apostolo cœlitùs dato intimos pandamus sinus,

sinus, & afflictiones. Pater erat in mundo : Non desiit esse in cœlo.

Instructio meritoria.

Ut Maria cum S. Ruperto assistat afflictæ patriæ, constanter in vera fide permaneat, Deúmque in omnibus timeat, & diligat, offeramus *Cursum*, seu *Officium majus Marianum* cum Cantico : *Benedictus Dominus Deus Israël!* quis ut Maria ? *Gens & regnum* (ait S. Damascenus) *quod non serviret, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.*

III.

STans inter manus suorum moritur S. Rupertus; quia decertavit fortiter contrà Dei, & fidei inimicos. Fili! non titubat in morte, cujus cor, & pectus nunquam nutavit in vita. Fortitudine opus est pro lucta ultima. Dum vivimus, probemus eandem cœlo! persequamur malum, eligamus Bonum, & dabitur constantiæ præmium.

Instructio meritoria.

Turbatum est cor nostrum è sola mortis memoria! quis confortabit? Heroica, & Christiana vita. Pro qua impetran-

petranda antè Crucifixum Dominum ter per hebdomadem, antequam itur cubitum, flexîs genibûs nocturnum præmittatur testamentum cum Lytaniis Lauretanis. Vigilate, quia nescitis. Tutissima nox, quâ recordamur nostræ æternitatis. Cum hac obdormiamus! cum hac & resurgamus!

Festum Transfixionis, seu septem Dolorum Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

AMor probat filium. Chare! probet & ipse suum. Compatiatur tam piæ Matri de tot irreverentiis, & offensionibus, quibûs tum Christiani, tum religiosi malè vivendô vulnerarunt illius cor utut innocentissimum. Recordetur, quid tempore afflictionis nobis præstiterit? Quomodo consolata nos sit pia parens Maria.

Instructio meritoria.

In contestationem ergò filialis compassionis, & deprecationem nostræ magnæ ingratitudinis quandam Dolorosæ

Matris

Matris Imaginem nobis procuremus, coram quâ flectentes 14. *Pater & Ave* recitemus, proſtratóque corpore culpam dicamus cum *confiteor*. Humilitas mitigabit Mariæ vulnera.

II.

FIli! audis querelam Matris? *Poſuit me deſolatam, totâ die mœrore confectam*, fatetur per Jeremiam. Sed quis conſolabitur eam? Pietas, & clientum devotio. Meruit hanc millies à nobis Maria. Reddamus, quod debemus. Luctui addamus gaudia, lacrymis ſolatia.

Inſtructio meritoria.

Impediamus proin, quidquid vel immodeſtiâ, vel garrulitate, aut petulantiâ offendere poſſet Mariam. Nos totâ die ſtrictum ſervemus ſilentium, & viventes in recollectione ſpiritûs per quadrantem meditemur dolores Beatiſſimæ Genitricis, ſubjungendo hymnum: *Stabat Mater*. Quàm dulcis converſatio, ſi cum Maria, & patiente Chriſto!

III. Ste-

III.

STetit Maria ad Crucem Domini! ste-
tit, non sedit, vel jacuit. Hinc ve-
rè *Regina* facta est *Martyrum*. Quia
etiam ad mortem usque filii dilecti stetit
fortissima, & invicta. Bone! cadimus
nos animô! recedimus à Christo si hu-
miliemur sub Dei flagello. Aliud nos
docet Maria. Inter adversa stemus ma-
gnanimi: Inter prospera timidi. Pro-
speris gaudere vilia possunt ingenia:
pati fortiter contraria, proprium est
magnæ mentis.

Instructio meritoria.

Verum hic opus, hic labor est! ma-
gna profectò requiritur discretio, si vel
in adversis. Non dejiciamur, vel in
prosperis non dissolvamur! rogemus
igitur à Maria; nam dispensatrix virtu-
tum est. Oremus Illius amore, & compas-
sione Rosarium de mysteriis dolorosis.
Dolores hi augebunt amores.

APRI-

APRILIS.

Feſtum S. Franciſci de Paula Ordinis Minimorum Fundatoris charitate ardentiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! qui neſcit amare, veniat ad S. Franciſcum de Paula. Cui non alia teſſera, quàm: *Charitas.* Hæc ſi in mundo regnaret, tanta non foret miſeria, nec inquietudo, ac turbatio tanta. Liberi ut ſimus utraque, S. Franciſcum induamus, ſolum Deum diligamus, & proximo ſubveniamus. Eſt alter ego. Qui non diligit, manet in morte.

Inſtructio meritoria.

Omnibus pauperibus, vel aliquid aliud nobis petentibus verba ſaltem tribuamus benevola. Et ut cœlum provideat indigentibus, 33. *Pater & Ave* oremus. Bonum Patrem habemus: ſurſum oculi! beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.

II. No-

II.

NOvam, eamque duriſſimam excogitavit vivendi rationem, quam & ipſe S. Franciſcus longioribûs jejuniis ſervavit rigidiſſimè, memor, non cibîs, ſed virtutibûs implendam eſſe animam. Fili! nondum guſtavimus fel Chriſto Jeſu in Cruce ſitienti propinatum: nam plus æquô ſequimur appetitum. Paucîs contenta eſt natura: ut quid oneramus?

Inſtructio meritoria.

Ab omni cibo aliquid relinquamus, vel amore pauperum, vel amore virtutum temperantiæ, & ſobrietatis. Has ut ſibi implantent ſolidè viri religioſi, *hodiernum ſacrum* cum Communione ſpirituali offeramus. Cibabit Jeſus ſanguine, qui alterum refecerit amore fraterno.

III.

PRæceptum D. Franciſci erat: *filioli! qui major eſt in nobis, fiat ſicut minimus.* In humili creſcit anima, augetur gratia, acquiritur gloria, bene Eucherius: *vanitatem magis fuge, quan-*

quantò melior effectus es: cætera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus. Cape tibi hoc: Et dum bona agimus, nos ad pedes Jesu humiliemus. Non abjiciet!

Instructio meritoria.

Assuescamus in nostris posthac sacris confessionibus nos notanter accusare propter vanam gloriam, & propriam complacentiam in nostris operibus non rarò quæsitam, vel affectatam; hodie verò in compensationem neglectæ humilitatis ter expansîs brachiîs dicamus 12. *Pater & Ave* cum cantico: *Magnificat.* Verè Cantica solis humilibus, & simplicibus sunt propria.

Festum S. Isidori Hispalensis Episcopi, & Doctoris in Ecclesia illuminatissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem parvulum S. Isidorum! adhuc adolescentulus Arianam hæresin tam potenter redarguit, ut propè fuerit, ut ab adversariis necaretur. Quàm felix tunc cecidisset Deo victima!

Dilecte! habemus in parvulo, quod miremur! habemus & quod imitemur. Viva fides ni rexerit annos, mali vivimus Christiani: quales ergò & religiosi?

Instructio meritoria.

Ut SSS. Trinitas meritîs S. Isidori destruat & evellat ex horto S. Romanæ Ecclesiæ omnia lolia, spinas & zizania ab hæresi plantata, oremus symbolum S. Athanasii. *Quicunque vult salvus esse.* Inspice, & crede.

II.

ELectus in Archipræsulem S. Isidorus, ne deesset vitæ, & morum exemplo, in humilitate, patientia, & ergà pauperes jugi charitate, ac benevolentiâ, speculum sese præbuit omnium oculis. Honores ò fili! & dignitates dantur, non ut corrumpant, sed ut perficiant mores. At hos ipsos perficere, dum sumus in altis, artium ars erit maxima; certè vel à solo Deo speranda.

Instructio meritoria.

Ut tribuat omnibus superioribus, & magnatibus donum tam necessarium, versùs quatuor mundi plagas flectamus, &

& oremus 12. *Pater*, & *Ave*. Tot enim gradibûs scanditur sanctitas humilitatis. Addamus & ardens suspirium: Domine Jesu! ne tradas bestiis, concupiscentiæ oculorum, ac superbiæ vitæ animas confitentes tibi! Quale caput, talia & membra.

III.

TAnta scripsit S. Isidorus, ut hominis vix vita tantis suffeciſſe laboribus credi posset. Sic fili mi! qui Deo student, & cœlo laborant, nulli cedunt difficultati; superant omnia, ut Deum, & animas sibi rapiant. O si hic spiritus, tantus zelus, & fervor inesset nobis! non tempori, sed æternitati viveremus, cujus tamen tam rara memoria.

Instructio meritoria.

Vitemus, & fugiamus omne otium, totamque diem occupationibus religiosis, & statum decentibus impendamus, præmittendô cuilibet *tria Pater & Ave* cum triplici *Gloria Patri &c.* & oratiunculâ: *Actiones nostras &c.* Hominis est laborare; Dei autem benedicere.

Festum S. Vincentii Ferrerii ex Ordine S. Dominici Concionatoris Zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli dilecte! quem hodie colimus Sanctum? Deo, cœlo, & homini gratissimum. Tantæ fuit eloquentiæ, & sanctitatis in prædicationis officio, ut Judæorum arguendô perfidiam, & Saracenorum confutandô errorem, ac pertinaciam, animas innumeras sit lucratus Christo. O utinam plures exsurgerent Vincentii, & tam zelosi pro Christi Nomine Viri Apostolici!

Instructio meritoria.

Sunt, ò fili! in Sacris Religionibus enutriuntur. Ut multiplicentur, *Lytanias de omnibus Sanctis* hodie dicamus, rogantes Dominum, ut tales mittat operarios in vineam suam, quorum zelô, & spiritu gloriosè Romana exaltetur, & triumphet Ecclesia. Hâc stante, stabit & Christianorum gloria.

II. Quæ-

II.

QUærimus, ò fili! unde tanta in animos vis, & virtus S. Vincentio? De tremendo judicio Dei dixit: inde omnis terror. Boni stimulabantur ad virtutem, mali revocabantur ad pœnitentiam. An hîc non illud ex Deuter. c. 32. exclamem: *Utinam homines saperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Profectò mundus, & dæmon cum carne non ita prævalerent.

Inſtructio meritoria.

Non ibimus in lectum niſi præmiſsâ conſcientiæ nocturnâ diſcuſſione, & ut in judicio extremo placatum experiamur Judicem, Veſperas ex officio defunctorum recitemus cum Pſalmo *Miſerere*, & quidem ad exemplum S. Caroli Borromæi, funiculô pœnitentiali à collo dependente. Non parcitur niſi pœnitenti.

III.

QUis neget, S. Vincentium fuiſſe Divi Dominici filium? Beatiſſimæ Virginis Mariæ Officium quotidie dixit. Ut parvuli continuò ore, & corde vol-

verent Ave Maria, solerter invigilavit, quin & suaviter persuasit. Fili! an hoc non est ex ore infantium, & lactentium perficere laudem, & gloriam Mariæ? Idipsum possumus & nos. Possumus verbo & exemplô. Væ scienti bonum, & non facienti!

Instructio meritoria.

Rosarium cum Cursu Mariano in omni devotione, modestia, & attentione persolvamus, & ad quamlibet decadem decies exosculabimur terram cum dicto: *Laudetur centies millies Nomen, & Gloria Mariæ!* O sacratum os!

Festum S. Hermanni Josephi ex S. Ordine Præmonstratensium, Clientis Beatissimæ Virginis addictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! etiam Mariæ sunt deliciæ esse cum filiis hominum. Maria cum Hermanno agebat quàm familiarissimè. Oranti Jesulum tradidit: phlebetomo ne brachium offenderet, astitit: infirmum pro sanitate remedia docuit. O quan-

quanti hi amores! meruit vitæ sanctitate, & morum innocentiâ. O si & nobis in deliciis foret!

Instructio meritoria.

Amore Mariæ unam, vel alteram vanitatis mundanæ fugiamus occasionem, & hujus locò in templo, vel cubiculô veneremur Mariam *Officio Immaculatæ Conceptionis.* Oleum hîc latet, quô nostros inungamus sensus, & naturam corruptam.

II.

QUoties Nomen pronuntiavit Mariæ, mirâ dulcedine! & animæ perfundebatur lætitiâ. Ista negantur iis, qui tantæ matris aut rarò, aut nunquam recordantur. Fili! quî sapit cordi tam Augustum, & dulce Nomen? Trahe nos ò Maria! torpentes, ut reddas ardentes!

Instructio meritoria.

Trahet ò fili! si hodie linguam, & os speciali pacto Beatissimæ Virgini consecremus; ne verò alia proferamus verba, quàm salutis, & divinæ gloriæ, quinque psalmos recitemus exprimen-

tes quinque initiales litteras SS. Mariani Nominis. Si Mater sum, honorem, & amorem expecto.

III.

PAuperi Hermanno sub lapide subministrat Maria, unde suis occurrat necessitatibus. O dilecte! cur ita sollicitide cura corporis? Confidamus Mariæ, petamus à Matre tum corpori, tum animæ necessaria. Amat Maria eos, qui cum ipsa familiariter de suis colloquuntur miseriis. Maria est omnium hominum Mater genitură & curâ, quia unum hominem genuit, per quem omnes recreavit, seu regeneravit. S. Antoninus.

Instructio meritoria.

Cnsuetudinem tam sanctam, quàm opportunam ut contrahamus, à matè & meridie coram sacra quadam icone flectentes, *tria Pater & Ave cum Credo* persolvamus, additâ & illâ sui commendationis formulâ: *Sub tuum præsidium confugimus*: & oratione: *Concede nos famulos tuos.* Mendici sumus; oportet, ut pulsemus. Ubi? In corde Mariæ.

Cla-

Claves sint sancti mores, & pura conscientia.

Festum S. Wicterpi Augustæ Vindelicorum Doctoris, & Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

DIscamus, ô fili! quid debeamus Mariæ. Huic cum corde se totum dedit Wicterpus, nec hoc contentus, addidit & fundum pro ædificanda Mariana Basilica. Templum si struere non valeamus ex lapidibus, matri saltem struamus ex piis devotionum, & pietatis affectibus. Et id nunquid impossibile? Absit? Amanti suavia sunt omnia.

Instructio meritoria.

Si quod nobis altare in cubiculo, hodie ornemus, & si nulla in eo Beatissimæ Virginis affixa S. Imago, inferamus, & aræ imponamus cum hymno: *Ave Maris stella:* Et *Salve Regina.* In ore, & manibus probatur amor Mariæ.

II.

FIli! nec in morte dimittit Maria, qui eam teneriùs dilexit per vitam. Wicterpi tumulum aliò transferri voluit

homo. At non conceſſerat, quam tam fervidè coluit, cœli Domina, & Virgo immaculata. Quàm bene eſt ergò filio, dum vivit ſub potenti Mariæ patrocinio. Et quis unquam ab hac matre æger, aut triſtis abiit?

Inſtructio meritoria.

Nos ita velle vivere, & mori, teſtemur hodie *formulâ votivâ cum Lytaniis Lauretanis*, ſtatuentes, & hac ſeptimana ſervare jejunium ſabbathinum. *Talis eſt quisque, qualis eſt ejus dilectio.* Terram diligis? terra es. Mariam diligis? Mariophilus eris tam in vita, quàm in morte. O pretioſa mors, quam excipit Mariæ ſinus!

III.

TRiſte ſpectaculum exhibet piæ cuidam Virgini S. Wicterpus. Jeſum oſtendit ſub elevatione plagîs, & ſanguine deformem. Quis vulneravit? Sacerdos ſacrilegus. Fili! tanti eſt, aſſiſtere, vel immolare miſſæ ſacrificium cum impuritate! accedamus cum tremore!

Inſtructio meritoria.

Studeamus recollectioni, & modeſtiæ, dum

dum ſtamus, vel oramus ad immolationem ſacræ Miſſæ. Tempus id gratiæ, non offenſæ eſt. Ut avertantur horrenda ejusmodi ſacrilegia, & omnia ſanctè fiant ſacrificia, recitemus *Roſarium de quinque* doloroſis Myſteriis cum Rythmo: *Adoro te devotè latens Deitas.* Offenſæ compenſantur ſignîs reverentiæ.

Feſtum B. Idæ Lovanienſis, ex Ordine SS. Patris Benedicti, in Monaſterio vallis Roſarum Prodigioſiſſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

TAnto mentis ardore Paſſionem Domini contemplatur Ida Beata, ut Chriſtus quinque vulnerum ſtigmata igneô amoris ſtylô cordi, manibus,& pedibus impreſſerit Beatæ. Quàm verum: Amor aut ſimiles invenit, aut facit. O fili! non amamus Chriſtum, ſi neſciamus compati.

Inſtructio meritoria.

Feriam ſextam perpetuò cultui Paſſionis Dominicæ deſtinemus, ſacro ad no-

ctem silentiô, & jejunio veneremur, & speciali adversitatum patientiâ condecoremus. Incipiamus hodie recitandô 34. *Pater & Ave* in honorem eorum omnium, quæ totâ vitâ passus est Christus. Abst. gloriari, & lætari nisi in passione Domini.

II.

EX incredibili sumendæ sacrosanctæ Eucharistiæ desiderio, sanguinem frequenter emisit, radiósque splendidissimos diffudit ex oculis. O fili! ubi ignis ibi & radii. Corda nostra non ardent; hinc tantæ tenebræ. Quid agimus? S. Idam invocemus pro acquirendo fervore, dum tempus sacræ Communionis.

Instructio meritoria.

Sacra Communio ubi instat, devota præparatio fiat! servandô videlicet silentium, contemnendô sæculum, & piis lectionibûs præveniendô sacrificium. Hodie recitemus Officium de SS. Altaris Sacramento, & sæpiùs genuflectamus versùs quatuor mundi plagas jubilantes: *Centies millies laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum!* Hæ flammæ sunt amoris.

III. Sal-

III.

SAlvator sub specie peregrini ad Beatam Idam accedens, illius pectus manibûs suîs reserat, & per apertum latus sese totum intrà ipsam recipit. Fili! quantum hoc amoris prodigium! Sic est : Cor mundum, & vanitatibus vacuum possidet Deus. Quæ enim Conventio Christi cum Belial? Cadat Dagon! regnet Jesus in cordibus nostris!

Instructio meritoria.

Custodiamus strenuè sensus, & cœlestibus solùm intendamus, tres visitationes extraordinarias instituendô, & semper *Officium* de SS. ac dulcissimo Nomine Jesu recitandô. Quò plus potantur, plus sitiuntur aquæ. In Nomine Jesu omnis suavitas, & dulcedo.

Festum S. Ludvinæ Virginis Speculi Patientiæ lucidissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Ludvina adhuc balbutiens prima verba in *Ave Maria* formavit. Fili! si prima hæc in ore nostro non fuit Matris salutatio; vivamus sanctè, & ca-

ſtè, ut ſaltem morientibus ſit ultima. Verba enim hæc verba ſalutis, & æternæ felicitatis ſunt.

Inſtructio meritoria.

Ut mereamur mori ſub invocatione Sanctiſſimorum Nominum Jeſu & Mariæ, euntes cubitum, & jamjam obdormituri quotidie ſuſpiremus: *Jeſu! Maria! Joſeph! in manus veſtras commendo corpus & animam meam nunc, & in hora mortis. Amen.* Recitemus quoque Lytanias Lauretanas. Mariophilus neſcit loqui niſi Mariam.

II.

FIli! quàm ſumus delicati? Ludvina Sponſa Dei dilectiſſima, triginta octo annos cruciatur in ſingulis corporis partibus. O cur nobis ita parcit Deus! Timendum, ne differat in vitam alteram. Gaudeamus ergò, ſi manus tetigerit nos. Caſtigat ſolùm, quos amat, & recipit.

Inſtructio meritoria.

Infirmum, ſi quem ſciamus, viſitemus, & verbô conſolationis excitemus, animantes ad firmam in Deum confidentiam.

tiam. Nos verò, ut Deus omnibus afflictis largiatur Christianam fortitudinem cum patientia, oremus Psalmum: *Domine! quid multiplicati sunt* &c. cum 5. *Pater & Ave* in honorem Passionis Dominicæ. Si hæc nos non consoletur, quid consolabitur afflictos?

III.

TAntos inter dolores quid agit S. Ludvina? Lætatur, & longè pati majora desiderat. Et pro quo? O stupendam charitatem! dolores suos obtulit Christo Domino in refrigerium animarum in purgatorio lugentium, cum hac petitione: *Jesu! miserere afflictarum.* O illustre amoris, & patientiæ spectaculum! non trahet in sequelam? fili! curramus potiùs!

Instructio meritoria.

Quidquid adversitatis, vel tribulationis nobis obvenerit hodie, patiamur hilares, & offeramus per glorioſas S. Ludvinæ manus omnibus defunctis, addendô etiam Vesperas *ex Officio Defunctorum.* Horum redemptio erit nostra

ſtra ſalvatio. Fratres Jeſu ſunt : miſereamur !

Feſtum S. Anſelmi Archiepiſcopi Canutarienſis Virginitatis Marianæ Defenſoris acerrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Anſelmo unde tanta de rebus Divinis, & altiſſimis ſcientia ac doctrina ? A ſcientiarum Regina, Matre ſua amabiliſſima Maria : Hujus Innocentiam primam ore, & calamô conſtanter defendit, templa condidit, ad cultum Mariæ perpetuum pia corda exſtimulavit. Hinc illa inſignis D. Anſelmi prærogativa, quòd Deipara eidem præceperit, celebrare Feſtum Conceptionis ſuæ ſine macula. O ſolemnitatem, ad quam cœli exultant, & omnes Angeli lætantur !

Inſtructio meritoria.

Gratulemur toti S. Benedictino Ordini, quòd talem in Anſelmo nactus ſit filium. Ut myſterium Immaculatæ Conceptionis in omnem exeat terram, & in fines orbis terræ, *formulam Voti-*

vam

vam cum Te Deum Laudamus, ac officio minori perſolvamus coram Sanctiſſimo. Cum Sancto ſanctus eris.

II.

S. Anſelmus noctu in profundam labitur ciſternam. Fili! jam attendamus amorem Mariæ. Jam adeſt ipſiſſima prenſúmque manu maternè extrahit, & illæſum ſuis honoribus, & amoribus præſervavit. Non pereunt, qui Mariam ambiunt. Quæ noſtra cogitatio, ſi non de Maria?

Inſtructio meritoria.

Pro omnibus in lacu inferiori, ſeu luto vitiorum ſubmerſis, ut ſuccurrat periclitantibus Virgo Maria, Curſum Marianum offeramus, & clauſulæ locò pſalmum *Miſerere* addamus. Audit Maria, quia ſemper eſt nobis proxima. Si proxima: Ergò clamemus: O clemens! O pia! ô dulcis Virgo Maria!

III.

UT quid homines timemus, dum promovenda Dei gloria. S. Anſelmus reſtitit regi Eccleſiam Romanam impugnanti, etiam tribunal Dei, & in-

incendia rebelli minatus inferni, & terruit impium : O quàm verum : reddite Deo, quæ Dei sunt ! & Cæsari, quæ Cæsaris.

Instructio meritoria.

Hunc zelum, hanc in Deiparam pietatem exerceamus hodie, pro conversione hæreticorum, & schismaticorum, offerendô septem psalmos pœnitentiales. Non semper sanguine, sed & precibus & occultâ pietate defenditur, atque exaltatur Dei Nomen, & gloria.

Festum S. Georgii Martyris inter Quatuordecim Auxiliatores Patroni Potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli ! & nos cum D. Georgio milites sumus Christi Jesu. Utinam in tribulationibus, & adversitatibus tam fideles, ut S. Georgius ! hunc nec blanditiæ, nec oblati honores separabant à Christo. Nos inter prospera qui sumus ? veri milites, si Dei, & cœli memores. Mundus certè non trahet, quos sibi rapuit Jesus.

In-

Instructio meritoria.

Etiam tempore consolationis, & prosperitatis adhæreamus Deo, fugiendô omnem laxitatem, ac effusionem in sensibus. Ne cadamus, coram Sanctissimo Venerabili *quinque Pater & Ave* cum Psalmo: *Deus misereatur &c.* Præmittamus recreationi, ut quinque sensus præsertim linguam, potenter custodiat. Portæ claudantur! & salva erit anima.

II.

UT tueretur partes Jesu S. Georgius, quid agit? dignitatem, & munus tribuni abjecit, se publicè Christi Jesu professus militem, ac discipulum. Munera non morantur, nec retrahunt honores, quotquot viva fides, & ardens multa pro Christo patiendi irruit desiderium. O si & nobis desiperent honorum stultitiæ! In cœlo quæramus! in terris inveniemus nunquam. Summa dignitas, contempsisse omnia. Nec certior via ad honores, quam fuga honorum.

In-

Instructio meritoria.

Pro nutantibus in fide oremus symbolum S. Athanasii: *Quicunque vult salvus esse.* Cui unum, vel alterum humilitatis actum jungamus. Frater adjuvat fratrem. Languente membro in corpore uno, languet, sentitque & alterum. Ubi charitas nostra? periit, si patiens, si benigna non fuerit.

III.

ROta, gladii, lapides, & viva cal probârunt D. Georgii constantiam. Hæc, mi fili! solîs firmatur adversitatibus; deliciîs verò emollitur. Nos ubi quærimus? Fortè inter dulcia? Quid mirum, si constantia tam debilis, & infirma.

Instructio meritoria.

In honorem 14. Auxiliatorum ad assequendam fortitudinem perfectam, patientiam, & humilitatem tempore tentationis, vel adversitatis oremus *Lytanias de omnibus Sanctis* cum 14. Pater, & Ave de iis ante somnum adhuc præmittendi. Cupiunt auxiliari: Sed non nisi invocati.

Festum

Festum S. Marci, Evangelicæ Prædicationis gratiâ Evangelistæ præstantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! veneremur sacra Ecclesiæ Evangelia! contînent ultimam Jesu Christi voluntatem, quâ nos in suos nuncupavit hæredes, & dignos Patre cœlesti filios. Quâ conditione? Non aliâ, quàm illâ: *Tu verò vigila, & in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*, & tantis veritatibus cooperare. Horum unica, ô fili! solidè intellecta, & strenuè exercitata nos efficiet sanctos. Est enim vox Domini.

Instructio meritoria.

Audientes legi SS. Evangelium, animum ad vivam fidem, spem & charitatem excitemus ardentissimam, cum desiderio, etiam ipsum ponendi sanguinem ac vitam pro veritate evangelica. Hæc ut magno fervore & zelo prædicetur ubique, versus quatuor mundi partes oremus genuflectendô 4. Pater & Ave cum

cum deprecatione : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta!*

II.

SUum quoque habet Evangelium mundus: Sed ò quàm contrarium Evangelio Christi! Christus præcipit: Sequere me in Cruce & afflictione. Mundus: Sede, bibe, epulare. Christus commendat humilitatem, paupertatem, obedientiam. Mundus detestatur. Fili: cujus discipuli esse volumus? Si mundi, negamus Christum cum suo sancto Evangelio. Quanta impietas!

Instructio meritoria.

Confundamus mundi dictamina, exercendô actus his directè contrarios, terque hac die nos reflectendo, quàm impiè cum suis agat mundi improbitas. Ut feliciter evadamus, Lytanias majores de omnibus Sanctis recitemus. Non deserunt nos sancti, si fuerint piè invocati.

III.

S. Marcus sui in prædicando Evangelio laboris qualè tulit præmium? A fidei hostibus ad mortem quæsitus, nomen suum cœlo insertum legit, atque vidit

vidit. Quem pœniteat, multa, & magna ſuſtinuiſſe in obſequium Chriſti, & S. Evangelii?

Inſtructio meritoria.

Pro Converſione totius Americæ, aliarúmque provinciarum in tenebris ſuperſtitionum, & idololatriæ ingemiſcentium tres viſitationes eccleſiæ ac altarium inſtituamus, & 12. Pater & Ave perſolvamus. Unam animam ſervâſſe Chriſto, opus divinum eſt. Quis præmia enarrabit?

Feſtum S. Petri Martyris ex Illuſtri S. Dominici familia.

EXHORTATIUNCULA I.

SI unquam quis Italiæ decus, & hæreticorum extitit malleus, fili! hunc S. Petrum fuiſſe credamus. Vix Septennis, ſuo jam Patruo hæretico ſymbolum apoſtolicum recitavit lætanter diceni: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Sic Deus perficit ex ore infantium, & lactentium laudes propter inimicos ſuos, ut deſtruat inimicum, & ultorem.

In-

Instructio meritoria.

Gaudeamus in solemnitate hodierna, & ut omnes parvuli in articulis fidei sanctè instruantur, & soli Christo enutriantur, oremus 34. *Pater & Ave cum Credo.* Et hæc in honorem Ætatis Jesu. Hac & annis Christi firmabitur labilis juventus.

II.

TEntatus hic sanctus quid agit? Coram Imagine Beatissimæ Virginis Mariæ prostratus petiit constantiam. Mox vocem audiit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Fili! facilè, quin & dulce est tentari, ubi talis Mater est, quæ adjuvat. Sine tentatione miseri sumus: miseriores tamen, si nec ad Jesum, nec ad Mariam convertamur afflicti.

Instructio meritoria.

In quacunque tentatione hodie sustinenda, aut ad templum, aut coram S. Icone in cellula flectamus, Mariæ tentationem commendemus orantes hymnum Marianum: *Ave Maris stella.* Cum formula votiva. Audeamus, quod decet

decet filios. Matrem se esse probabit Maria.

III.

OTium oderat ceu infernum alterum. Nullus S. Petro sine linea dies. Vivere illius aut legere, aut orare, aut ægris famulari, aut laborare manibûs erat. Fili! sic occupantur devotorum animi. Exuimus bonum Christianum, si amaverimus otium. Otium ô quàm lethale animæ, ac virtutis toxicum!

Instructio meritoria.

Somno, & recreationi unum nobis subtrahamus quadrantem, quem aut piis precibus, aut spirituali alicui annotationi impendamus. Ut verò acquiramus horrorem omnis otii perfectum, officium recitemus de Dulcissimo Nomine Jesu. Indignus gaudet hoc Nomine, qui non facit opera Christi. Et illa ò quàm sancta, atque perfecta!

O Fe-

Festum S. Catharinæ Senensis Monialium sub regula. S. P. Dominici pugnantium Archiducissæ zelosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! quomodo nostros inchoavimus annos? Utinam inchoâssemus cum S. Catharina! Hæc jam septennis se totam votô perpetuæ Virginitatis desponsaverat Christo. Citò operatur Christi gratia, si non impediatur corruptâ naturâ.

Instructio meritoria.

Ut eant animæ plurimæ in exemplum Virginis hujus innocentissimæ, missóque mundô in monasteriis angelicè serviant Christo, offeramus 12. actus specialis in oculis & sensibus modestiæ cum Lytaniis de omnibus sanctis ex ordine S. P. Dominici. Qualis Pater, talis filia.

II.

SPonsam hanc sibi dilectam quomodo honorabat Sponsus Cœlestis? Impressione Sacrorum stigmatum. Obtulit & Coronas, auream unam, spineam alte-

alteram. Quid Catharina? Spineam accipit; rejicit illam, sibi dicens: quale Caput, tale & membrum sit. Christus Jesus sub spinis: & ego. Fili! Non rosîs strata est via ad cœlum. Aliam quæramus, & quidem illam ipsam, quæ nobis monstrata ad montem Calvariæ.

Instructio meritoria.

Feriam sextam aut silentiô, aut jejuniô aut aliô S. rigoris actu veneremur, ut vel in cordibus religiosorum piorum memoria, & amor Passionis Dominicæ radicetur solidè. Desuper rosarium dolorosum in honorem quinque vulnerum Jesu recitemus. In his dulcis requies, & potens securitas. Faciamus hîc nobis quinque tabernacula!

III.

UT iret S. Catharina semper, & ubique cum Deo, quid excogitavit? Per singulos scalæ gradus, per quos ascendere de die debuit sæpiùs, totidem & *Ave Maria* recitavit. Profectò his gradibus pervenitur ad Deum, & Mariam. Fili! ah! Cur ita vagabundi? In recollectione tam rari? Est Deus à latere:

& non novimus! quanta mortalium oblivio!

Instructio meritoria.

Praxis hæc sancta sanctam reddidit Catharinam. Assumamus & nos, & hodie id ter præstemus, ut vel Deus per merita Mariæ nobis conferat spiritum veræ compunctionis, & internæ recollectionis. Ad supremum verò scalæ gradum si pervenerimus, flectamus, & cum *Salve Regina* gratias agamus Deo, & Mariæ pro submissa merendi occasione. Qui pius est, occulta excogitat, quibûs sese quotidie Deo, & Mariæ magis uniat. Periculosa res, portare thesaurum publicè in via!

Festum SS. Lanceæ, & Clavorum Domini Nostri Jesu Christi pro Consolatione Afflictorum.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! Noveritne, quid debeat patienti Domino? Omnia vestra in eum insurrexerunt membra; quia facta iniquitatis instrumenta. Ideò & Jesus patitur pro vobis totus, patitur tremenda: patitur

titur summâ innocentiâ. Hæc Redemptor. Quid verò redempta anima?

Instructio meritoria.

Arripiamus Crucifixum Jesum, & trigesies exosculantes in honorem omnium instrumentorum, quibûs redemptio facta est nostra, recitemus 34. Pater & Ave cum hymno, & oratione ex hodierno festo. Pietas abstergit impietatis maculas.

II.

AD arma vocamur à D. Paulo adhortante: *induite vos armaturâ Dei!* Et hoc quare? Dat rationem: *quia non est* colluctatio adversûs carnem, & sanguinem, sed adversus mundi rectores: nimirum concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, & concupiscentiam carnis. O fili! Ad arma! Hostis ad intra est. Nos ipsos impugnemus. Non deerit victoria!

Instructio meritoria.

Ut nunquam cedamus inimicis nostris, in cultum & venerationem S. Lanceæ, & Dulcissimi Cordis Jesu per eam vulnerati, recitemus officium minus

de 5. vulneribus, per diem sæpiùs commendantes Cordi Jesu aperto afflictas, & turbatas animas, ne succumbant. Vel unicam servâsse Christo Jesu, quanta merces! *Mihi feciſti: & ego retribuam.*

III.

OPortet nos gloriari, ô fili! Sed in quo? In cubilibus? Recreationibus? Epulis, & multis conversationibus? Non sic. Sed in Passione Domini Nostri Jesu Christi, in qua omnis spes, totáque salus. Gloriam affectamus? Stigmata Jesu portemus in corpore, & ostendamus, nos membra esse de spinoso Capite. Coronam spineam sequetur aurea, quam imponet felix æternitas, & æterna felicitas.

Instructio meritoria.

Assumamus aliquot mortificationis actus vel per macerationem corporis vel per abnegationem voluntatis, subjungendo hymnum: *Vexilla regis prodeunt* cum doloroso Rosario. His rosis coronemus Caput Jesu. Spinas tollamus, & in nobismetipsis per mortificatio-

cationem 5. sensuum probemus. Amor, & gratitudo id jubent.

Festum S. Raphaëlis Archangeli, Medici in salutem animarum à Deo designati.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! éstne, quod toleramus, & patimur? Et cui alleviando Deus non providit Clementissimus? est homo ens quoddam meris compactum infirmitatibûs. Ne succumberet, etiam cœlestem submisit Medicum, S. Raphaëlem Archangelum. Ah! Quàm bonum habemus in cœlo Patrem! Non simus ergò filii diffidentiæ!

Instructio meritoria.

Ut clientes nos hodie commendemus plenissimè S. Raphaëlis custodiæ, orantes psalmum pro gratiarum actione: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt &c.* jungamus quoque novem actus patientiæ. O fili! debitores sumus pro tali medico!

II.

O Quanta Dei magnalia in S. Raphaële Archangelo! Cæco lumen reddidit, Saram à dæmone liberavit, Tobiam reduxit cum salute ad propria. Et hæc ò qualia amoris specimina! Fili! S. Raphaëli adhæreamus! Scimus experientiâ, quot, & quantæ necessitates nostræ! Nil sustinebimus contrarii, quamdiu sub cura, & amore hujus divini Medici.

Instructio meritoria.

Multi sedent in tenebris, & in umbra mortis. Quid agit charitas nostra, quòd non succurrat? S. Raphaëlem in auxilium cum cæteris Angelis, & recitantes ter *novem Pater & Ave* cum Cantico: *Benedictus Dominus Deus Israël!* Miseros omnes curæ, & protectioni Angelicæ commendemus quàm ardentissimè. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

III.

CEssemus tristari, dilecte mi! Hodie dies est lætitiæ! Hodie festum Archangeli Tobiam hîsce consolantis:

Gau-

Gaudium tibi sit semper! Forti animo esto! In proximo enim est, ut à Deo cureris. O felix nuntium! Recedant tristia! Fugiant desolatoria. Sit spes nostra in Deo, & SS. Angelis firmissima! Sunt hi ubique nobiscum: & tristitiâ vincimur? Quæ hæc Dei incuria?

Instructio meritoria.

Gaudeamus hodie specialiter de Præsentia Dei, & de illo tam insigni amoris beneficiô, quô tot Angelos ad nostram voluit deputatos custodiam, dicamúsque *Te Deum Laudamus cum Lytaniis de omnibus* Sanctis Angelis. Neque unquàm nobis transeat dies, ubi non sanctos Archangelos statim à manè per quatuor *Ave* invitaverimus ad nostram, quæ per diem imminet, pugnam periculosissimam. Spes optima Victoriæ, ubi tot nobis de cœlo submissæ assistunt Custodiæ. Ebullit sanguis in corpore militis ad conspectum sui ducis ad prælia adhortantis. Quid nos ad monita Dei, & Angelicæ custodiæ suaviter ad palmam invitantis?

MAIUS.

Festum SS. Philippi, & Jacobi Apostolorum Christo Jesu acceptissimorum.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! si Philippus, & Jacobus non paruissent vocanti Deo, ubi essent? Nunquid inter Apostolos? Nunquid inter Sanctos, qui quondam judicabunt duodecim tribus Israël? Minimè; sed lugerent jam inter æternaliter miseros, ac infeliciter damnatos. Tanti interest, correspondere vocationi Divinæ. Novimus & nos vocem Domini: sed cur tam morosi, tardi, & languidi in sequendo?

Instructio meritoria.

Pro nutantibus, & periclitantibus in via æternæ salutis curramus ad spiritum Sanctum, & oremus officium minus de Eo, aut Illius Lytanias. Spiritus spirat, ubi vult. Vult Deus: non permittit homo: Quæ hæc impietas?

II. Non

II.

NOn sunt contenti hi duo Apostoli, quòd sibi vixerint boni. Ut & milleni forent alii, labores, sanguinem, vitam dederunt. Quis non adeò mirabilem ambiat, & honoret Charitatem? Charitas, si benigna non est, adultera est. Si autem benigna, non tam sibi, quàm aliis erit. Fili! Quid ad hæc amor proprius? Profectò agit nostri Dominum. Væ autem regno, cui puer præest!

Instructio meritoria.

Amor proprius cùm serpat subtiliter etiam in corda alioquin sanctissima, precibus impugnandus est, & operibus multæ in alios charitatis. Igitur duodecim actus amoris exerceamus purissimi, cum suspirio Magni Xaverii: *O Deus! ego amo te! nec amo te, ut salves me!* Stantes ad ignem adhuc frigebimus?

III.

SEmper virtus laudabilis est, etiam illis, qui hujus vivunt hostes infensissimi. Utrumque hunc Apostolum dicebant justum, & sanctum impii satelli-

tes, qui mortis causa fuerunt. Ah fili! Christo, & virtuti adhæreamus unicè! Certè & ab ipsis amabimur adversariis. Nam in homine nequam nec laus, nec commendatio.

Instructio meritoria.

Pro obtinendo perfecto virtutis, & Christianæ perfectionis studio tres actus modestiæ angelicæ, tres taciturnitatis, & tres temperantiæ Christianæ sedulò exerceamus, addendô Canticum: *Benedictus Dominus Deus &c.* Quid dulcius virtutis studiô, & amore?

Festum S. Antonini Archiepiscopi Florentini ex Ordine S. Dominici Florentissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! Capiamus pro anima sententiam, quam suis reliquit S. Antonius dicens: *Qui minas mortalium timet, indignus est, ut cum martyribus coronetur in cælis.* Coronam hanc quoties perdidimus, qui plùs hominem, quàm Deum timuimus? O nimis tur-

pem

pem timorem, qui & longè terribiliorem accerſet in vita altera.

Inſtructio meritoria.

Reſpectus humanus cui non nocuit? Ut radicitùs noſtris evellamus ex cordibus, per unum menſem integrum contra hoc immane, & omni ſtatui adeò commune vitium inſtituamus, quotidie à manè offerentes pro felici liberatione tres ſalutationes Angelicas, cum teſſera: *Libera me de ſanguinibus.* Timor non hominis, ſed Domini eſt initium ſapientiæ.

II.

S. Antoninus ſtetit defenſor Mariani Nominis acerrimus. Hinc hæreticum in Mariam blaſphemum adjudicavit igni comburendum. Nondum, ò fili! ſublati ſunt tantæ Matris inimici. Nos ore, calamô, & opere honoremus. *Qui* enim elucidant me, finem habebunt, qui & initium erit conſummatæ felicitatis, & lætitiæ. Huc! huc! cum deſideriis noſtris!

Inſtructio meritoria.

In ſatisfactionem omnium blaſphe-

miarum, irreverentiarum, & contumeliarum, quas unquam sustinuit Deipara recitemus *Cursum Marianum*. Et si tempus suppetat, continuemus per octiduum, cordíque Mariæ commendemus conversionem omnium impiorum. Quid deliquit Maria, quod multis sit in odio?

III.

FIli! S. Antoninus quomodo moritur? Ut servus Christi, & Mariæ. Hinc illa ò quàm notabilia ultimò decertantis verba: *Servire Deo, regnare est.* Quin, dum videt & Mariam: Eam salutans exclamat: *Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam?* Sic dixit, & obiit. O quàm dulcis, quàm suavis mors clientum, & filiorum Mariæ! Est hæc sors in manibus nostris. Nunquid abjiciemus?

Instructio meritoria.

Ut teneamus, & ultima morientium nostrûm sint verba: *Jesus, & Maria.* Hodie officium de Immaculata Conceptione; cras verò officium de Nomine Jesu offeramus cum filiali affectu sæpiùs repe-

repetendo: *Jesu! & Maria! in vestras manus commendo sensus, corpus, & animam meam.* Si Jesus, & Maria pro nobis: quis contrà nos? Umbra Petri quid non potuit? Plùs poterit tantorum invocatio Nominum.

Inventio Sacræ, & Triumphalis Crucis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce Crucem Domini! hoc signum erit in cœlo, cùm Dominus venerit ad judicandum, quis non trepidabit? Trepidabunt verò illi potissimùm, qui sequi noluerunt Christum usque ad mortem Crucis. Fili! Crucifixi in schola strenui semper vivamus discipuli! Præcepta ejus facilia sunt; præmia verò quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

Instructio meritoria.

Ut igitur triumphemus in hoc signo super partes adversas, & quondam cum Crucifixo Jesu æternum gaudeamus in cœlis, recitemus tria Cantica ex hodierno Matutino, & ad imagines Crucifixi genu-

genuflectamus ſupplicantes : *Jeſu Nazarene! Rex Judæorum! miſerere mei.* O vocem, ad quam contremiſcunt inferi!

II.

FIli! ſunt plurimi, qui non quærunt, ſed Crucem fugiunt. Hos tamen ſequitur, quin & aſſequitur Crux. Sunt & alii, qui quærunt, & inveniunt crucem, quam lubenter ſubeunt, quia Deum diligunt. Jam quorum è numero ſumus? Primi habebunt pœnam. Secundi coronam. Jam eligere oportet.

Inſtructio meritoria.

Nos cum D. Paulo gloriemur in Cruce, & quòd Deus nos toties viſitaverit variîs tribulationibûs, hisque nos in ſui amorem attraxerit, in gratiarum actionem cum Officio de S. Cruce dicamus Pſalmum : *Laudate Dominum de cœlis! laudate Eum in excelſis.* Cum ſuſpirio : *Amplius! Domine! Amplius!* qui fodit, theſaurum invenit. In Cruce latet. Quæramus.

III. Un-

III.

UNde tanta nobis difficultas in S. Cruce? fortè, quia nimis molliter, delicatè, & sensualiter vivimus. Si hoc: Non crux est, quod affligit, sed scelerata, & vitiis scatens vita. Hanc deponamus; & omnis evanescet difficultas tempore tribulationis. Quod affligitur, corpus est! Quod triumphet, anima. Illi verbera debentur. Huic cœli gaudia.

Instructio meritoria.

Cum S. Ecclesia hodie gaudeamus, & ut Deus mittat in scelestum hunc mundum viros à patientia, fortitudine, & constantiâ celeberrimos, hymnum oremus: *Vexilla Regis prodeunt &c.* cum SS. Rosario de Mysteriis dolorosis. Tangamus rosas, & spirabimus odorem.

Festum S. Monicæ Divi Augustini Matris zelosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECclesia sancta quid non debet Beatissimæ Monicæ? Quid non & tota insignis Augustiniana familia? Ecclesiæ dedit

dedit Doctorem, & malleum hæreticorum. Huic Patrem, & Magistrum pro millenis animabus vigilantissimum. Fili! gaudeamus ergò in S. Monica, ne deserat nos in ultima mortis horâ.

Instructio meritoria.

Necdum cessant hæretici. Sed ubi Augustinus? En! Hujus sanctam familiam! Ut crescat in spiritu sui Patris, & Matris, hodiernam communionem offeramus, cum operibus totius diei, & in veneratione S. Monicæ exosculemur centies Benedictum illius Cingulum, Hoc stringimur, & jungimur Sanctis, & Deo.

II.

FIli! ô quàm aridi, & sicci sunt oculi nostri! Peccavimus multum; & tamen nec gutta cadit. Quis fontem obstruit? Proprius amor, & vitæ superbia. O qualia hæc ad agendam pœnitentiam obstacula! Dirumpamus, & necessitatem, ac cordis ariditatem S. Matri Monicæ filialiter pandamus, atque commendemus. Mater est multorum, erit & nostrûm.

In-

Instructio meritoria.

Ut nobis servemus, hujus sodalitati sub titulo sacri Cinguli (si nondum de eo participamus) inscribi petamus, & 33. *Pater & Ave* recitemus cum oratione de Festo. Solamen est S. Monicæ, discipulos habuisse lacrymarum.

III.

S. Monica ubi cognovit, Filium suum Ecclesiæ noviter natum, exultavit dicens ad S. Augustinum: *Ah! libenter jam morior fili mi! cùm nihil sit amplius, quod in terris requiram.* Sic loquuntur zelosæ animæ! Dico & ego: Fili! vivimus in sinu, & sub custodia Romanæ Matris: Quid ultrà poscimus? Aliud non, quàm & hujus mori fide sanctissimâ.

Instructio meritoria.

Grati jam simus, quòd à Christianis parentibus huic mundo dati, & tam sollicitè educati in doctrina catholica, hodie manè, & noctu dicamus *Te Deum Laudamus cum* 12. *Pater & Ave* in honorem SSS. Trinitatis. Nihil turpiùs! nihil

hil abominabiliùs ingrato, & immemori animô.

Festum Sanctissimi Pii V. Pont. Max. ex Ordine S. Patris Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! verè datus est orbi hic sancti Dominici Filius ad conterendos Ecclesiæ hostes; & ad reparandam Dei gloriam, etiam ab ipsis Christianis fordidè neglectam. O si haberemus plures ejusmodi Pios! Habebimus, si bonis moribus, studio virtutum, & SS. Ecclesiæ præceptis omnem impenderimus conatum, & operam. Sic statuamus!

Instructio meritoria.

Pro omnibus in vinea Domini constitutis operariis, ut verbo, & exemplo Ecclesiæ producant fructum centesimum, *Lytanias de omnibus* SS. oremus, Noménque S. Pii interponamus, per diem sæpiùs coram Crucifixo genuflectendo cum gemitu: *Te ergò quæsumus, tuis famulis subveni &c.* Hic sanguis clamat ad nos.

II. Ho-

II.

HOnores ô quantùm non mutant mores! non ita in S. Pio. Electus Pontifex eandem tenuit vitæ rationem, quam priùs ut humilis religiosus; quin auxit labores cum fervore pro restituenda disciplina ecclesiastica. Fili! vita nunquam mutari debet, nisi in melius. Crescunt quotidie Dei gratiæ, & cœli beneficia; crescant & in nobis virtutum opera. Et non promerita deerunt præmia. Magnus si quis vult esse in hoc sæculo, vivat ùt Pius.

Instructio meritoria.

Ut in filiis Ecclesiæ cadat cum turpi ambitione fastuosa superbia, & elationis spiritus, humilitásque Christi Jesu dominetur cordibus nostris, nihil loquamur hodie vel in laudem propriam, vel in alterius despectionem. Insuper coram Sanctissimo ter inclinatô capite, & expansîs brachiîs *quinque Pater & Ave* orandô adjunctâ clausulâ: *Christus factus est pro nobis humilis usque ad mortem.* Oratio: *Respice quæsumus Domine! super hanc familiam tuam &c.*

Qua-

Qualis Magister, talis & discipulus: Jesus humilis corde, humilis & ego.

III.

MOdicæ fidei! cur ita tristis, desolata est anima vestra? in angustiis hæret, & pressuris afflictionum: Quid tum? Ecce ostendam, ubi quæramus assistentiam? Periclitabatur tota Ecclesia ob turcarum potentiam. Quid S. Pius? flectit coram Crucifixo, orat pro Matre, & certantibus filiis. Et ô mirabilem vim orationis! jam insonat læta victoria. Hanc dare, solius est Dei: Hominis autem orare, & invocare dexteram Excelsi. Mendici, inopes sumus! Eamus! Pulsemus!

Instructio meritoria.

Crucem Domini erigamus in cubiculo nostro, & pro nostris, tum & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus sæpiùs coram Crucifixo flectamus, orantes *quinque Ave* cum oratione notissima: *Deus refugium nostrum, & virtus.* Nunquam à Christo! Nunquam sine Crucifixo!

Fe-

Festum S. Angeli Martyris,

Carmelitæ omnium virtutum, gratiarum & scientiarum genere conspicui.

EXHORTATIUNCULA I.

Angelus! ô glorioſum Nomen! hoc dedit Maria, ut diſceret, quî viveret in ſæculo nequam. Et profectò vixit ùt Angelus, & mortuus eſt, ùt Martyr invictus. Fili! ſi nomen nobis deſit, adſit tamen actio, & opus Angeli. Et quale illud? Inſpiciamus, & ubique vivamus ùt *nuntius Dei*, nuntius in verbis, nuntius in præclaris vitæ exemplis.

Inſtructio meritoria.

Pro ſacra Carmelitana familia, ut plures ejusmodi depravato ſæculo generet marianos angelos, offeramus *Curſum Marianum* cum ſacrificio, & omnibus diei exercitiis, ac virtutum actibus, quos inter 12. actus angelicæ modeſtiæ v. g. nullam aſpiciendo fæminam. Procul ab igne cum ſtipula!

II. Vi-

II.

VIctima cecidit pro Deo cruenta hic S. Angelus. Quis adornavit? Impurus, quem sceleris arguens, ad pœnitentiam suaviter invitavit. Fili! Quid pertinacius impurè viventibus? Verùm cæci sunt. Sinamus, & nos cum S. Angelo puritatem cordis defendamus. Hæc sola si comes fuerit, ad tumulum nostrum probabit Martyrium. Non enim ideò *laudabilis virginitas; Quia in martyribus reperitur*: *Sed quia ipsa martyres facit.* S. Ambrosius.

Instructio meritoria.

Renovemns hodie vota solemnia, & gratias agendo pro S. Confessione jungamus Ambrosianum Canticum: *Te Deum Laudamus.* Et cuilibet voto tres actus reflexè exercendos donemus. Actus perficiunt habitum? Et exercitium reddit aliquem sanctum. Sine hi nihil.

III.

COnfossus ad triplicem aureolam vocatur, animamque sub specie Columbæ efflat candidissimæ, cujus & pa-

liô ſex mortui reſurgunt ad vitam. Tanti eſt, vivere, & mori ut Angelum. Fili! deſúntne nobis media? Habemus certè in abundantia. Deus quoque non deeſt. Quis? vel quid ergò? Nemo niſi ſibi homo. Nunquid? quia vult piger, & non vult. O pigritiam, non columbis, ſed corvis propriam! verùm qualis vita, mors eſt ita.

Inſtructio meritoria.

Memoria mortis reddit hanc ſuaviſſimam. Igitur hodie pro nobis ipſis quaſi jam jam agonizantibus perſolvamus flexîs humiliter genibûs coram Crucifixo, aut Sanctiſſimo commendationem animæ, addendo & communionem ſpiritualem. Nunquam moritur, qui mori ſemper paratus.

Feſtum S. Joannis ante Portam Latinam.

EXHORTATIUNCULA I.

CAlix Domini, calix afflictionis, & crucis nos terret plerumque, ne vivamus ùt perfecti Chriſti diſcipuli. Fili! cæci nimis adhuc ſumus, quia præ-

mia, & gaudia non cernimus, quæ Deus abscondit sub torculari S. Passionis. Hoc ni calcatum fuerit strenuè in hoc sæculo: Ah! quid timendum de futuro? Solvamus, dum tempus opportunius.

Instructio meritoria.

In obviis hodiernis adversitatibus hominem exteriorem componamus ad omnem serenitatem in oculis, & lenitatem in verbis: Et cum S. Joanne constanter adhæreamus Christo. Hinc hymnum recitemus: *Vexilla regis prodeunt &c.* cum Rosario doloroso. Cruces produnt, cujus milites simus. An inquieti & turbidi sæculi? An Crucifixi Domini.

II.

FIli, datur S. Joanni optio, aut mori in ardenti, & ferventi oleo! aut abnegare, & abjurare fidem Christo! Quid eligit? Primum: & ò quàm feliciter! nam nec ignis nocuit, qui Jesum nunquam deseruit. Luunt carnifices: Liber evadit à flammis Evangelista. Quantum prodigium! & hoc Christia-

na

næ constantiæ præmium! Statutum & nobis : Sed fideliter pro Christo decertantibus.

Instructio meritoria.

Fidem noviter demus Jesu, repetendo illam formulam in Baptismo usurpatam: *Credo in Deum Patrem! Credo in Christum Jesum &c.* Econtrà abrenuntio carni, mundo, satanæ! abrenuntio & omnibus pompis ejus. In fine jungamus: *Quicunque vult salvus esse &c.* Nihil beatius, quàm credere : Sed opere, & veritate.

III.

Evasit martyrium unum S. Joannes, jam damnatur ad alterum; quia mittitur in exilium. Sic ludit Divinus amor. Auget occasionem patiendi, ut inveniat ampliorem retribuendi. O igitur ignava hominum corda! quæ vel ad tolerantiam afflictionis fortè unicæ credunt, se jam præstitisse plurima. O fili! plùs ultrà! amor in Deum nescit excessum. Nunquam nimius pro cœlo labor. Sursum ô dilecte! actus actibus jungamus. His scanditur cœli patria.

Instructio meritoria.

Quid dulcius cœlo? huic ut nostrum maneat inscriptum Nomen, duodecim actus exerceamus contrà iram, & inordinatam tristitiam, quâ forsitan gravius impugnabimur hodie; ad noctem verò *duodecim Pater & Ave* cum Psalmo: *Laudate Dominum omnes gentes &c.* Item: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et in exilio? in captivitate ita hæremus?

Festum S. Stanislai totius Poloniæ Thavmaturgi Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

MOdicæ fidei! cur hominem timemus? S. Stanislaus Regi Boleslao turpiter viventi libidinem publicè objicit; minatur Dei judicium, & perpetuum damnationis supplicium. Sic loquuntur viri zelantes honorem Dei Fili! & nos inter illos? O utinam!

Instructio meritoria.

Quot bona omisimus? quot mala commisimus; quia hominis oculos, judicium, favores, & æstimationem respexi-

ſpeximus. Quid ad hæc juſtus Judex? Contemptus, offenſus Deus? Teſſera ſit nobis commendatiſſima : *Propter hominem non incepi : nec propter hominem deſinam.* Ut ſolo ducamur Dei amore, ad menſam per octo dies continuos reflexè ſpiritualem inſtituamus Communionem, mentaliter nobiſcum repetendo : *Anima Chriſti ſanctifica me &c.*

II.

CAlumniis, detractionibus ſubjici, Crux, & afflictio maxima. Sed non S. Stanislao. In ſui defenſionem è tumulo advocat mortuum. Revixit, & Pontificem protexit. O fili! quid timeamus, ſi propria nos non arguit, aut damnat conſcientia?

Inſtructio meritoria.

Detractio quantum malum! & prò dolor! quot occaſiones illius? ut effugiamus, firmum fiat propoſitum, aut diſcedendi ex loco; aut obmuteſcendi ex toto. Etiam ex ſolo fumo caligant oculi. Pro medio efficaciori aſſumatur examen ſpeciale contra detractiones.

Continuetur per unam, vel alteram hebdomadem. Inde ô quanti non evademus detractionum ofores! Superi! os, & aures claudamus, ne inimici, mali fermones intrent, & perimant animam.

III.

AD aram pro fide, & Deo optata cecidit victima ſub gladio impiorum innocens Stanislaus. Et ô miraculum! advolant aquilæ, & ſacrum corpus à beſtiis tuentur. Fili! procidamus & nos, & glorioſa S. Stanislai exoſculemur membra, ſupplicantes, ut & in ultima nos non deſerat vitæ lucta.

Inſtructio meritoria.

Quis neget, S. Stanislaum bonum fuiſſe Paſtorem? talibus indiget adhuc Eccleſia. Miſereamur Matris, & ut perenniter triumphet, floreat, ac gaudeat in viris Apoſtolicis, ſanctis Epiſcopis, & Paſtoribus zeloſiſſimis, hodie omnes Sanctos invocemus per eorum Lytanias majores. Devotus filius eſt ſolatium matris.

Fe-

Festum Gloriosæ Apparitionis Principis Angelorum SS. Michaëlis Archangeli.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! Quid sibi festum hodiernum? Denotat insigne in nos Divinæ Clementiæ beneficium. Cœlum manifestavit mundo, cujus suis in ærumnis protegeretur patrocinio. Stamus & nos sub eo. O quanta securitas! tot inter insidias!

Instructio meritoria.

Pro assistentia Angelica in periculis potentissima recitemus ex hodierno matutino Psalmum: *Benedic anima mea Domino &c.* Dignus non est præsidio Archangeli, qui vivit immemor beneficii tanti.

II.

NOluit Deus, ut Cultus S. Michaëlis diutiùs lateret absconditus. Hinc hodiernô prodidit miraculô. Si Deus ita suos honorat Archangelos: Quid agat homo? Fili! Ubi essemus, si sub tutela S. Michaëlis hactenus non stetissemus?

mus? Et quoties noſtra tantam charitatem recogitat memoria?

Inſtructio meritoria.

Ut perpetuò fiat, inſcribamur hodie hujus Archifraternitati longè celeberrimæ: Et nunquam eamus cubitum, niſi anticipatâ illius votivâ formulâ cum filiali commendatione ad SS. Archangelum. Nox non eſt, ubi aſſiſtit Angelus lucis.

III.

OTho Magnus Imperator peccavit graviter homicidiô. Satisfecit. Ubi? In templo S. Michaëlis, ad quod nudipes, & peregrinus comparuit. O chare! Utinam & nos non premeret ſarcina iniquitatis! Quid moramur? Genuflectamus! Ad pedes tanti Archangeli, & protectoris deponamus. Audiemus ex ore Principis: *Vade in pace! Noli amplius peccare!*

Inſtructio meritoria.

In hodiernis examinibus, vel ſacramentali Confeſſione proximâ ſpecialiter nos accuſemus de omni noſtra ingratitudine, & irreverentia, quibus frequentiſſi-

tissimè offendimus Angelorum oculos, & in satisfactionem omnia exercitia religiosa peragamus proximâ die clausîs oculîs, & in fine diei subjungamus Psalmum: *Laudate Dominum de cœlis! laudate eum in excelsis!* Deprecatio humilis potens est in Dei, & cœlitum oculis.

Festum S. Gregorii Nazianzeni

Episcopi, & Doctoris in Ecclesia Sapientissimi, Excellentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! ubi vera sapientia? In vanis scientiis? Non ita. En! has ambit S. Gregorius, & dum ad eas acquirendas proficiscitur Athenas, vix non naufragiô periit. Vera scientia, & solida invenitur in contemptu sæculi, & amore Dei. Ubi nos quærimus?

Instructio meritoria.

Omnia hodierna studia, ut serviant animæ pro Dei gloria, inchoemus ab invocatione SSS. Trinitatis, præmittendô *tria Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* & oratiuncula: *Actiones*

noſtras quæſumus &c. à Jove principium!

II.

Ecclesiæ, & populo proficit plurimùm tantus Doctor. Quomodo? insigni vitæ ſuæ exemplo. Hoc solò & malos terruit, & bonos ad virtutis animavit ſtudium. Fili! quid pravis exemplîs nobis accendimus flammas purgatorii? Unicô exemplô malô ò quot offendimus? Deum! proximum! nos ipſos!

Inſtructio meritoria.

Scandala ſi quæ data, ut deleamus, futura verò præveniamus, ad omnes Sanctos clamemus, recitandô *lytanias Majores*, & pro teſſera diurna januis, vel pulpitis affigamus illud S. Pauli monitum: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum &c.* Lege, & ſic vive.

III.

RAra avis conſtans amicus! talem S. Gregorius quæſivit, invenitque in S. Baſilio, cum quo non niſi æterna tra-

tractavit, & immortalia. Fili! ubi? vel quales amici nostri? utinam in cœlo! utinam & in Divo Gregorio! eligatur hodie; quia magnus coram Deo intercessor,& consolator animæ. In mundo si quæramus, haud inveniemus.

Instructio meritoria.

Ut omnes S. Ecclesiæ Doctores nobis lucremur in amicos pietatis, & Divinæ sapientiæ, hodie eis offeramus duodecim actus abnegationis proprii judicii cum *officio de Spiritu Sancto.* Accedite, & illuminamini!

Festum Sanctissimi & Gloriosissimi Triumphatoris S. Joannis Nepomuceni Protectoris bonæ Famæ Prodigiosi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! spes non confundit! ut quid tristis est anima nostra, dum nomine, vel famâ patimur gravissima? clamemus ad Deum! clamemus ad Mariam! clamemus ad Sanctos,quos inter gloriosè triumphat S. Joannes Nepomucenus,

cujus cultus sit vita vestra. Vivere Sanctis, quàm glorioſum est!

Instructio meritoria.

O quantas nostrîs peccatîs merebamur confusiones! quanta & bonæ famæ dispendia! sed pepercit Deus,& coelum. Gratias agamus per *Te Deum Laudamus*, nostrasque tam in- quàm externas necessitates S. Joanni Nepomuceno committamus per *Officium minus*. Honora; & honoraberis.

II.

NOn timuit S. Joannes Cæsarem; timuit solum peccatum. O quàm sanctus hic timor! Timemus & nos! Sed hominem, offendere verò Deum, nec exhorrescimus, nec erubescimus. Et nos à tanto Patrono defendi, & exaudiri speramus? Cesset peccatum, & impetrabimus.

Instructio meritoria.

Ad respectum humanum penitùs exuendum hodie post S. Confessionem in solitudine quiescamus, per quadrantem aliquid meditantes de quatuor novissimis. Addamus & in venerationem glo-

rioſi

rioſi Martyrii, quod S. Joannes ſubiit pro Gloria Dei, illa tria cantica, quorum primum incipit: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Si ego Deus: ubi amor? Timor ubi?

III.

INnocentia premitur; vitium, & malitia coronatur. Quid tum? Sic ſuos probat Deus. Vult, modicum hîc pati, ut ibi gaudeant æternùm. Dilecte! quid nos patimur? Si multa, ſi gravia cum S. Joanne: gaudeamus! Si parum: heu! Severum nos expectat Dei judicium. Recepimus enim mercedem noſtram in hac vita. Hinc diſciplicuimus Deo. Abjecti viximus à facie Domini. Væ qui ridetis! Quia flebitis!

Inſtructio meritoria.

Fratres Crucifixi Jeſu ſumus! Cives ſanctorum ſumus! pati oportet, ne degeneremus à ſpiritu eorum. Pro impetranda igitur conſtanti patientia per ſeptem dies recitemus quotidie unum pſalmum ex Pœnitentialibus. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.

Festum B. Simeonis Stock è SS. familia Carmelitana, Pretiosi Mariæ famuli:

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! hic vir! hic Beatus est, cui vivi, & mortui debent plurima, dum sacrum scapulare obtinuit à Maria. Hæc gratia unde B. Simeoni? à constantiin Deiparam pietatis affectu, & filiali amore. Hæc merces amantium est. Hinc ipsa cœlitum Regina in soliloq. Thomæ Kemp. Ego sum Mater misericordiæ, plena Charitate, & dulcedine. Ego peccatorum scala, reorum spes & venia. Ego mœstorum consolatio, & piorum Merces magna nimis. Quis in S. scapulari non diligat Mariam?

Instructio meritoria.

Congregationi de SS. scapulari hodie nostra dabimus nomina, vel si jam inscripta, formulam renovabimus votivam cum Cantico Ambrosiano: *Te Deum Laudamus*, pro accepto salutis vexillo. Qui stat, & pugnat sub præsidio

dio Reginæ tantæ, quem hostium timeat?

II.

BEatus Simeon meruit sub Marianæ Protectionis recipi pallio, & hoc ob specialem tempore afflictionis, & adversitatum in Mariam confidentiam. Gallina suas sub alas abscondit pullos suos: Et id negabimus Matri Divinæ respectu clientum? Non sic genuini Mariæ filii! Hi enim noverint illud S. Bernardi: Hæc Mater est singularis diligentiæ: nulla unquam Mater tantùm pro filio solicita fuit, imò nec omnes simul sumptæ, quantum Maria sollicita est pro suis. Serm. 3. de Assumpt.

Instructio meritoria.

Idem fateamur & nos recitando Rythmum S. Casimiri: *Omni die dic Mariæ, mea laudes anima.* Manè verò, & nocte intonabimus Canticum Simeonis: *Benedictus Dominus Deus Israël.* Verè visitavit, & visitandô nos sanctificavit S. Scapulari clemens, Pia, & Dulcis Virgo Maria.

III. Fi-

III.

FIli! quis noſtrûm habitabit cum ardoribus? quis non contremiſcat ad purgatorii incendia? O felices SS. Scapularis Cultores! His ſuam quoque inter flammas promiſit Maria conſolationem, & aſſiſtentiam per B. Simeonem. O quot non ſacro Scapulari debemus oſcula! Quot gratias familiæ Carmelitanæ!

Inſtructio meritoria.

Pro incremento Archi-fraternitatis tam antiquæ quàm pretioſæ hodierna totius diei opera offeramus cum Curſu Mariano. Flumina imitemur. Reddamus mari, quod à mari accepimus.

Feſtum S. Paſchalis Baylon ex Ord. S. P. Franciſci.

EXHORTATIUNCULA I.

DIlecte! Quis exprimet in S. Paſchali puritatem, humilitatem, fervorem, Deíque & proximi amorem? Unde cœpit in ſua innocentia, ita continuavit, mortuus quàm glorioſiſſimè. Non initia ſunt Chriſtianorum, ſed finis, & con-

consummatio. Si benè cœpimus: ut quid opus maculamus inconstantiâ? Et hæc ò quàm turpia in Dei famulo!

Instructio meritoria.

Donum constantiæ in bono desursum est! ut cœlum largiatur, hodiernum sacrum cum SS. Rosario offeramus, sæpius ingemiscendo per diem: Domine! qui dedisti velle, da & perficere!

II.

FIli! sumus & nos, qui se profitentur Cultores Mariæ. Erimus, si cum S. Paschali ad pronuntiationem Mariani Nominis frequenter capita religiosè inclinemus, & Mariæ transeuntes imaginem piè subsistamus, & factâ mediâ genuflexione Matrem Gratiæ salutemus. Monstremus nos filios! & monstrabit, se esse Matrem, Maria.

Instructio meritoria.

Assumamus præfatam praxin, &, ut Mariæ ubique in SS. imaginibus debitus impendatur honor cum reverentia, quinque Psalmos Nomen Mariæ exprimentes flexîs genibûs recitemus, cum desi-

desiderio: Dignare me cum S. Paschale, laudare te Virgo sacrata!

III.

CHare! Quæ est via in Domino morientium? En! anima S. Paschalis visa est igneô curru rapi in cœlum. Sociemus nos Seraphinis in fervore pro Deo, & Maria, atque proximo; & monstrabitur semita solis amantibus strata. Huc! Huc ergò desideria nostra! Praecessit S. Paschalis cum mille aliis! Sequamur! quibus non minùs assequendi promissio per Dei gratiam facta.

Instructio meritoria.

Viri Religionum ut vivant ut ârdentes Seraphini, *Lytanias de omnibus Sanctis* persolvamus, interponendo specialiter Nomen S. Paschalis. In fine addamus Rythmum amoris: *O Deus! Ego amo te!* Non alis, sed igne, & flammis dignoscitur Seraphim.

Fe-

Festum S. Felicis ex SS. Ordine Capucinorum, Fratris amore, & spiritu Dei abundantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FElicia, mi fili! optamus vivere, & videre tempora! Habebimus, si cum S. Felice, contemptô sæculô, solum quæramus, & diligamus Deum. Risit vir humilis ad hominum risus contentus Dei gratiâ, & purâ innocenti conscientiâ. O nos infelices! Si aliter vixerimus.

Instructio meritoria.

Malas cupiditates, & inordinatos appetitus ad res mundanas, & transitoria vincamus hodie sexies orantes Psalmum: *Deus in adjutorium meum intende.* Cum 12. Pater & Ave, ac diurnâ tesserâ: Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

II.

S. Felix meruit in suum recipere sinum Dei Unigenitum, à Maria ad amplexus oblatum. Quantus favor. O fili! Et hic unde? Dicam: Sed ad nostram doctrinam, & S. Felicis promptam

ptam imitationem, atque sequelam Omnes Mariæ Vigilias solo pane transegit, & aquâ. En! dum jejunat homo, reficit, & suâ recreat præsentia Deus.

Instructio meritoria.

Sabbathino assuescamus jejunio, & in profestis non obliviscamur Mariæ. Hodie ut illius amor, & cultus crescat in orbe universo, recitemus Casimiri Canticum: *Omni die, dic Mariæ &c.* Jejunet corpus, ut pinguefiat anima.

III.

S. Felix tria nos hodie docet, quæ & suo commendavit dilecto socio Videlicet: Coronam Mariæ portare in manibus, oculos defigere in terram, mentem elevare ad Deum, & cœli palatium. Quod docuit Felix, id & sub præstitit exemplô. Quid mirum, si & moriens à Deipara invitatus sit ad sidera Præivit: curramus, doctrinam observemus! Sic comprehendemus.

Instructio meritoria.

Commendo praxin à S. Felice datam. Et ut sæculo mortui ambulemus cum

Deo

Deo, recitemus Pſalmum : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* cum uno S. Roſario. Sit mens, ubi Deus.

Feſtum S. Petri Cœleſtini SS.

Ordinis Patrum Cœleſtinorum Fundatoris zeloſiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! Quomodo primos cœpimus annos? Fuítne & noſtra cum S. Cœleſtino parellula prima : *Volo eſſe bonus ſervus Dei.* Si non : Hodie ut ſimus, ſatagamus, deſpiciendo ſervitutem, quam impium ſæculum ſuis injicit aſſeclis. Servire Deo præſtat; quia ſemper lætabimur in eo. Dominus eſt! Quis non miniſtret?

Inſtructio meritoria.

Servitutem ut SS. Trinitati probemus noſtram, duodecim actus fraterni amoris exerceamus reflexè, quibus & jungamus Canticum : *Confitemini Domino, quoniam Bonus; quoniam in ſæculum Miſericordia ejus.* Liber eſt, qui pro Dei, & proximi vivit obſequio.

II. S.

II.

S. Cœlestinus à Deipara, dum cæcuti-
ret, recepit oculum. A S. Joanne
verò Evangelista instruitur in litteris
quin & Christus de Cruce ei morum, &
studiorum instructores dedit Angelos
Fili! Jam colligere licet, quantum pla-
ceat cœlo, & Sanctis vita docta, & pu-
Quid igitur nobis cum ignavia, & turp
oscitantia?

Instructio meritoria.

Pro insigni in litteris, & moribus pro-
fectu, studia inchoabimus flexîs genu-
bûs cum hymno: *Veni S. Spiritus*, &
hodie Crucifixum cum Maria, & dilecto
discipulo in Magistros eligamus, oran-
Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu
Petra est! Adhæreamus!

III.

UT suæ ad solitudinem vocationi re-
sponderet, inauditô contemptu
sui exemplô, Papatum amisit. Malui
degere solus, & salvari certò, quàm to
inter pericula, & mundi strepitu
periclitari. Fili! In mundo versamur
Væ, si & dilexerimus. Fugiamus, ne
pere-

pereamus. Jugum Domini ſuave! Dæmonis intolerabile. Et ô cæcitatem! *Præcipit id diabolus, & auditur.*

Inſtructio meritoria.

Ad cogitationes de honoribus, favoribus, promotionibus citò reſpondeamus: *Si ita placuerit Domino! At gloriam alteri non dabo.* Ut illa omnia contemnamus ſeriò, addamus Lytanias de omnibus Sanctis. Audeamus generoſi! Habemus potens pro nobis cœlum!

Feſtum S. Bernardini Senenſis ex S. Ordine Seraphico.

EXHORTATIUNCULA I.

VIx parvulus, jam pueriles ſpreverat luſus, & totum ſe jejuniis, orationi, & cultui Mariæ conſecravit. Amice mi! quando & nos in pleno ſerviemus Deo, ac Mariæ? Cur non modò? Cur non hodie? Moram non patitur amor. Ut citò fiat.

Inſtructio meritoria.

In honorem S. Bernardini coram Imagine Beatiſſimæ Virginis ſæpiùs flectamus

ctamus genua, salutantes Mariam: *Salve Regina!* Hæc enim procurabit, ne pereamus; efficiet, ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio Mariæ Domino nostro vita nostra jugi devotione famuletur. Quis igitur non centies dicat: *Salve!*

II.

CAstitas quanta virtus! Sed præstantissima in S. Bernardino, quô præsente ne quidem impudentissimus verbulum audebat proferre minùs honestum. O benedictum os! Cui non nisi sancta, & castissima insunt colloquia. Fili! Ita loqui decet. Sed à quo discemus? Veneremur Bernardinum! Suos diriget discipulos.

Instructio meritoria.

Ad obtinendam ergò gratiam Conversationis Angelicæ locum recreationis non accedamus, nisi priùs à Jesu, Maria, & S. Bernardino petitâ benedictione, & licentiâ coram Sanctissimo, ubi & hymnum præmittamus. *Ave Maris stella.* Principes, & potentes hujus sæculi rogari volunt: Cur non & Sancti?

III. No-

III.

NOmen Jesu S. Bernardinus semper in ore, & in pectore gerebat, suóque vitæ exemplô collapsam pietatem, morésque restituit. Chare! Quæ verba in ore? Quæ opera in corde? Utinam S. Bernardini! Si non sunt; heu! Peccata sunt!

Instructio meritoria.

Hodie Officium de dulcissimo Nomine Jesu persolvamus magnâ devotione, & filiali contestatione, nos aliud posthac cogitare, aut loqui non velle, nisi de Jesu, Maria, & Sanctis Dei. Hi si non sapiant, vita nostra in periculo est. Stomachus nauseabundus minatur interitum. Quid mens spiritu, & amore cœlestium vacua?

Festum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ex Ordine Beatissimæ Virginis de Carmelo.

EXHORTATIUNCULA I.

VIx noverat Deum, jam amavit, & unicè dilexit. Hinc frequentissima in Ecclesia coram Augustissimo Al-

taris Sacramento. Huc! Huc! O dilecte! si nostra afflicta est anima! *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.* Monet S. Augustinus.

Instructio meritoria.

Visitemus hodie latentem in tabernaculo amoris sponsum nostrum Eucharisticum, & ut nobis amanter tribuat tres virtutes theologicas, *vivam fidem, spem firmam, & charitatem ardentissimam,* recitemus Rythmum S. Thomæ Aquinatis: *Adoro te devotè latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas &c.* Jesus mansit nobiscum, ut nobis præsto esset. Audiamus vocem illius, & audiet nostram. *Non audivimus*, ait Salvianus, *non audimur; non respeximus, non respicimur.*

II.

AMor amantem probat, & S. Magdalenam gravis derelictio, ariditas, & in spiritu desolatio summa. Quid illa? Contristari? Irasci? Turbari? non ita: Sed ardenter suspirare: *Pati, Domine! non mori.* Hîc utique confundimur! Dilecte fili! Sit afflictio nobis imposterum

rum multorum meritorum occasio. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Prov. 12. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Instructio meritoria.

Ergò ad desolationes non terreamur, sed gratias agamus cum desiderio: *Pati Domine! non mori!* Et ut compensemus omnes indignationes, murmurationes, & inordinatas tristitias, in honorem septem Dolorum Beatissimæ Virginis persolvamus 7. Pater & Ave cum *Stabat Mater.* Maria plorat: lacrymatur: Et rideat filius?

III.

INfidelium, & peccatorum ruinam, ac interitum adeò amarîs deflebat hæc Sancta Virgo lacrymîs, ut & sese Deo sisteret paratissimam ad quævis pro illorum certa salute subeunda corporis tormenta. Fili! Ubi zelus? Ubi amor? Ubi compassio nostra ergà afflictas, & vix non æternum perituras animas. En! Jesus clamat de Cruce: Miseremini!

Instructio meritoria.

Igitur nulla jam ampliùs transeat dies,

ubi saltem non unam decadem ex S. Rosario pro conversione eorum applicaverimus. O quantum hoc erit gaudium in cœlo. Haud dubiè (sunt terribilia S. Gregorii verba) à nobis repetet Deus rationem animæ fratris nostri, si, cùm possumus ejus procurare salutem, neglexerimus.

Festum S. Philippi Nerii Congregationis Patrum de Oratorio Jesu Institoris Celeberrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quantus, & qualis hic vir fuit in abstinentia, vigiliis, & orationibus! Quid mirum, quòd innumeras penè lucratus sit animas Christo. Dilecte! Quando nos ita vivere incipiemus! Tempus est, nos tandem de somno sensualitatis nostræ surgere, & solùm ea quærere, quæ Jesu, & animarum sunt. Quid agendum?

Instructio meritoria.

Pro pietate solidè acquirenda, & conversione multarum gentium per septem dies quotidie aliquem ex pœnitentialibus

bus psalmum persolvamus cum orationibus, quas lytaniis de omnibus Sanctis videmus annexas. Jesus vult omnes salvos fieri! Quid autem nos?

II.

En! præ magnitudine amoris duæ in corpore confringuntur costulæ. Hic effectus Divinæ charitatis. O cur non rumpitur & cor nostrum ad hæc adeò insolita? Frigescimus, utut Deo assistamus proximi. O S. Philippe! tu ignem mitte! da flammam! Ne frustrà clamemus.

Instructio meritoria.

Veneremur tam nobilem sanctum, & ut hujus meritis omnia mortalium ardeant corda igne Divini amoris, visitemus Sanctissimum in Ecclesia, & omni cum devotione recitemus Rhythmum: *Anima Christi sanctifica me.* Ubi amor! ibi Deus. Infirmus, derelictus fui, & visitastis me.

III.

QUid hoc? ab honoribus, & publicis dignitatibus extremè horruit S. Philippus. Munera magis hono-

rifica, quibus & ipsa eum glorificare voluit S. Romana Ecclesia, absolutè respuit. Talia operatur humilitas in cordibus Servorum Dei radicata. Fili! alta quid petimus? Nonne ut lapsu graviore ruamus? Retrahamus pedem. Vallem quæramus, &

Instructio meritoria.

Ut seriô, & generosô animô spernamus omnia, quæ humilia non sunt, flexîs genibûs coram Crucifixo detestemur nostram ambitionem, & frequentiora possidendi desideria. Addamus dein Lytanias de SS. Nomine Humillimi Jesu. Humilitate vincimus mundum, & nobis attrahimus Deum. Bene Salomon: quantò es magnus, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Eccl. 3.

Festum Sancti, & Venerabilis Bedæ, Magni Doctoris ex Ordine SS. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

TOtum Sancti & Venerabilis Bedæ vivere fuit continuum legere, sem-

per

per ſcribere, docere, & orare ſemper. Sancti labores, dum habent, amant; quærunt, ſi careant. Pereat otium in domo Dei! Dilecte! recordemur, ad quid nati, & vocati ſimus! non degeneremus ab excelſis Patrum noſtrorum ſtudiis! Sic Dei honor exigit.

Inſtructio meritoria.

Cœlum ut plures ejusmodi zeloſos viros in ſua excitet Eccleſia, recitemus hymnum: *Veni Creator Spiritus*, cum oratione de Feſto. Satagamus totam diem hodiernam non niſi aut precibus; aut ſacris ſtudiis, vel piis lectionibus impendere. Otioſitas eſt inimica animæ. In domo Dei ſtamus! ergo ad laudes! ad litteras! procul cum deſidia!

II.

S. Beda bonis, & devotis erat totus affabilis; ſuperbis verò, & negligentibus ſanctè iratus, & terribilis! Sic virtus amorem; vitium verò ſibi parit odium, & averſionem. Fili mi! Non placebimus cœlo, nec homini, niſi ex ſola virtute, modeſtiâ, & humilitate.

Instructio meritoria.

In satisfactionem, superbiæ, ac elatæ aut inflatæ vitæ à Venerabili Patre spirituali petamus licentiam exercendi actum proprii contemptûs & vilipensionis, aliàs naturæ, & propriæ propensioni apprimè contrarium. Ut nos ipsos triumphemus, ter orabimus Psalmum: *Domine! non est exaltatum cor meum.* Vincenti, & sese humilianti dabitur manna, & nomen novum, quod Deus nominabit.

III.

O quàm pretiosa mors Sanctorum! B. Beda in die Ascensionis super cilicium corpori subjectum decumbens, illibato sensu, & hilari vultu intonat: *O Rex Gloriæ!* Et sic jubilans evolat ad cœlum. Dilecte! Non sequemur nos peregrini, & advenæ super hanc terram? Fili mi! strenuè laboremus pro cœlo! & assequemur.

Instructio meritoria.

Distributioni temporis hodiè intendamus accuratissimè; & ut magna pro Deo, & hujus honore audeamus, pa-

tia-

tiamurque, in Patronum nostrum nobis eligamus Doctorem Ecclesiæ adeò Venerabilem, cui & unam sacramentalem Communionem offeramus! In hac cibus & potus datur verè sapientibus. Reficitur corpus: cur fame & siti pereat anima, & in hac Dei gratia?

JUNIUS.

Solemnitas Triumphantis, & Amantissimi Cordis D. N. Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quale agimus festum! Sanctissimum & suavissimum. Sanctissimum; quia de latere Jesu; Suavissimum; quia festum Amoris. Et ô dilecte fili! quot sunt, qui illud gratâ venerantur memoriâ? Quot sunt, qui singulari pietate, affectu, & devotione Cor Jesu consolantur & diligunt. En! novam & crudelem lanceam, quæ denuò Jesu renovat vulnera. O detestandam mortalium ingratitudinem!

Instructio meritoria.

Sed quid nos? O fili! compensemus

in aliis defectum amoris, & ab hac die saltem singulis Feriis VI. Sacrosanctum Cor Jesu *aut quinque Pater, & Ave,* aut *Officio* de eodem, aut piâ mentali visitatione statuamus honorare; neque cubiculum sit ampliùs nostrum sine S. Icone de Dulcissimo Corde Jesu. Ubi Amor meus, ibi & cor meum.

II.

TRiste spectaculum! properat unus militum, & lanceâ latus jam mortui Jesu aperit, & transfodit. O humanam crudelitatem! Chare! hujus quando erit finis? O quot non adhuc inveniuntur, qui Longinô crudeliores quotidie vulnerant Cor Jesu, dum sua infrunita explere satagunt desideria! At cessa sæva Crudelitas! Jesus enim quid mali egit? Fili! citò ad commiserationem.

Instructio meritoria.

Ita sanè! omnes proin cogitationes, omnes appetitus, & cupiditates præsertim circà futura, hodie pleno animi affectu consecremus doloroso Jesu cum firmo proposito, tantummodò cogitandi

tandi de præsenti die, quomodò sanctè transeat, ne Deus offendatur. Addamus 15. *Pater*, *& Ave* in honorem effusi copiosè sanguinis ex corpore, & vulneribus Christi. O si quotidie continuaretur hæc pietas! Hic enim sanguis nostræ est pretium Redemptionis.

III.

O Excessum Amoris! jam pendet mortuus à Cruce Jesus! dat & ultimùm vulnus Cor suum. Quis inflixit? Amor. Aperuit, ut miser haberet homo, quò fugeret tempore angustiæ, & tribulationis. Fili mi! Sine ærumnis non sumus. Sed neque sine refugio. Cur non quærimus?

Instructio meritoria.

In quacunque ergò fuerimus cordis pressura, vel nostrum intremus cubiculum, vel in templo procidamus, & Cordi Jesu potenter commendemus. Videbimus Auxilium Domini in tempore opportuno. Instituamus proin octavam integram, & pro qualibet die unum; vel alterum patientiæ, humilitatis, aut alterius mortificationis actum conscri-

bamus, conſcriptos Ven. Patri Spirituali extradamus ad benedicendum, & benedictos ſtrenuè exerceamus. Sic creſcent meritorum manipuli.

Feſtivitas Glorioſi, & Dulciſſimi Cordis Auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ Beatiſſimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm multæ ſunt afflictiones, & miſeriæ noſtræ! O fili! patiopor-tet, quia Deus vult, & imperat. Non pepercit Deiparæ! Peccator ſe eximat? Gaudeamus ſub manu Domini, & omnia, quæ ſuſtinemus, uniamus cum doloribus Mariani Cordis. Inde & noſtrum cor gloriabitur in die tribulationis.

Inſtructio meritoria.

Ut vivamus filii digni Mariâ, matre afflictorum, per ſeptimanam ſingulis Feriis VI. recolamus ſeptem dolores, quos ſuſtinuit Cor Mariæ tenerrimum. Ideò vel compaſſivô Rhythmô *Stabat Mater*, vel ſpeciali jejuniô veneremur

Filium

Filium & amor, & compassio probant.

II.

STat apertum cor Mariæ! Quid vult? Dare asylum miseris Evæ filiis. Et quis huc confugerat unquam, & aditum non invenit? Sumus peccatores! Curramus ad Mariam! Non abjiciet. *Misericordia Virginis sæpè liberavit, quos Justitia Filii damnare potuit.* Idiota.

Instructio meritoria.

In refugium ut nobis veniat Maria, *Lytanias Lauretanas* perpetuemus, memores, quàm potens Nomen in his veneremur, & suspiciamus. Est enim Nomen, coram quo omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Laudemus, & laudandô gustemus, quàm suavem in cœlis habeamus Dominam. Regina enim est ob largitatem. Largitur servis suis dona gratiarum; vestes virtutum; thesauros meritorum; magnitudinem præmiorum. Rich. à S. Laur.

III.

QUare tristis est anima nostra? bella premunt hostilia! Mala nos cru-

ciant undique humana! Quid tum? Non patimur soli. Est Jesus frater! Est & Maria Mater nobiscum. Ille offert sacrosancta vulnera; Hæc materni cordis sinum dulcissimum, ut nostras in his abscondant ærumnas, & tristitias. Accedamus! Pandamus omnia, & intima cordis nostri exponamus. Nihil austerum in ea, nihil horribile, tota suavis est. S. Bern.

Instructio meritoria.

Quòd ita, experiamur recitando *Officium* de dulcissimo Corde Mariæ cum repetendo novies Cantico: *Magnificat*. Simus libenter cum Maria in templis. Utique hoc non adeò difficile? Ibi pulsemus! Ibi petamus! En! Gazophylacium! Aperietur supplicantibus; ne dubitemus. Filius pro nobis interpellat apud Patrem: Mater apud Filium. Quantum spei fundamentum!

Fe-

Festum S. Erasmi Martyris, & Patroni tempore afflictionis Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! ridet S. Erasmus inter fustes, & verbera, inter ferventem picem, ceram & plumbum liquefactum. His omnibus evadit integer. Quis conservavit? Divina gratia. Bone! Cur nos tam citò dejicimur? Turbamur? Hæc nostra ignavia est. Hanc tollat firma in Deum, & sanctos confidentia!

Instructio meritoria.

Ardeat hodie in nostro cubiculo speciale lumen, idque in honorem Gloriosi Martyris cum tribus *Pater & Ave*, & Psalmo: *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* Cœlum amicis abundat: Cur negliguntur?

II.

S. Erasmus Loricâ induitur ignitâ, & pergit confiteri Jesum. Modica tribulatio, vel turbatio nostrum invadit animum: O fili! Et vix non desperando negamus Jesum. O nos modicæ fidei

dei, & constantiæ! Multùm in hoc debemus adversitatibus, quæ eodem quasi conjunctæ fœdere auxilio sunt ad humilitatem; plùs nobis boni una facit tribulatio, quàm omnes suis favoribus amici. *S. Franc. Xav.*

Instructio meritoria.

Gratulemur S. Erasmo, & quidquid hodie occurrerit primum de adversis illi in devotionis offeramus victimam. Quam victoriam, uti & plures ejusmodi patientiæ, & fortitudinis actus annotabimus in quodam libello in hunc finem præparato. *Facite vobis sacculos*, præceptum Domini est! In honorem 14. Auxiliatorum oremus 14. *Pater & Ave* cum *Credo*. Tot pro uno! Quanta securitas!

III.

ANgelus astitit semper S. Erasmo, qui & eum à tormentis, & manibus carnificum non rarò eripuit. Non deserit cœlum amantes. Amemus! Patiamur! Magna pro Deo audeamus! Procul cum timore! Fidelis Deus in retribuendo, si & homo in serviendo.

In-

Instructio meritoria.

Simus Cultores quatuordecim SS. Auxiliatorum, quos inter eminet S. Erasmus, certúmque nobis intrâ hebdomadem constituamus diem, quem illorum honori ex toto consecremus cum *Lytaniis de omnibus Sanctis*. Additô uno, vel actu alterô mortificationis vel in sensibus, vel voluntate propriâ. Quis faciet hoc? Et laudabimus eum. Dabit Deus occasionem! Nos promptam voluntatem.

Festum SS. Norberti Episcopi, & S. Ordinis Præmonstratensis Fundatoris Glorioſissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid hoc? O dilecte! S. Norbertus aulam deserit Imperatoris, vestem induit laceram, & miræ austeritatis aggreditur vitam. An non hoc est ludere mundo? Lusit & hic sat nobis: Fugiamus cum S. Norberto. Qui humana deserit, recipiet cœlestia.

Instructio meritoria.

Ut crescat ad insigne Ecclesiæ decus can-

candidissima S. Norberti familia, Deum supplicemus, & pro Illius institutione gratias agamus privatim intonando Te *Deum Laudamus*. Honoremus primo Parentes, ut simus longævi super terram

II.

S. Norbertus in Episcopum electus solebat dicere : *Fui in solitudine, & in dignitatibus ; sed jugum Domini cæteris quibusque antepono.* Chare! & nos jugum Christi ita vilipendimus? Non contemneremus, si cum S. Norberto plùs Deum, quàm terram æstimaremus. Tantus est amor, quanta æstimatio.

Instructio meritoria.

Contemptus sæculi. O quàm necessarius! Ut eò pertingamus, aliquid de contemptu legamus, & legendô meditemur : Neque sæculi negotiis nos curiosiùs intricemus. Memores, quid Christus suis discipulis : *Quærite primùm Regnum Dei.* Addamus & Psalmum : *Quàm dilecta tabernacula Domine Deus virtutum.* Terram pedibus calcamus : & ut patriam amamus? Quid hoc?

III. S.

III.

S. Norbertus quadraginta diebus se præparat ad primum Sacrum celebrandum. O quæ nostrûm confusio! Qui tam viliter de hoc Divino sentimus sacrificio. *Accedite cum fide*, clamat S. Augustinus, *accedite & cum tremore ac dilectione.* Hæcne in nobis?

Instructio meritoria.

Compensemus, & hodierno sacro erectîs manibûs, & summâ corporis decentiâ assistamus, neminem aspiciendô, neque spiritualem Communionem intermittendô. Oratio nostra sit devota recitatio *Officii de SS. Altaris Sacramento;* vel *S. Rosarii* sub mysteriis gaudiosis. Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum.

Festum Thavmaturgi potentissimi S. Antonii de Padua.

EXHORTATIUNCULA I.

O Magnum Antonii zelum! Profitetur S. Franciſci Ordinem, ut Saracenos adiret, & ad martyrum palmas per Evangelii prædicationem deveniret. Ar-

Ardeamus & nos! Dilecte fili! pro Dei Ecclesia, aut multa scribendo, aut legendo, aut pro charitate, & utilitate religionis laborando. Sine his nec Christiani, nec religiosi meremur vocari.

Instructio meritoria.

Ad augendum numerum virorum Apostolicorum recitemus *Officium de* S. Antonio, & ad lectionem Martyrologii seu vitas sanctorum omni fervore attendamus, & sub his paria audendi pro Deo, & lucro animarum desideria concipiamus ardentissima. Christianorum est, agere magna, & pati fortissima quantò magis Christianorum.

II.

EN! ad imperium S. Antonii multa adorat Sanctissimum Altaris Sacramentum, & convertitur hæreticus. Qua nostra ergà Deum Eucharisticum reverentia? Si non sublimis, devotissima, stimulo confunditur. Ut crescat fides, & cum fide charitas ergà sacrosanctum Venerabile

Instructio meritoria.

Unam extraordinariam Visitationem in-

instituamus cum officio, vel Lytaniis hujus dulcissimi Sponsi; visitationes à manè, à prandio, & nocte nunquam intermittamus. Oves sumus: ubi Pascua? quæramus! Inveniemus in prodigiosa Evchariſtia.

III.

O Prodigium! trigesimus secundus jam annus præteriit à morte S. Antonii, & lingua reperta est adhuc in ore incorrupta, ac integra. Fili mi, Ecce! quantum prosit, dixisse pro Deo & lucro animarum. Sit Deus in corde! sit & in ore nostro! Quod extrà Deum est, nec lætificat, neque satiat!

Instructio meritoria.

Os & lingua, ne sint membra iniquitatis, signet sæpius per diem S. Cruce cum dicto: *Domine labia mea aperies. & os meum annunciabit laudem tuam.* Manè & nocte in satisfactionem eorum excessuum, quos circà linguam commisimus, exosculabimur duodecies terram cum suspirio: *peccavi Domino!*

Festum

Festum S. Viti Triumphatoris invictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Bellum puerulum! vix natus duodecim annos, jam fidem Christianam amplexus, despicit & tyranni tormenta, & proprii parentis blandimenta. Fili! quid nos ageremus? Non vinceremur à sanguine? sensualitate? At non est obediendum hominibus, sed Deo, qui & vincere, & triumphare dabit.

Instructio meritoria.

Ut discamus mori consanguineis, & amicis, in honorem quatuordecim Auxiliatorum, quos inter & glorioſè triumphat S. Vitus, 14. Pater & Ave cum totidem *Gloria Patri* persolvamus. Auxilium nostrum de cœlo: & dubitamus de victoria?

II.

QUis nostrûm, dilecte mi! diffidat de Adjutorio Dei? S. Vitus ut ex Sicilia in Neapolitanum Regnum appelleret, Angelum præstò habuit, & avidum Martyrii eò deduxit tutissimè. Non

Non deest Deus, neque Angeli, si nobis non deficiat fides, & firma confidentia. Nemo in orbe miserior illô, qui spem amisit; Neque ulli necessitas ingruit major, quàm cui fiducia nulla suppetit.

Instructio meritoria.

Ad augendam in nobis vivam fidem, spem, & charitatem, SS. Rosario semel recitato subdamus *tria Ave* specialia cum petitione: *Auge vivam fidem, spem firmam, Charitatem perfectissimam.* En! comites, & socios pro via & itinere ad æternitatem. Stamus vicini præcipitio sine harum virtutum exercitio.

III.

O Dei Providentiam! Deserto ab hominibus Martyri advolat aquila, & per aliquot dies cibîs sustentat esurientem! O quàm vanæ sunt hominum curæ! Chare mi! Nos corpori invigilamus, & cœlestium obliviscimur: Ut quid ergò oramus: *Pater noster, qui es in cœlis?*

Instructio meritoria.

Necessitates nostras, sive corporales, sive

sive spirituales ad Ecclesiam, & ad ara deferamus, eásque commendemus dul- cissimis Cordibus Jesu, & Mariæ tem- pore, quô fit à Sacerdote Panis, & vini consecratio. Dum tempus acce- tabile, pulsandum, clamandum, me- dicandum est. Oremus Psalmum *Confitemini Domino, quoniam Bonus.*

Festum S. Bennonis Pontificis & Bavariæ Patroni Prodigiosi.

EXHORTATIUNCULA I.

ALapam accipit D. Benno. Qui animô? Hilari. Gaudebat pro Nomine Jesu contumeliam pati. O fi- li! Vincamus & nos in bono malum. Audiemus in lectulo mortis: *Dimissa sunt ei peccata multa; quoniam dilexit multum.* Non est ultio sanctior, quàm prompta illatæ injuriæ remissio. Ultio- nem tam heroicam ut hodie probemus,

Instructio meritoria.

Pro omnibus nos offendentibus, aut comtemnentibus, vel persequentibus unam sacramentalem Communionem cum uno Rosario doloroso offeramus.

Reli-

Reſiſtit natura? Audienda non eſt! Præceptum enim Domini urget nos: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos.* Jeſus monuit: quis renuet?

II.

ULciſci potuiſſet Vir Dei tantam contumeliam. Noluit, ne Judex foret in cauſâ propriâ. O ſanctitatem! Fili! non imitabimur? Abjiciamus, omnes indignationis, & injuſtæ ultionis motus. Deus ſolus ultionum Dominus. Is ſciet noſtram defendere cauſam. Ergò quieſcamus.

Inſtructio meritoria.

Ad quoscunque iracundiæ impetus, quos hodie in noſtris ſenſerimus membris, paululùm ſubſideamus, nihil diſponamus, nihil loquamur usque dum commotus in ſeipſo quieverit animus. Quin & in noſtrâ vehementiâ citò pergamus ad eccleſiam, vel aliam imaginem devotam, & expansîs brachiîs recitemus pſalmum: *Qui habitat in adjutorio &c.* Iramque intrà vulnera Jeſu

abscondamus. O quàm mutati recedemus à Dei Tabernaculo!

III.

RAnæ concionantem Apostolicum perturbant virum. Jubet S. Bennone tacere: & obediunt. Bruta silentii obsequium Dei; & homo non taceat, aut garrire non pertimescat in præsentia regis cœli, & terræ? pro tantis irreverentiis quis satis faciet?

Instructio meritoria.

Post refectionem frequentius visitemus Divinam Majestatem, ibique in compensationem omnium irreverentiarum 15. *Pater & Ave* in honorem quindecim Mysteriorum vitæ Christi Jesu devotè recitemus cum suspirio D. Thomæ: *Dominus meus! & Deus meus!* Beati, qui non viderunt, & crediderunt!

Festum

Festum B. Aloysii Gonzagæ ex Inclyta Societate Jesu Angeli secundùm carnem.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! fugit à Marchionatu! Deserit amicos & parentes innocens Aloysius. Fugit, ut solus esset cum solo Jesu. O fugam saluberrimam! O fugam & nobis apprimè necessariam! qui mundum, & consanguineos diligit, jam cor suum inter Deum, & carnem dividit. O iniquam divisionem!

Instructio meritoria.

Renovatio votorum sit unio nostrorum cordium. Addamus & *Te Deum Laudamus* pro gratia vocationis. Optima vocationis probatio, fidelis votorum executio.

II.

B. Aloysius (verè anima Deo devota & cœlo!) Septennis adhuc puerulus flexîs quotidie genibûs septem, psalmos pœnitentiales cum officio Beatissimæ Virginis persolvit. O quàm sanctè vivere incipit, qui à pœnitentia,

& Maria vitæ ducit exordium! Si nec-
dum ita inchoavimus, hodie statuamus.
Amor enim otiosus, vel morosus non
est!

Instructio meritoria.

Hinc coram icone Beatissimæ Virgi-
nis officium minus de Immaculatâ Con-
ceptione quàm ferventissimè persolva-
mus. Sic tu nos visitas, qualiter ve-
colimus.

III.

O Fili! quid lego? Vix decimum
tertium attigit annum B. Aloysius,
ter in hebdomade pane, & aquâ jejuna-
bat. Deficiente ciliciô, equorum ure-
batur calcaribus, & quolibet die diris
flagellîs desæviit in suum & virgineum,
& innocens corpusculum. O nos deli-
catos! ò nos timidos carnis nostræ ho-
stes, & inimicos. O mirum! si præva-
leat, & anima sub tyrannide vivat. Ve-
rùm per merita Juvenis tam sancti

Instructio meritoria.

Dirumpamus vincula, & S. rigores
quæramus, statuentes Feriâ VI. vel in
die Sabbathi jejunium nocturnum.

Mul-

Multiplicare abstinentias si placuerit, frater erit B. Aloysii, & socius ad gloriam. Mortificatio ut regnet in omnibus membris, addamus *septem psalmos pœnitentiales*. Non differamus! propria exigit salus.

Festum S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini.

EXHORTATIUNCULA I.

SAnctus fuit S. Baptista in nativitate, sanctus in vita, sanctus in morte. O quot gratiæ in hoc parvulo! O fili! innocentiam amemus, pro puritate omnia impendamus, & certè Dei gratia semper manebit nobiscum.

Instructio meritoria.

Sanctè ut vivamus, & moriamur, S. Joannem Baptistam in Advocatum pro hora mortis nobis eligamus, hujúsque in venerationem diem Martis singulari pietate recolamus, recitando *novem Pater & Ave*, in honorem novem mensium, quibûs quievit sub utero Matris. Gaudeamus in Nativitate S. Joannis Baptistæ! Gaudeamus! sed in Domino!

II.

NAtus vix tres annos, jam petiit hic trimulus eremum, & rigidam inchoavit pœnitentiam. Quid mirum, si suam nunquam amiserit innocentiam? Hæc servatur rigoribûs! Perditur deliciîs, & voluptatibûs. Illos quæramus! Has detestemur & refugiamus. Aut hic pœnitendum! Aut ibi ardendum!

Instructio meritoria.

Injiciamus frœnum oculis, & mundum relinquamus suis affeclis. Nos frequenter adeamus Ecclesias, & tanquam solitarii cum Deo solo agamus! Sustineamus quoque patienter corporis molestias, vel alias animi occultas ærumnas. Sic sic similes erimus pœnitentibus. Per hanc octavam quotidie unum Psalmum ex Pœnitentialibus persolvamus. Hi testabuntur cor contritum, & humiliatum. Et respiciet cœlum.

III.

SCimus, quàm potens sit in cœlo SS. Consanguinitas Jesu, Mariæ & S. Josephi. In qua & S. Joannes eminet. O si & nos, (dilecte mi!) incorporaremur!

mur! O quàm feliciter viveremus! O quàm & dulciter moreremur! Ut fiat, & membra simus de tanta familia

Instructio meritoria.

Feria III. recitabimus Lytanias de Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi, & præsentes octo dies quotidiano actu vel humilitatis, vel propriæ abnegationis, vel abstinentiæ, aut alterius virtutis heroicæ transigamus, petitâ tamen Patris spiritualis licentiâ. Quò generosior devotio eò glorioſior. Jesus, Maria, & S. Josephus sat potentes sunt. Ut quid parcimus pietati.

Festum SS. Martyrum Joannis, & Pauli Patronorum contrà tempestates potentissimorum.

EXHORTATIUNCULA I.

O Viros glorioſos! Julianus apostata inter suos familiares invitat hoc par nobile fratrum. Negant illi, liberè protestantes, se nolle cum illo esse, qui à Christo Jesu defeciſſet. An non hoc est, ire in mortem cum Christo? Fili! Quid nos egiſſemus? Vel quid agemus

impoſterum, ubi ſtandum pro Nomine Dei?

Inſtructio meritoria.

Ne propter reſpectum humanum, propter quem toties offenditur Deus, puniatur fulmine, aut grandine, aut incendiis, vel aquarum inundatione dulcis patria, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis.* Orantibus parcunt elementa.

II.

QUis Deus, & Dominus noſter, quem ſolum veneremur, timeamus, & adoremus? Nonne Is ipſe, de quo SS. Joannes, & Paulus ad Terentianum dicentes: *Si tuus eſt Dominus Julianus, habeto pacem cum illo! Nobis alius non eſt, niſi Dominus Jeſus Chriſtus.* Sic fides, ſic amor loquitur in Martyribus. Quid autem in cordibus noſtris?

Inſtructio meritoria.

Ut eandem Confeſſionem, & æqualem reverentiam exhibeamus cœli, terræque Domino, quoties ingreſſi fuerimus cubiculum, flectentes præſentem nobis Deum adoremus, ore venerabundo

do salutantes: Ecce! *Dominus meus,& Deus meus! Centies millies Salve!*

III.

PRetiosa mors Sanctorum! Mortem celare voluit impius apostata. At non potuit; quia ipsi dæmones prodiderunt ad sepulchrum Sanctorum Martyrum abacti ex corporibus possessorum. Non simus solliciti, dilecte! pro Nomine, & vita nostra! Est Deus in cœlo, qui defendet, si sanctè finierimus. Et quis id non optabit? Benè finit, qui exemplariter vixit. Homo judicat secundùm visum; Deus quoad conscientiam. Hæc si bona, quid curamus hominum ora?

Instructio meritoria.

Abjiciamus curas inanes, & frivolas pro commoditatibus vitæ! Mortis recordemur! Hinc ad singulas noctes testamentum nocturnum ubique in libellis precatoriis inveniendum devotè præmittamus. Beatus, quem mors invenerit vigilantem! Mors prævenientibus amicus! Serovenientibus carnifex, & tyrannus.

Solemnitas SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Columnarum in Eccleſia Romana fortiſſimarum.

EXHORTATIUNCULA I.

VIris Apoſtolicis indiget Sancta Mater Eccleſia, ut horum fervore, doctrinâ, calamô, & inſigni vitæ exemplò indies creſcat in ſuorum fidelium corde. Dilecte! Filii ſumus tantæ matris? Romanæ Eccleſiæ? induamus ergò zelum Dei, & Spiritum Chriſti: quid aliud retribuamus Matri?

Inſtructio meritoria.

Pro exaltatione Romanæ Eccleſiæ, & multiplicatione virorum Apoſtolicorum *duodecim Pater, & Ave* cum totidem *Gloria Patri* oremus. Quid ſi hunc in finem, quoties refectorium pro refectione ordinaria accedimus, 12. *Ave* in ſilentio nobiscum recitaremus? O quem ſpiritum Eccleſiæ, S. Ordini & nobis inde impetraremus! Conſilium eſt! Si bonum: non excuſandum.

II.

O Miseriam hominum! interfuit S. Petrus plerisque Jesu miraculis; & tamen hunc ipsum suum ter negavit Magistrum. Quô tempore? Tempore Passionis, & humanæ Redemptionis. En! fragilitatem nostram! & quid? Tamen sine timore, & tremore operari volumus salutem. O Fili! credimus, nos stare. At timeamus, ne cadamus.

Instructio meritoria.

Petrus ob suas lacrymas factus est petra omnibus pœnitentibus. Gratulemur Petro ad Christum revertenti, & pro gratia præservativa respectu nostrûm humiliter supplicemus intonandô: *Te Deum Laudamus.* Hæc laus pœnitentibus propria.

III.

NOvum prodigium Divini Amoris! Paulus persequitur Christum, & eligitur in præcipuum Doctorem Gentium. O quando veniet conversio nostra? Quando pœnitentia? Chare! quid sumus? quid fuimus? Nonne & nos inter persecutores? Quando ergò erimus & inter

Apostolos? Quando inter Jesu Christi Confessores? Si voluntati nostræ perversæ renunciaverimus cum S. Paulo clamantes: Domine! quid me vis facere?

Instructio meritoria.

Abnegatio sui ò quàm necessaria virtus! quàm utilis! proficua! quam ut acquiramus, duodecim actus statuamus voluntati, vel judicio proprio directe oppositos, quos & Patri spirituali exhibeamus pro sancta benedictione. Sine Patre errat filius.

JULIUS.

Festum Amicissimæ Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

EXurgens Maria abiit in montana. Non curat ardua montium itinera. Amor dulcoravit omnia. Quò pergimus? Fili! nunquid ad montem sanctitatis, & Christianæ perfectionis? Quis eò pertinget? Qui pigritiam odit, & aversatur cum otio, & labores æstimat.

In-

Instructio meritoria.

Fugiamus desidiam, amemus labores! Hi sancti sunt. Probemus hunc amorem frequenti Ecclesiæ visitatione. Qui templa amat, scit, ubi virtutis & Divinæ gratiæ assyla. Novies *Magnificat* recitemus. Quid dulcius? Quid jucundius? Quid acceptius Jesu & Mariæ hoc Canticô?

II.

Visitat Maria Elisabetham, & exultavit parvulus in utero matris. O si Jesus! O si Maria & S. Josephus nos inviserent pugnantes, & agonizantes pro æternitate! O si suâ consolarentur præsentiâ! Quàm beata! quàm hilaris tunc nostra foret anima! Et quid impedit, ut non veniant? Sola harum Sanctarum personarum turpis oblivio.

Instructio meritoria.

Si hæc in nobis, reparare licet. Statuamus, in singulas septimanas vel semel v. g. die Martis *Lytanias de potenti* Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi persolvere, vel *novem Pater, & Ave* in honorem novem Mensium, quibus

Maria sub Virgineo portavit utero Verbum incarnatum. O Maria! sic est. Quomodo te colimus, sic nos tu visitas.

III.

UBi Maria, ibi gratia, Benedictio, & sancta lætitia. Testor S. Joannem Baptistam, qui exultavit in utero ad adventum Immaculatæ Virginis. Sic innocentia, sic puritas à Deo honoratur. Volumus & nos quotidie exultare in Deo: salutari nostro? Volumus & in tempore justificari & sanctificari? Munditiem cordis æstimemus, & æstimandô cautè custodiamus.

Instructio meritoria.

Matrem Immaculatam filius decet immaculatus. Pia colloquia misceamus hodie. Dolentes, & afflictos consolemur. *Officio minori* de Immaculata Conceptione nos ipsos in puritate roboremus. O puritas! O cordis mundities! quàm modica es hominibus! quàm vilis sæculo!

Festum

Festum S. Udalrici Augustanæ Diœceseos Patroni, & Thavmaturgi Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Parvulum cœlo natum! Ut puerulus ab omni jam refugit intemperantia, habitu, sensu, vultu, & moribus simillimus angelo. O fili! quot, & qualia in S. adolescentulo habemus documenta! Sunt alia pericula! sunt & alia tempora nobis! Ni nos observaverimus rigidè, immodestia, & ingluvies prævalebunt sæpiùs.

Instructio meritoria.

In quolibet corporali solatio recordemur reflexè intentionis rectæ cum protestatione sancta: *Domine Jesu! Non corpus, non gustum, sed animam, & mentem refice.* Ideò & consultum, ut memoriter discamus Rhythmum amoris: *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me.* O quàm dulcia & jucunda in eo latent pascua!

II. Mag-

II.

MAgnus erat S. Udalricus Verbô, & exemplô, plus tamen exemplô. Carnibus vescebatur nunquam. Nudâ humô utebatur lectuli locô, cum D. Paulo dicens corpori suo: Castigo te, & in servitutem redigo, ne, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. O fili mi! Quî placet hoc Udalrici vitæ & austeritatis genus, atque relictum ad sequelam exemplum? Sumus, & vivimus inter homines: Væ nobis, si minus exemplares!

Instructio meritoria.

Scandalum inter Christianos ò quantum malum! Ut nostrâ pietate impediamus, & viros in spiritu, & virtute magnos excitemus, quorum sanctitate absterreantur mali, versùs quatuor mundi plagas flectentes recitabimus *tria Pater, & Ave* cum totidem: *Benedicamus Patrem, & filium cum Spiritu Sancto in sæcula sæculorum, Amen.* Ubique offenditur Deus! Nunquam ergò otietur pietas, & Christiana virtus.

III.

UT Hunnos vinceret S. Udalricus, ab Angelo S. Crucem accepit, & inimicos Christiani Nominis à patria gloriosè ejecit. Fili! Amamúsne Vexillum S. Crucis? & tamen nobis timemus inter inimicos? O nos modicæ fidei! miles in conspectu Ducis spernit vitæ pericula: & Christianus in præsentia Christi Crucifixi contremiscat? Ubi fides? Spes ubi? qualis Charitas?

Instructio meritoria.

Detestemur nostram pusillanimitatem, & inordinatam tristitiam tempore adversitatum: Resumamus animos cum spiritu, & audacter pro Deo, cœlo, & nostrâ decertemus æternâ gloriâ. Quibûs signîs, aut armîs? Manè & nocte nos, & cubiculum nostrum signemus quàm diligentissimè illa pronuntiantes: verba: Jesus *Pax Domini Nostri Jesu Christi; & Virtus Sacratissimæ Passionis ejus; signum S. Crucis, & titulus triumphalis: Jesus Nazarenus Rex Judæorum &c.* Ecce! Crucem Domini! Fugite partes adversæ!

Fe-

Festum S. Wilibaldi Ecclesiæ Eystettensis primi Episcopi, & Patroni.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆres nascitur Wilibaldus Regis Anglici. At maluit pro Christo exulare, ut cœlum pro terra emeret. In exilio vivimus, mi dilecte fili! Et tamen hoc flebile exilium plùs quàm patriam & cœlestem Jerusalem diligimus! Plus mundi bona, & corporis commoda quærimus, quàm beata gaudia, eáque immortalia. Hinc timendum, ne utraque perdamus!

Instructio meritoria.

Ut Eystettensium Ecclesia Deo semper maneat junctissima per fidem, & sacra Evangelia, oremus *Officium de SSS. Trinitate*, cui S. Wilibaldus omnia Regna mundi postposuit, spectaculum factus contemptûs sui sæculo, & cœlo. Deserenti seipsum proximus semper est Deus.

II.

QUid video? cum Patre Richardo, sceptrô, & coronâ pro Christo positîs, abeunt & liberi, unanimes paterni consilii comites. O cœlestes, & mundô majores animæ, quas nec caperent ampla regna, quibus nil præter cœlum sufficeret! Fili! Et cur nobis non sufficit? Quia toti in-& de mundo sumus, ac vivimus. Hora est! Tandem deseramus, ne deseramur ab eo. Unum ut fiat, expedit!

Instructio meritoria.

Frequenter suspiremus, & dicamus anhelantes: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum &c.* Et soli cum solo Deo agere discamus fugientes frequenter publicum. Et quem non pœnituit fuisse inter mortales? Fugiamus, ut salvemus animas nostras. Conspergimus has lutô, quoties nimis familiares sæculo.

III.

FOenerari discamus à S. Wilibaldo. Usurarius hic fuit, sed sanctus. Nam terram pro cœlo dedit, útque Deum

Deum inveniret, ac in ipso omnia, omnia præter Deum dimisit. Deum quærimus & nos, ô fili! Sed cur non invenimus? Non omnia relinquimus. Est cor nostrum divisum inter Deum, & mundum. Et hoc displicet cœlo. Totum debemus! Totum demus pro toto. Pars non sufficit illi, qui sua omnia obtulit pro nobis.

Instructio meritoria.

Renovemus hodie vota solemnia! His jungamus Rhythmum S. Ignatii: *O Deus! Ego amo te! Nam prior tu amasti me! En! Libertate privo me, ut sponte vinctus sequar te.* Quoties imposterum S. synaxin sumimus, toties supplicemus pro heroico mundi, & nostrûm ipsorum contemptu, & perfectissima abnegatione. Sine his & Deo, & homini displicemus.

Festum S. Chiliani Herbipolensis Episcopi, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm benè Paulus: Si hominibus placerem, Dei filius non essem. Idem

Idem & sibi S. Chilianus. Sanctitatis suæ fama undique sese diffundente, ut laudes effugeret, Præsulatum abdicat, & in Orientalem Franciam abit cum sociis. Amice! Quid nos inter adulatorum, & laudantium linguas? Quid inter mendacia? Ridet cor nostrum; dum tamen amarè flere deberet. Tot gladii petunt animam, quot ora laudantium. Non timebimus?

Instructio meritoria.

Ut salvemus Dei honorem, ad omnem hominum laudem taceamus, & Deum mentaliter alloquamur cum interno jubilo cantantes: *Te decet Laus! Te decet hymnus! Tibi gloria Deo &c.* Caveamus, ne & nos laudemus alios in hac vitâ. Fures, & latrones erimus meritorum, si ex numero adulatorum. In satisfactionem propriæ, & affectatæ laudis, sæpiùs *ad Gloria Patri*, si soli fuerimus, genuflectamus. Occulta pietas securior!

II.

PRoverbium S. Chiliani erat: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem.* Gos-

Gosbertum à consortio Geilæ absterruit, quia in conjugem habere non licuit. Amice! Non debemus odisse homines, peccatores; sed vitia, & scelera. Qui odit fratrem, & proximum suum homicida est. Quid crudelius?

Instructio meritoria.

Ut regnet pietas, & amor in cordibus Christianorum; econtrà verò pereat omnis injustitia, persecutio, & odium, unum, vel alterum actum virtutis oppositæ exerceamus, in Ecclesia quàm devotissimè, ac exemplariter nos geramus, & speciale SS. Rosarium ex hoc fine SSS. Trinitati offeramus. Expectantur à cœlo, & terra hæc charitatis obsequia. Quis negabit?

III.

CEcidit sub gladio in victimam sui zeli Divus Chilianus. Cecidit non sine percussorum, & impiæ Herodiadis vindicta, & confusione. Nunquam occidit virtus. Habet sui defensorem Deum, & cœlum. Hanc ô bone fili! Quæramus, diligamus, & custodiamus. Et non habet, quod sibi timeat. Sat fortis

fortis ſtat contrà inferos, quem virtus armat propria.

Inſtructio meritoria.

Pro inimicis orare, & his benefacere, opus quàm Chriſtianum, quàm ſublime, & ſanctum eſt. Hujus occaſio non deeſt. Utamur, & pro omnibus, qui unquam bonis vel animæ, vel corporis nos offenderunt, unam ſacramentalem (ô ſi hodiernam!) Deo donemus Communionem, ut eis remittat propitium Numen cum culpa & promeritam pœnam. Si charitatem cupiamus duplicare, jungamus & ipſum ſacrificium Miſſæ. O quale inde nobis in cœlo præmium? Audiemus: Infirmus fui, & viſitaſtis, conſolati eſtis me.

Commemoratio Solemnis Magni Patriarchæ SS. Patris, & Magiſtri Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

TRia debet filius Patri: *imitationem*, *amorem*, *reverentiam*. Has virtutes utique millies, ô dilecte in Domino! à nobis meruit Benedictus Pater cœlo,

cœlo, & mundo datus? Reddamus ergò, quæ Benedicti sunt. Imitabimur verò, si speciales fuerimus Amatores S. Regulæ, & perseveraverimus strenuè in cœpta virtutis Benedictinæ semita. Degenerat, qui Patri vertit tergora.

Instructio meritoria.

Ut spiritus Almi Patris Benedicti ardentiùs crescat in cordibus filiorum, sacram octavam instituamus, & quotidie filialem commendationem ad eundem Glorioſum Patriarcham persolvamus, certumque nobis constituamus numerum pro actibus Benedictinæ Modestiæ hîs octo diebûs fideliter exercendis. Qualis Pater, talis filius: Ille modestissimus; Simus & nos.

II.

QUale festum hodie? Fili devotissime! est Dies Commemorationis SS. Patris Benedicti. Et quid sibi hæc solemnitas? En! Mater nostra suavissima, Familia Benedictina se sistit gratissimam Deo, & Benedicto. Deo; quia submisit S. Benedictum tempore, quô Romana periclitabatur Ecclesia.

S. Be-

S. Benedicto, eoquòd eos produxerit, mundóque genuerit viros, qui sapientiâ, miraculîs, & sanctitate multa millia Christo Jesu lucrati sunt animarum. Hic finis hodiernæ festivitatis. Fili! Matrem sequamur!

Instructio meritoria.

Hoc super Festi Mysterio toti gaudeamus, & post sacrificium Missæ gratitudinis locò hymnum: *Te Deum Laudamus &c.* intonemus cum renovatione solemni S. Professionis. Caveamus, ne hodie sensuum, aut vitæ laxitate Deum, vel Magnum Benedictum offendamus. Beneficiis amor debetur, non injuria, vel turpis oblivio.

III.

REcordemur Fili, quali in familia nobis vivere concessum? Recordemur, quibus sociati simus viris? Recordemur quantîs privilegiîs, & gratiîs desursum & hi omnes beati, atque donati? Sed quid retribuemus? Familiæ nostræ Benedictinæ per exemplarem vitam, & Benedictinam humilitatem, ac obedientiam nos exhibeamus utilissimos. Humili-

militas, & obedientia lapides sunt angu-
lares ædificii spiritualis ac Benedictini.
Corruet sine illis.

Instructio meritoria.

Speciale pactum cum SS. Patre Bene-
dicto, eundem per quamlibet septima-
nam die Mercurii devotiùs venerandi
per hunc vel illum actum abstinentiæ,
macerationis, humilitatis, vel fraternæ
charitatis. Ex 12. gradibus humilitatis,
qui inveniuntur c. 7. S. Regulæ, nobis una-
nam constituamus specialem, & ad sor-
tem, quam ad ortum diei tulerimus, ad-
damus 12. *Ave* cum oratiuncula: *Ex-
cita quæsumus, Domine, in Ecclesia spi-
ritum &c.* Sic filios augebimus, & exal-
tabimus SS. P. Benedicti. Clamemus
fervidi, ut audiamur.

Festum Mariophili S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici, & Cardinalis ac Episcopi sanctissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! genuinum Christi Jesu, & hujus
Crucifixi discipulum! Ex vulneri-
bus Crucifixi mirabilem suam hausit
scien-

ſcientiam cum omnimoda Dei ſapientia. In iis cognovit, quomodo? Et quantum ſit diligendus Jeſus vir dolorum? In libris ſuis quid expreſſit S. Bonaventura? Inſpice, & videbis non niſi Chriſtum, aut pendentem de Cruce, aut deliteſcentem in amoris tabernaculo, SS. Altaris Sacramento. Ah! fili! ita & nos diligimus Jeſum? Utinam! Sed quid reſpondet nimia ſciendi aviditas, & affectata vana ſcientia?

Inſtructio meritoria.

Scientia ſine dilectione fumus, & vanitas eſt! Ut evadamus eruditi ſecundùm ſpiritum Chriſti, nunquam ad pulpita, & ſtudia pergamus, niſi præmiſsîs anteà quinque Ave in honorem quinque vulnerum Jeſu, adjunctô dilectionis Rythmô: *Anima Chriſti ſanctifica me.* Poſteà intellectum, voluntatem, & memoriam penitùs conſecremus Crucifixo. O ſacrificium Jeſu omni holocauſtô acceptius! Citò igitur ad victimam! Bis dat, qui citò immolat.

II.

O Amor! Crucifixus instruit & suum dilectum Bonaventuram. In quo? In profundâ humilitate, amore propriæ vilipensionis, & contemptu omnis dignitatis. Fili! quod officium? Quis honor? Quæ gloria, cui non inhiamus ardentissimi? Et tamen credimus, nos vivere discipulos Christi, & quidem Crucifixi? Quæ deceptio?

Instructio meritoria.

Ut nos sicut boni in schola Divini Magistri discipuli vivamus, nósque omnibûs viliores & inferiores corde, & ore intimo credamus affectu animi, die sacramentalis Communionis specialiter à Deo Eucharistico petamus gratiam perfectæ cognitionis, & vilipensionis respectu nostrûm. Ut eò certiùs impetremus, septem Pater & Ave subjungamus pro lucrandis indulgentiis. Ubi puritas, ibi & humilitas.

III.

Didicit & à Christo hic magnus Ecclesiæ Doctor, quàm hilariter, ac constanter se habeat tempore adversita-

tis

tis, aut miseriæ. Afflictiones probant Christi discipulum : Quid nos? Declinamus : fugimus : indignamur. O fili! Quantùm distamus à schola, & doctrinâ Crucifixi Jesu!

Instructio meritoria.

Sed non penitùs refugiamus! Accedamus propiùs & quoties vehementia passionis, & turbo motûs rebellantis cor obruit, & invadit, non loquamur, sed aut taceamus, & quiescamus, aut aliquid ex pio libello legamus, aut ad Sanctissimum Altaris Sacramentum properemus, clamantes cum afflictô illô Evangelicô : *Domine Jesu! O Fili David! vim patior! Miserere mei! Responde pro me!* Non redibimus sine solatio, nec sine victoria. Persolvatur in afflictione Psalmus : *Domine! quid multiplicati sunt &c.*

Festum S. Henrici, Imperatoris Castissimi, & Angelicæ Benedicti-no-Bavaricæ Congregationis Patroni glorioſissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! rosam sine spina. Ecce! conjugem, Imperatorem, virum; sed vide & angelum, quia Virginitatem secum tulit ad tumulum! grande castitatis prodigium! Et hoc unde S. Henrico! à Dei gratia, & custodia sensuum. O fili! quis non honoret & veneretur tantum castimoniæ speculum? Sequamur! Oculos claudamus! Sensus contrahamus! Et moriemur ùt Virgines. Aureola jam in cœlo nos expectat asservata.

Instructio meritoria.

Vir castus Deo corpus suum exhibet hostiam viventem. Ut offeramus & nostrum, aut actum petamus à Patre Spirituali sacri rigoris; aut alicujus mortificationis in cibo. Virginitas timorem, & ruborem amat; Odit verò effusionem, & laxitatem corporis. Re-

prima-

primamus, ne recalcitret. Recitentur Lytaniæ de omnibus SS.

II.

TUtores sunt castarum animarum Sancti Henricus, & Chunegunda. O quàm generosæ non vivebant hæ animæ! Possidebant mundum, & amore Jesu conculcabant pedibûs, contentissimæ, quòd liceat illum fugere. Si nos essemus in tanta substantia rerum, & opum, Bone! Quid ageremus? Christum, & animam fortè sperneremus, & his solis fortasse adhæreremus sensualibus bonis! O quàm viliter nostras tractamus animas!

Instructio meritoria.

Sanguinis Jesu respiciamus pretium, & ut semper animam castam, mundam, & sanctam possideamus, ab actibus sæculi nos separemus, ecclesiam, atque altaria visitemus, & pro obtinendo contemptu sæculi *Officium minus* de animabus defunctorum persolvamus. Descendamus ad purgatorium, & haud amabimus ampliùs mundum.

III.

S. Henricus nihil sine precibus aggred solitus, Angelum Domini, sanctosque Martyres Tutelares pro se pugnantes antè aciem admirabundus conspexit. Oratio cœlum aperit, & Deum attrahit. O fili! Stamus in pugna: Et o quali! undique hostes! Pericula undique! Et Dei non recordamur? Animum ponimus? Preces, & confidentiam spontè derelinquimus? Sicciné sperandus Angelorum succursus?

Instructio meritoria.

Deploremus nostram ignaviam, & quidquid hodie aggrediendum, flexis genibûs, ut in honorem Domini Dei, & multarum animarum salutem cedat, priùs ardenti supplicatione invocemus Divinam assistentiam per officium de Spiritu Sancto. Hic spirat, ubi amatur.

Solem-

Solennis Commemoratio Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! Mater nostra! verè dicitur Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & Agnitionis, & sanctæ spei. Quid potuit dare Maria nobis filiis, & non dedit? Hodie accipimus S. scapulare, signum salutis certissimum. Quid retribuemus?

Instructio meritoria.

S. Scapulare à manè & nocte venerabimur quotidie osculô humillimô cum dicto: *Sub tuum Præsidium confugimus Sancta Dei genitrix.* In gratiarum actionem dati tam pretiosi muneris *Te Deum Laudamus* cum formula votiva coram icone Beatissimæ Virginis peragamus. Lauda Sion Genitricem! Nec laudare sufficis.

II.

FIlii! quàm verè gloriatur de se Maria dicens: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum.*

favum. Hoc si unquam gustavimus, certè in S. Scapulari gustavimus; Unde enim tanta non rarò nausea mundanorum, & amor Cœlestium nisi à Præside Cordis nostri, Sancta Maria occurrente nobis de monte Carmelo? Surgamus, curramus ad eam!

Instructio meritoria.

Quoties hodie Nomen audierimus Mariæ, sine mora detegamus, & in veneration filialem nostra inclinemus capita, sæpiùs cœli Reginam salutantes Antiphonâ illâ amorosâ: *Sancta Maria!* succurre miseris! Et percipiemus amabilem Deiparæ vocem: *Ego diligentes me diligo.*

III.

OSimus cultores S. Scapularis! simus & custodes illius vigilantissimi. Mariam portamus in pectore, filii quamdiu non dimittimus S. Scapulare. Et inde qui fructus: Maximi! promissi Ipsa Alma parens, dum dixit: *Qui operantur in me, non peccabunt.* Et: *qui elucidant* me, ac S. Scapulare, habebunt

bunt vitam æternam. Grandis promissio! concordet & nostra operatio.

Instructio meritoria.

Hodie si transeamus Imaginem Cœlorum Dominæ, flectamus genua, & salutemus Mariam suspirando: *Salve Regina, Mater Misericordiæ!* Addamus 5. Psalmos Nomen Mariæ exprimentes. Hoc cœlites benedicunt! Inferi metuunt! Clientes suspiciunt! Filii extollunt! Famuli colunt & diligunt.

Festum S. Margaretæ Virginis & Martyris, Advocatæ pro tempore mortis Benignissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Prodigium Christianorum in Virgine Margareta! A patre tentatur pro adoratione idolorum. Ni obediret, tormenta, carceres, mortem minatur Sed in promptu erat responsio: *Non decet Deum derelinquere vivum. Auxilium meum à Domino!* O fili dilecte! adest occasio peccandi, Deum deserendi, gratiam perdendi? Hanc S. Margaretæ nobis applicemus tesseram, & in cu-

jus conſpectu peccemus, ſeriò cogitemus. In oculis erubeſcimus hominum: Quidni & præſentia videntis, & judicantis omnia Dei?

Inſtructio meritoria.

Si unquam, hodie in oculis Dei ambulemus nobiſcum! Tentatori in primo ſtatim aſſultu reſiſtamus, reſpondentes audacter: *Non decet! Patrem colo in cœlis.* Si autem lapſi fuerimus ex fragilitate humana, non deſperemus, ſed in genua provolvamur, culpam deprecemur, S. Confeſſionem promittamus, & expansîs brachiis, pſalmum *miſerere* dicamus. Hunc ut deferat ad thronum Dei, humiliter S. Margaretam rogemus.

II.

AMor Chriſti foras mittit timorem. Stat tenera Virgo coram tyranno, interrogatur de religione & fide: En! Quid puella modica: *Ego ſum de nobili genere nata, nomine Margareta, conditione Chriſtiana.* Hæc eadem, & mihi & vobis ò fili! nobilitas eſt. O ſi minùs Chriſtianè vivendo non degenerare-

raremus. Avertat Deus! Excelsos possidemus animos! non inter mundi sepeliamus stercora!

Instructio meritoria.

Lætemur, si in nostra humilitate, & simplicitate cordis derideamur ab aliis. Non decet propter hominem deserere virtutem. Satis felices sumus, si æstimemur á Deo. Verum mundi, & nostrûm ut obtineamus contemptum, S. Margaretam veneremur *Speciali Rosariô* in Ecclesia, vel in privato cubiculo fideliter persolvendo. *Spernere mundum, spernere nullum, spernere seſe; spernere se sperni, quatuor ista beant.*

III.

O Potens Dei gratia, hæc tot inter horrenda S. Margaretam servavit crudelitatis tormenta. Servavit; quia Deo unicè confidit. Nostra quæ est æstimatio de Dei gratia? Vix non ludimus; quia parum curamus. Non terreat nos S. Bonaventura dicens: *Tanta est crudelitas diaboli, quòd nos omni hora transglutiret, nisi Divina protectio nos custodiret:* Et tamen nobis fidimus?

Sed noſtro cum damno; quia eò frequentiùs cadimus.

Inſtructio meritoria.

Fili! dæmonem ſibi graviter inſultantem ſolo S. Crucis ſignô à ſe abjicit S. Margareta. Non ſimus ſine Crucifixo! Portemus in pectore! Veneremur in cella. Exoſculemur in tentatione cum ſuſpirio: *Jeſu! ad adjuvandum me feſtina! Vim patior pro te!* Recitemus pſalmum: *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei commorabitur &c.* Ne prævaleat inimicus animæ in morte, ſingulis annis hoc feſtum aut S. Confeſſione, aut unô, vel alterô mortificationis, & abſtinentiæ actu honoremus, & veneremur. Margareta eſt Nomen ejus, appretiemur!

Feſtum S. Mariæ Magdalenæ pœnitentium ſpeculi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! Videmus pœnitentem ad pedes Jeſu Mariam Magdalenam. Quis ſenſus noſter de tam ſubitanea converſione, & pœnitentia? Tantùm profuit, ante

ante Jesum sese humiliasse! Capita superba! vos quoque deprimite! Quotidie Jesum adoramus, palpamus, imò manducamus sub speciebus panis, & vini: Cur nulla sequitur seria morum conversio, & pœnitentia vitæ? Deest fides! Quia non vivaciter aspicimus, quis nostra inhabitet corda? O nos incredulos!

Instructio meritoria.

Capita inclinemus, oculos in terram defigamus, gravitati, & modestiæ angelicæ studeamus, dum coram sanctissimo Venerabili in Ecclesia stamus, vel oramus. Dum recedendum è templo, pro Custode Tabernaculi S. Mariam Magdalenam relinquamus, utque interim, dum abfuerimus, cum tota cœlorum curia adoret, laudet, & glorificet Jesum, fraternè supplicemus. In reverentiam tanti obsequii festum hujus Sanctæ semper præveniamus nocturnô jejuniô cum illo psalmô: *Benedic anima mea Domino &c.* O devotionem animæ fructuosissimam!

II. Se-

II.

SEcuti sumus Mariam in peccando, sequamur & pœnitendo, ac amando, ut vel sic cum ea audiamus in lectulo, & horâ mortis ex ore Divini Judicis: *dimissa sunt tibi peccata; Quia dilexisti multum.* Hæc vox promissa est seriò pœnitentibus.

Instructio meritoria.

Misereamur ergò animæ nostræ; misereamur & aliorum gravissimorum peccatorum, pro quorum illuminatione, compunctione, & conversione coram Sanctissimo, vel aliquo Crucifixo recitabimus *Septem psalmos pœnitentiales.* Addamus & unum vel alterum actum rigoris, & discretæ austeritatis. Peccavimus in carne! pœniteamus quoque de carne.

III.

QUod quondam periclitanti animæ, hoc dat & nobis monitum S. Magdalena, quæ ita ad misellum: *Hactenus, quia coluisti me, pro te fui apud Deum in cœlis mediatrix, & advocata. Surge jam, conscientiæ noxas detege, pœnitentiam*

tiam age, nec ego te deseram. Quis sub tanta Patrona vivere, vel mori timeat?

Instructio meritoria.

Ab hac die discamus S. Magdalenam venerari, certam hujus imaginem nobis procurare, vel etiam ad aras hujus Nomini sacras frequenter invisere, & quotidie pro impetrando perfecto horrore omnis peccati, solido sæculi contemptu, & puro ac genuino Dei amore magnâ pietate & affectu expansîs brachiîs *tria Pater, & Ave* tum totidem *Gloria Patri &c.* persolvere statuamus. Deus honoravit Magdalenam: Cur non & homo?

Festum S. Jacobi Hispaniæ Magni Apostoli, & Protectoris.

EXHORTATIUNCULA I.

SUmúsne amici Christi? Dilecte! Fuit S. Jacobus, qui & usque ad mortem Magistro in fide, & dilectione fidelis exstitit. Quàm benè Cassiodorus: *Qui verè amicus est, omni tempore tam sereno, quàm nubilo diligit.* Eum non separat tormentum, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occu-

occupat. O fili! Non erimus amici erga Jesum tam veri, & fideles?

Instructio meritoria.

Adlaboremus! Sedemus ergo in tenebris? Laudemus Deum, & gratias agamus. Exultamus in prosperis? Timeamus, quia proximi sumus lapsui. Ars artium est, in felicitate non dissolvi, & in desolatione non dejici. Hujus Magistros habemus duodecim Apostolos. Ut nos suscipiant in discipulos, 12. *Pater & Ave* cum *Te Deum Laudamus* persolvamus. Hi nostri à latere sint socii & Magistri!

II.

O Quantus erat labor S. Jacobi in convertendis gentibus, & populis! At profecit modicè, ut Sancti probaret virtutem Deus. Amice! faciamus, quod possumus, & debemus in munere nostro. Si respondeat fructus, glorificemus, & benedicamus Dominum. Si minùs, ne doleamus. Placet Deo sancta voluntas. Negat fructum, ne superbiendô rapiamus honorem, & gloriam

Deo

Deo. O mirabilem circà nos Dei providentiam!

Instructio meritoria.

Rerum exitus dependent à Deo. Nostrum est, acquiescere hujus sanctissimæ voluntati. Orare tamen expedit, & nostra sæpiùs cœlo, & Deo commendare munera, atque officia, pro quorum gloriosa expeditione aut sacrificium Missæ, aut sacramentalem communionem cum Lytaniis de omnibus Sanctis offeramus. Sine Deo, sine cœlitum patrocinio nihil.

III.

NEscitis, quid petatis. Quem ferit hæc Christi objurgatio? Nos ipsos. O fili! Erramus, si aliud petamus, quàm pati cum & pro Christo, & sic intrare in gloriam Christi. Discamus itaque multa pati pro Nomine Jesu. Discamus malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed & factam fortiter sufferre: Discamus inimicos diligere, maledicentes non remaledicere. Ecce! Quæ nostra obligatio?

In-

Instructio meritoria.

Dum soli sumus in cubiculo, assue[fa]mus frequenter expansîs in modum Cr[u]cis brachiîs adorare Crucifixum sub q[ua]*que Pater & Ave*, supplicantes pro d[i]no, & gratia Christianæ fortitudinis, patientiæ tempore adversitatis, & deso[la]tionis. Assuescamus & ad quemcu[n]que afflictionis casum laudare Dom[i]num, statim dicendo: *Deo gratia. Quod placuit Domino, factum est! Nomen Domini Benedictum!* Hic m[o]Sanctorum est. Cur non & nostrûm?

Solemnitas Sanctissimæ Annæ Christi Jesu Aviæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris gloriosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

BOna est oratio cum jejunio & el[e]mosyna, ait Tobias. SS. An[n]æ postquam viginti annos in jejuniis, precibus exegisset, denique à probro ste[r]rilitatis liberata est. Dilecte! spem n[o]abjiciamus, si nos non citò audiat Deu[s]. Impetrabimus, si oraverimus cum co[n]fia[n]

stantia. Sæpè si petita differuntur, commutantur in meliora : Et non rarò majora accipimus, quàm fortè desideraverimus anteà.

Instructio meritoria.

In honorem totius Consanguinitatis Jesu, Mariæ, Josephi, & SS. M. Annæ per annum die Martis Lytanias recitemus de his SS. Personis, quas vel in legibus Marianis, vel in *Mane nobiscum* reperiemus. In Cœlo sunt nobis Consanguinei alii. Obliviscamur mundanorum!

II.

PRo sublato sterilitatis probro quid obtulit S. Anna? Quod habuit optimum, Filiam Mariam. O fili! quæ hæc confusio nostra? Quanta & illa sunt beneficia, quæ desursum accepimus omni momento, & adhuc incessanter accipimus. Et nos vix recordamur? Imò hîs ipsîs donîs utimur ad contumeliam Benefactoris malè vivendô. O iniquitatem!

Instructio meritoria.

Tollamus, & satisfaciamus, & per hanc Octavam quotidie cum aliquo abstinentiæ, vel alterius mortificationis actu *novem*

vem Pater & Ave in honorem nos
mensium, quibus Beatissima Virgo q
vit in utero SS. Annæ, persolvamus,
fine addamus *Magnificat.* Multum
dat parentem, qui ore Filiæ.

III.

Dilectissime! Scimus utique, q
possit Maria coram Filio J
Quid ergò & poterit Avia tota Ven
bilis coram Nepote Dei Unigenito, s
cta scilicet Anna? Accedamus, &
Annam in Matrem eligamus, & præ
tim cum tota SS. Consanguinitate ad
ctulum mortis invitemus. Suavis
ultima lucta, si inchoetur præsente
Aviâ.

Instructio meritoria.

Assistet, & consolabitur nos in
mis angustiis constitutos, si diebus
tis antè cubitum accenderimus cer
quendam S. M. Annæ dicatum, &
Pater & Ave cum oratiuncula ex *M*
nobiscum desumenda recitaverimus.
S. Annam diligit, Jesum, & Mariam
lit. Hoc cultu quid delectabilius?

Festu

Festum S. Ignatii Loyolæ Societatis Jesu Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

MIrabilis Deus in vocationibus suis! Ignatius vulneratus decumbit graviter, & incidens in librum spiritualem ad Christi, & Sanctorum sectanda vestigia mirabiliter exarsit. O glorioſum vulnus, quod genuit virum & mundo, & Ecclesiæ pretiosissimum.

Instructio meritoria.

Quæ cura vocationis nostræ? Ut sit maxima, officium minus offeramus SS. Patri Ignatio cum filiali statûs, & necessitatis nostræ commendatione. Quod officium continuabimus per octo dies. Meretur amari hic Vir.

II.

PRo Christo quid non egit? Quid non sustinuit, & passus est S. P Ignatius? injurias, contumelias, illusiones, carcerem, vix non ipsam mortem. Et hæc quô animô? Hilari, & pacifico. Deum inde magis laudavit, & ut glorificarent quoque alii, suam admirabilem pa-

patientiam, & humilitatem quasi pr
hæreditate nobis reliquit desuper mo
nens: *Omnia ad majorem Dei gloriam*

Instructio meritoria.

Quis sine afflictione? Nec Dei filiu
Sed hanc fortiter pati pro Nomine Je
cum S. Ignatio, ars artium est. Hu
ut nos exhibeamus discipulos, tempo
adversitatis non gemitus, non lacryma
non singultus, aut querelas, sed S. Ig
natii utamur tesserâ jucundantes: *Pe
tiar! vilipendar! despiciar! premar!*
Et hæc omnia ad majorem Dei gloriam.
Annectamus *Officium minus* de dulcis
mo Nomine Jesu cum *Te Deum Laudа
mus.* Quàm delectabile pati cum C
pro Christo!

III.

Filii! debitores sumus, non mundo
sed S. P. Ignatio. Societatem Je
su instituit, & in hac scholam nobis ape
ruit omnis virtutis, sapientiæ, & pieta
tis. Planè quod quondam hæretici de
S. Thoma, id & jure optimo enuntiemus
de S. P. Ignatio: *Tolle Societatem, &
dissipabo Ecclesiam.* Gratulemur illius
filiis

filiis : Gratulemur & matri Romanæ Ecclesiæ, &

Instructio meritoria.

Jubilemus hodie in Domino, intonando *Te Deum Laudamus.* Et ut inclyta societas in spiritu, zelo, & fervore crescat Apostolico, sacramentalem Communionem cum operibus totius diei SSS. Trinitati offeramus. Decet in Deo colere, & venerari sanctos, præsertim Patres multorum filiorum Christo, & cœlo renatorum.

AUGUSTUS.

Festum S. Petri ad Vincula.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! libertatem nobis dedit Deus. Attendamus, ne perdamus peccandô, sícque voluntariè in servos diabolo nos mancipando. Servitute hac quid infelicius? Ut evitarent Sancti, quid non egerunt? Quantum vitæ rigorem in se non susceperunt? Et servitutem adeò amaram ac flebilem nos (ô cœcitas!) sponte quærimus, & quæsitam diligi-

mus? Ah! rumpamus tandem vincula captivitatis adeò miseræ, deplorandæ!

Instructio meritoria.

Rumpamus, hodie in principio statim resistendo omni perversæ cupiditati, & exurgenti ad illicita inordinato, ac infrunito desiderio cum generoso dicto: *Non serviam* carni, oculis, corpori: sed Deo, & gratiæ. Id quod uno, vel altero mortificationis corporalis, aut abnegationis actu probemus. Pro libertate spiritûs sanguini parcendum? Recitetur Psalmus: *In convertendo.* In servitio Divino summa libertas.

II.

REm miram! Petrus dormit, dum jacet in vinculis. En! veram hominis effigiem! Peccamus sæpiùs, & in peccatis ipsis dormimus quieti, nec vincula sentimus, vel si sentiamus, etiam placent, quia splendent aut inani vanitate, aut momentaneâ voluptate. Quid autem cum anima? O si intueremur quot compedes, quot vincula non in ea deprehenderemus! Doleamus, expergiscamur, & attoniti cum S. Augustino di-

dicamus : *Vinctus eram; vincula non horrebam; amarum dulce, & dulce amarum putabam.*

Instructio meritoria.

Estne, quod nostram torquet conscientiam? Citò excutiamus aut Confessione Sacramentali, aut contritone efficaci. Hanc ut roboremus, simul statuamus, id, cujus nos pœnituit ad noctem, sequenti die seriò emendare memores illius : *Tanti non emam pœnitere.* Neque unquam ibimus ad lectum nisi anteà quinque *Pater & Ave* cum Psalmo *Miserere* pro beata, & quieta morte recitaverimus. Pietate fatalis excutitur somnus peccati.

III.

DOrmientem Petrum excitat Angelus, quem & secutus est Apostolus. Ad veram conversionem mi fili, ut veniamus, excitantem Dei gratiam invocemus, & datæ promptè, ac hilariter obediamus. Nihil enim possumus sine gratia; cum illa autem omnia.

Instructio meritoria.

Ad signum salutationis Angelicæ nos

habeamus devotissimè, præsertim à manè. Dum dicimus: *Ave*: Recordemur Mariæ; quia *gratia* plena. Commendemus ei, quoties hoc signum dant per diem, nuditatem animæ nostræ, rogantes, ut cum Dei gratia sanctè vivere, & quondam suaviter ex hac vita ad æternitatem discedere liceat. Dilectè! filiissimus gratiæ, non iræ, & furoris Domini. Hinc oremus in veneratione Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ *novies Magnificat.*

Solemnitas Beatissimæ Virginis Mariæ de Portiuncula.

EXHORTATIUNCULA I.

SIc Jesus, & Maria dilexerunt mundum, ut hodie gratiam darent inauditam, & indulgentiam concederet plenariam, ac omnium peccatorum remissivam. Quid pro nostra salute, & spirituali consolatione exoptabilius?

Instructio meritoria.

Dies gratiæ, dies hodierna. Utamur pro anima. Dimittamus opera tenebrarum, & exerceamus opera lucis, vel dan-

dò

dô eleemosynas pauperibus, vel modestiæ & taciturnitatis exempla fidelibus, vel adhibendô mortificationem, ac continentiam in nostris sensibus. Unum est necessarium, vivere Deo, & mori corrupto homini, atque peccato. Pro hujus satisfactione recitemus septem Psalmos pœnitentiales. Hæc pœnitentia ô quàm levis respectu etiam peccati venialis!

II.

DEus clamat hodie de S. Tribunali: *Venite ad me omnes!* *Ecce ipse* (ait S. Greg.) *quem despeximus, vocat nos.* Ecce! ipse invitat, veniam, antequàm rogetur, offert, gratiam, antequàm supplicetur, largitur, & communicat. Hominem exuit, qui tantam misericordiæ abyssum non adorat, & obstupescit.

Instructio meritoria.

Veniamus, & curramus ad pedes Jesu! fili amandissime! Veniamus; sed non sine munere. Hodie saltem statuamus, hanc, vel illam, quâ toties offendimus, & contristavimus Deum, deserere occasionem, & ut eò securiùs effugere queamus,

mus, talem nobis eligamus Confessarium, cui constanter nostram imposterùm concredamus conscientiam. Hæc ad unum Confessarium constans confidentia id poterit contra scelera, quod multorum fortè non evicêre consilia, & monita. Probatum est! Officium minus oremus de SS. corde Jesu.

III.

S. Franciscus, hic Vir, hic Seraphim fuit, qui periclitanti hodie succurrebat sæculo, mirabili suâ sanctitate, & vitæ meritis. Ecce! flectit coram Jesu! Lacrymatur coram Maria, & clamans suspirat: *Sancta Maria! Succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles.* Respexit Deus humilitatem servi, & plenariam oranti Sanctissimo Patri dispensat indulgentiam pro omnibus hodie in templo Mariæ de Portiuncula seriò, & verè pœnitentibus. Verè diem, quam fecit Dominus! exultemus, & lætemur in ea!

Instructio meritoria.

Flectamus & nos genua versùs quatuor mundi partes, & oremus pro conversio-

versione, & pœnitentia graviſſimorum peccatorum, ſupplicantes Dominum, ut vel hodie his concedat gratiam peccata corde contritô confitendi, & pro confeſſis, quantùm fieri poſſibile, dignè ſatisfaciendi. Et ô fili! quia peccatores plerumque pœnitentias horrent, quid ſi partem unam ſatisfactoriam, quam illi deberent Deo, in nos ſuſciperemus, & in noſtro corpore aliena dilueremus debita? O quàm inſigne hoc foret opus charitatis! & quid illud, ut non præſtemus? Si caro & pellis propria, ſciamus, nos nihil adhuc didiciſſe in ſchola Chriſti de ſancta charitate: Hæc enim benigna eſt, & omnia ſuffert. Pro aliquali tamen amoris obſequio *quinque pſalmos* de Nomine Mariæ dicamus, ut peccatores non deſerat.

Feſtum Inventionis Miraculoſæ Protomartyris S. Stephani Levitæ.

EXHORTATIUNCULA I.

PRofectô eſt cura Deo de ſervis, & amicis ſuis! Corpus S. Stephani diu

jacuit in loco turpi, & sordido. Tan
dem prodidit cœlum prodigiô. Quo
mundus abiicit, suscipit, & exaltat Deu
Corpus nostrum terræ debetur, anim
cœlo. Cavendum duntaxat, ne int
transitoria sordescat.

Instructio meritoria.

Quotidie imus in lectum: Quâ co
gitatione? Hâc sanctissimâ: Nimirum
stantes ante lectum elevemus oculos, s
spiciamus Cœlum, & ingemiscamus: O
*quam sordet mihi terra, dum cælu
aspicio.* Dein ad nos ipsos: Corpu
En! jam paratus tibi est tumulus: Ingr
dere. Anima! expectat & te ibi glori
thronus: Quid eligis? In fine subjun
gamus *Te Deum Laudamus* cum Simeo
nis Cantico: *Nunc dimittis &c.*

II.

PRodigiosa hodierna prorsûs fuit in
ventio. Flores enim sacro corpor
admoti, cœcæ visum restituerunt. Non
dedissent, si Sancti corpus non tetigis
sent. O chare! hos odores spargit pu
ritas, & mundities cordis: Volumus &
nos esse bonus odor Christi, & Mariæ!
Ergò

Ergò sanctitas morum, & innocentia vitæ in una sede & animâ nostra morentur.

Instructio meritoria.

Ni assiduo pœnitentiæ, Eucharistiæ, & macerationis studio nos impendamus, quotidie periclitabitur in fragili, & victili vase, seu corpore tenera, ac delicata puritas. Nulla proin transeat septimana, nullum solemnius festum, ubi vim sanctam, & impetum spiritualem non sentiat, & experiatur impudens, & rebellis caro. Huic enim quid debemus nisi paleas, & verbera? Generosi in corpus ut evadamus, SSS. Trinitati à manè duos appetitus concupiscibilem, & irascibilem humiliter commendemus, subjungendo *Tria Pater*, *& Ave* cum symbolo Apostolico: *Credo.* Scit SSS. Trinitas, quid corpori, quid & nostræ necessarium animæ. Miserebitur invocationum.

III.

DOlenda res! Sanctorum exuvias, viva sanctitatis instrumenta humana abjicit crudelitas. Ast honorat, &

veneratur Deus, & è tenebris ad lucem, à luce ad aras splendidas, ab aris ad publicam devotionem, & reverentiam producit, & erigit. Ita in servis suis consolatur Deus. Nam corpora Sanctorum in pace sepeliuntur, & nomina eorum vivunt in æternum.

Instructio meritoria.

Transimus templa, ecclesias vel eminùs, vel cominùs, quantocyus nos recolligamus, sensus contrahamus, & ad templa omni devotione suspiciamus cum salutatione devotissimâ: *Salvete, quotquot in hac ecclesia cum Deo, & Maria quiescitis! Salvete, meique per hanc lacrymarum vallem ad optatam æternitatem inseparabiles estote comites.* Mox ex Cursu Mariano recitemus Antiphonam: *Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniumque salute.* ℣. Lætamini in Domino, & exultate justi: ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Protege Domine populum tuum &c. O felices viatores, qui in duces itineris invo-

invocant, & invitant pios, & sanctos Cœlites. His ductoribûs errabimus nunquam.

Dies Solemnis Magni Patriarchæ, & Fundatoris Ordinis celeberrimi Prædicatorum Sanctissimi Patris Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

MIrum quantum ab ipsis incunabulis pietatem, pœnitentiam, & temperantiam coluit S. Dominicus, quibus & Deus jam in prima ætate multa addidit prodigia. Non Deo acceptius sacrificium, quàm si vitæ primitiæ ei impendantur ex integro. Nos cujus nostras consecravimus? Vel adhuc consecramus? Aut in quo vitæ nostræ consumitur cursus? Væ tempori, quô non amavimus Deum!

Instructio meritoria.

Quia fortè recordati non sumus hactenus delictorum juventutis nostræ, nescimúsque, an in primo rationis usu actum fidei, & Amoris in Deum elicuerimus? Id pro majori securitate hodie

præstemus. Ad S. Tribunal dolenter nos accusemus de fragilitate primæ adolescentiæ; Ad Mensam autem Domini toti diffluamus in actibus charitatis. Compensabitur hac pietate negligentia prima. In satisfactionem illius *psalmos graduales* persolvamus.

II.

SAncti Patris Dominici tantus fuit animas amor, & commiseratio, ut non modò pro Christianis, sed & infidelibus ac æternùm damnatis copiosas lacrymas, & sanguinem funderet suo quotidianâ trinâ flagrorum disciplinâ. Quid nos agimus? Fili dilecte! Cur non & ad Deum clamamus: *Domine Jesu da mihi animas! sitio.* Vel unam lucrari est sibi fœnerari & aliis cœlum.

Instructio meritoria.

Quot animæ non sunt in periculo damnationis perpetuæ? Fili! Jesum diligimus? Fratres hujus sumus omnes. Ergò periclitantibus succurramus, & quotidie pro eorum salute, pœnitentiâ, & conversione unam, eámque extraordinariam visitationem instituamus, ad-

dendò

dendô in fine *septem Pater & Ave* cum psalmo *Miserere*. Sit tessera nostra S. Pauli charitas. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Cor. 9.

III.

S. Catharina Senensis videt in raptu S. Patrem Cœlestem, & in hujus Corde quiescentem Jesum & S. Dominicum sub hac voce: *O filia! vides in corde meo hinc Jesum, inde Dominicum.* Sed unde tanta D. Dominico gratia? A zelo Divini Honoris. Cor Patris æterni apertum est! Fili! ibi nos expectat Jesus. Quando intrabimus? Defendamus Deum verbô, & exemplô; Plus tamen exemplô: Et requiescemus in pace.

Instructio meritoria.

Occasio promovendi honorem Divinum non deest. Sumus quotidiè inter homines. O si modesti in oculis! Si cauti in colloquiis! Si graves in moribus! Si circumspecti, & attenti in sensibus singulis! Quantum inde cresceret amor ergà virtutem, & fervor ergà Deum, & ea, quæ Dei sunt. Taliter si non vivamus? Quid mirum, si vitia amen-

tur, si scandala multiplicentur, si gratiæ, & virtutes abjiciantur, & vilipendantur. Ecce! Quot, & qualia damna ex vita minùs Christiana? Ut verò Deus in hoc Sacratissimo magni Dominici Ordine, tanquam in sua electa vinea zelosos indies excitet operarios, contra omnia mundi vitia & scelera, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Lucrum animarum grande Dei donum est. Non datur nisi desursum.

Festivitas Beatissimæ, ac Intemeratæ Matris Castissimæ Virginis Mariæ ad Nives.

EXHORTATIUNCULA I.

FEstum hoc, festum castarum mentium est. Cecidit nix hodie, dum calor, & æstus maximus. Sic ordinavit Maria. Ardeat cupido, inflammet carnis prurigo! Non timeat puritatis candor, si nobis in amore Mater pulchræ dilectionis. Servavit hæc tot Virgines in carne: Servabit & nos, si constantes fuerimus in cultu, & devotione Mariæ. Casta non deseret castos.

In-

Instructio meritoria.

Candori Virgineo si sensibus vel modicè nocuerimus, sine mora satisfaciamus fili! aut jejunandô aut in ecclesia; vel cellula per quadrantem nos abscondendô, & recolligendô; aut actum mortificationis, ac rigoris in corpore exercendô. Ter repetemus illam formulam speciosam signantes cor nostrum: *Per Sanctam, & Immaculatam Conceptionem tuam emunda corpus, & animam meam in Nomine Pa† tris, & Fi† lii, & Spiritûs † Sancti. Amen.* Inspiciamus hoc puritatis speculum: Brevì erimus sine macula.

II.

QUis Mariam non diligat, cui tota SSS. Trinitas est devotissima? Amorem, quando ô fili! probabimus & nostrum? Utique hac die? Sequamur igitur Joannem Patritium Romanum, qui destitutus omni prole, omnium suarum opum hæredem scripsit Mariam. O quàm ingeniosus est amor!

Instructio meritoria.

Sunt & nobis multa tum naturæ, tum gra-

gratiæ bona. Quis hæres eorum? Pol Deum sola Maria, Mater dignissima Quoties igitur de hoc incid rit festivit per annum, toties per renovationem noſtræ votivæ formulæ corpus, & an mam servitio Mariano subscribamu hancque donationem Rhythmô illô de votissimô claudamus: *Omni die dic Ma riæ mea laudes anima! Ejus festa, Ejus gesta cole devotissima &c.* Abyssus e Maria in Bonitate, & misericordia: Qu non deprædicet?

III.

HEu! quantam turpitudinem inv xit in animam fatale peccatum! Maria, quia tota pulchra, & sine omn macula, emundare nos vult ab ea. Jam lactea, nivea, ac virginea nobis pandi ubera, ut peccata noſtra super nivem de albentur. Fili mi! quid moramur? Pro peremus! Bibamus! Sugamus ab ubere Matris lac sancti pudoris. Sit tandem fi nis turpitudinis noſtræ!

Instructio meritoria.

Sed quando? Hodie! promittendô videlicet Beatissimæ Virgini, nos nun-

quam

quam ampliùs ex pura, & sordida, ac vecordi negligentiâ preces Marianæ sodalitatis neglecturos, aut omissuros; quin manè ad primum excitationis, & Angelicæ salutationis signum statim ex lectulo nos provoluturos in terram, & Cœli Reginam hâc primâ corporis victoriâ ceu Matrem, & Magistram puritatis, & Innocentiæ Virginalis gloriosè veneraturos. Obduratum est cor, quod amor non emollit, & commovet Mariæ. Non sic! non sic nobiscum! ô clemens! ò pia! ô dulcis Virgo Maria! addamus Cursum Marianum pro castitate perpetuanda. Hæc est voluntas Mariæ, Sanctificatio nostra.

Titulare Venerabilis Imaginis Beatissimæ Virginis sine labe Conceptæ, quæ mirabiliter colitur Wessofonti.

EXHORTATIUNCULA I.

MAriæ sumus filii! ô quanta dignitas! & quidem Matris sine labe conceptæ. O qualis gratia! Vivamus igitur tam purè, tam sobriè, & sanctè, ut, quot-

quotquot homines nos obſervaveri
mores Mariophili ſine macula deprehe
dant. Qualis mater, talis & filius.

Inſtructio meritoria.

Grande ſub Immaculata Concepti
ne latet ſupremi Regis Sacramentu
Scrutari periculoſum eſt, venerari, &
humilitate cordis adorare, ſanctiſſimu
Manè excitati affectu quàm ardentiſſi
ſuſpiciamus cœlum, & laudantes ſuſp
remus : *Centies millies laudetur San
ctiſſimum immaculatè conceptæ Vir
nis Mariæ Myſterium.* Per diem no
vies dicamus : *Magnificat anima mea
Dominum.*

II.

MAria ſine macula! O nomen! Sol
quo contremiſcunt inferi, & om
nes hominum inimici. Fili! quòd i
carne ſteterimus incorrupti, quòd inte
pericula immoti, quòd à telis & inſidi
ſatanæ ſecuri : An non grande fuit be
neficium Immaculatæ Matris, cui No
men, cui vitam, cui noſtra ſubſcripſi
mus, & conſecravimus omnia? Mariam
ſine labe conceptam colere, ſemper vin
cere,

cere, & triumphare est. Oculi vitium est, in speculo videre maculam.

Instructio meritoria.

O quanta hodie Wessofonti devotio! quot millia hominum per sinceras confessiones, & sacramentales Communiones ad aram Speciosissimæ Virginis sua offerunt pectora pro defensione tanti Mysterii! Dilecte! Recordemur & nos Matris nostræ! Fidem huic nostram renovemus, & vel in templo, vel in cubiculo (ardentibus etiam luminibus) formulam Marianam depromamus, quam claudet hymnus: *Te Deum Laudamus.* Amoris est, operari ubique.

III.

SOdalitas Immaculatæ Conceptionis quid petit à nobis? *quinque Ave.* O modicum charitatis obsequium pro Maria, SSS. Trinitati gratissima! Verùm & hæc *quinque Ave* oravimus quotidie? Neglexímus, si sine fervore, ac devotione. O invidum Satanam! Etiam minimum ergà Beatissimam Virginem sine labe conceptam amoris affectum ut impediret, quid non attentavit sæpiùs?

In-

Instructio meritoria.

Fili Amandissime! Nunquid nos ip
experti sumus? Et cum quanto cor
vulnere? Negligentias tamen nostras
pedes Intemeratæ Deiparæ deponam
& ut hujus cultu, & institutâ mirabili
ejus Sodalitate amor, & veneratio er
Immaculatam Conceptionem ubiq
crescat, fructúsque producat centesimo
præsertim in cordibus peccatorum
omni turpitudine, & impietate vive
tium, totum Marianum *Psalterium*, i
tria SS. Rosaria propter quindecim S
Mysteria hodie persolvamus, & per m
nus Jesu, ac Josephi Mariæ offeramu
O quàm gratum hoc Matri munus eri
Suscipiet sine dubio, & dabit, quod pe
nostra devotio.

Transfiguratio Admirabilis Do mini Nostri Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

STat Jesus Transfiguratus in mont
stat glorificatus in oculis discipulo
rum! Cur in monte? Cur coram soli
& paucîs discipulis? Id factum pro no
stri

strâ doctrinâ. In Christum, seu hominem novum transfigurari oportet, ô dilecte! Quid ergò nobis cum turba hominum? Quid inter hæc infima, & terrena? Procul à negotiis sæculi! A mundanis scandere jubemur ad cœlestia. Ibi est Jesus; quæramus sedentem à Dextris Dei.

Instructio meritoria.

Quæ hodie Petro, Joanni & Jacobo, hæc & nobis offertur gratia. Ut eò feliciùs, certiúsque impetremus, vel hodie nullis sæculi curis, & nimiùm distractivis negotiis implicemur. Solitudinem diligamus, & ex hodierno Evangelio affectuosam menti nostræ proponamus considerationem. Pro contemptu sæculi, & desiderio cœlestis regni orabimus Psalmum: *Quam dilecta tabernacula tua Domine &c.* Sordet terra! Arrident æterna!

II.

UNde tam beata his tribus Apostolis Visio? A spiritu fortitudinis, & Christianæ magnanimitatis. Læti enim cum Jesu ascenderunt montem: Hilares vi-

vicerunt primam difficultatem. Ecce causam hodiernæ felicitatis! Stat mons multæ virtutis, ac magnæ sanctitatis ante oculos. Non terreamur! Jesus præcessit. Sequamur strenui, & prima obstacula pede generoso conculcemus. Sic sic videbimus Deum de Deo, lumen de lumine.

Instructio meritoria.

Quot difficultates? Quot tædia? Quot & fastidia nobis viam perfectionis ambulantibus non objicit misera natura propria? Vim vi repellamus, adversus quosdam heroicos recalcitranti diræ oppositos exerceamus, Patrique spirituali ad benedicendum offeramus. Imperiemur, quòd adhuc medium, rebellem reprimendi, & edomandi. Non differamus! Quod necessarium semper moras non patitur. Pro tali victoria desursum obtinenda oremus officium de dulcissimo Nomine Jesu! Quot hinc verba, tot inde nobis sunt arma fortissima.

III. Illa

III.

Illis manifestat Jesus suam gloriam, quos maxima expectabat afflictio, Crux, & Passio. Dolorem inde attemperavit spe melioris vitæ. O Amice! Non dejiciamur animô, si variîs afflictionibûs, pressurîs, & ærumnîs visitemur à Domino; Christus utique non terrenam, sed æternam, & cœlestem nobis promisit felicitatem? Sic D. Augustinus: *Quid tibi promisit Christus? Si felicitatem hujus sæculi: murmura, quòd non dederit.*

Instructio meritoria.

Absit, ut murmuremus! tetigit nos manus Domini! Gaudeamus, ambobûs brachiîs quendam Crucifixum stringamus, vulnera illius Sanctissima dulciter exosculemur, & quiescentes inter dulcia oscula dicamus psalmum: *In Convertendo Dominus Captivitatem Sion.* O quàm bellè! Quàm & jucundè eructabit cor nostrum ultima psalmi hujus verba: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua; Venientes autem*

venient

venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Festum Beatissimi & Sanctissimi Cajetani Viri Apostolici, & Insignis Theatinæ Familiæ Patris, ac Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! Filius Mariæ! Ecce! Frater Jesu! Filius, quia à die Nativitatis jam à Matre oblatus est Deiparæ. Frater, quia veram paupertatem, & inopiam rerum à Patre cœlesti hæreditavit cum Christo Jesu, qui seipsum exinanivit, ut ditaret hominem. Ut S. Cajetanus, sic ò dilectæ mi & nos debemus vivere filii Mariæ, & fratres Jesu: filii exprimendô Mariam in puritate, & moribus; Fratres, assumendo nuditatem Crucifixi juxtà Christi monitum: *Exemplum dedi vobis.*

Instructio meritoria.

Et hoc non impossibile. Maria non deseret filios: Nec Jesus Fratres sibi charissimos. Tales ut nos omni probemus tempore, Crucifixus perpetuus sit pendulus à collo, nec unquam inter homi-

ne

nes sine Rosario Mariano. Ita ut vivere, & mori liceat, Lytanias Lauretanas nunquam ante cubitum intermittamus. Beati dormiunt & felices, qui cum Jesu, & Maria.

II.

O Virum vitæ apostolicæ zelosissimum! Sacrum Ordinem instituit, qui abdicatâ rerum omnium (etiam necessariarum) solicitudine, solîs viveret fidelium eleemosynis, & soli confideret Deo, & hujus clementi Providentiæ. O quàm providè! Nec nos, bone fili! temporalibûs bonîs felicitatem, & optatam, ad quam tendimus, ememus sanctitatem, nisi contempserimus omnia. *Retinacula sunt ista fidei nostræ; Projiciamus ergò ornamenta terræ, si cœlestia optamus.* Tertullianus.

Instructio meritoria.

Desunt necessaria! Quid turbamur? Ad quid murmuramus? Nemo periît ex nostris fame, siti, paupertate, nec id nobis timendum. Soli confidamus Domino! Scit utique Pater noster in cœlis, quid nobis necesse sit. Ergò, ubi

ubi occurrit defectus vel in victu, vel in vestitu, mentem elevemus ad Deum, Jesu paupertatem consideremus, & nos contentissimos probemus, in omni defectu gratias agendô per psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intrà me sunt, Nomini Sancto ejus.* Hodie verò ut illustris Theatinorum Familia viros ulteriùs pariat apostolicos ecclesiæ, offeramus omnia totius diei opera S. P. Cajetano. Dabit & nobis indigentibus suum, & suorum ardentem spiritum.

III.

PRæceptum Domini est: Quærite primùm Regnum Dei, & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Intellexit optimè S. Cajetanus. Intueamur, quàm mirabili Dei vivant providentiâ hujus dilecti filii. Perversus est vivendi modus, quærere primò bona sæculi. Quæremus, sed haud inveniemus pro satietate; Imò cum his Deum, cœlum, omnia perdemus. O perditionem! & hanc propter nihilum! Quid stolidius?

In

Instructio meritoria.

Cupiditas habendi, & possidendi, malum malorum gravissimum. Et cui non dominatur? Quis ille, & laudabimus eum? Supprimere oportet. Quomodo? Exercitio contrariô. Si insurgat; si denuo cor inflammet, citò sedeamus, & scribamus: *O quàm sordet mihi terra, dum cœlum suspicio.* Denique ut liberemur, ad elevationem pretiosi Corporis, & Sanguinis sub sacrificio Missæ, à Jesu Eucharistico has petamus gratias: 1. *adicatum horrorem omnis peccati.* 2. *Contemptum perfectum sæculi.* 3. *Mortem omnis improbi desiderii, & seraphinum amorem Dei.* O tempus quàm acceptabile ad impetranda dona maxima illud est, dum stat, & orat in templo sacerdos.

Festum Sanctæ Afræ, Martyris gloriosæ, & Protectricis Augustanæ Civitatis potentissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm verum illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, &*

vivat. Aframconsideremus. Nónne erat in civitate peccatrix? Prostibulum publicum? Sed ubi modò? Triumphat gloriosa inter Martyres, & Ecclesiæ protectrices. O quanta vocantis, & eligentis Dei Bonitas, & Misericordia!

Instructio meritoria.

Ut & aliis eveniat peccatoribus hæc singularis gratia, statuamus vel hodie Festa Conversionis S. Pauli, S. Mariæ Magdalenæ, & Afræ quotannîs quàm devotissimè venerari, etiam, si locus, vel tempus admittant, extraordinariam Confessionem, & S. Communionem instituendô, nos ob neglectos tot instinctus Spiritûs Sancti, quibus ad specialem sanctitatem à Deo sæpiùs excitati fuimus, accusandô, & regularem quandam pœnitentiam præter sacramentalem autregandô, aut sibi ipsi cum præscitu Patris spiritualis dictandô. Et hoc est serio conari ad sui conversionem, & vitæ reformationem.

II.

VErba movent, exempla trahunt dilecte! Quid agimus? Afra Ve-

ner

neri paulò antè addictissima, pietate, & modestiâ S. Narcissi clanculò observatâ, subitò immutatur, sectam detestatur, Venerem execratur, se Christianam profitetur, & ad ignem applicata lætatur. Exempla bona, & sancta non desunt. Quid ergo? Prompta invitandi voluntas. Jam sancti essemus, si in odorem curreremus virtutis, & alienæ sanctitatis.

Instructio meritoria.

Imitemur S. Narcissum. Modestiâ morum, gravitate corporis, & devotione spiritûs, ac orationis lucratus est deperditam Afram. Vincamus naturam corruptam, & quia horret nimiùm in Ecclesia, vel coram Sanctissimo, aut exercitiis sacris quietô corpore, erectîs in cœlum manibûs, & oculîs angelicè compositîs, aut penitùs clausis flectere, precésque peragere, hoc ipso rebellanti heroicè occurramus & ad omnem modestiam adstringamus. Jesus utique præcepit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Dantur astuti, & expolliti politici, ut decipiant: Cur non & exemplares Chri-

stiani, ut prædam rapiant Christo Jesu acceptissimam?

III.

S. Narcissus verba Evangelii erranti exponit oviculæ, Afræ in via salutis periclitanti: Et en! Capitur felicissimè. SS. Evangeliis, Bone fili! credimus, & his conformiter non vivimus! O pudor! Nam de nobis illud verificatur Salviani: *Christi Evangelia legunt, & impudici sunt; vitam improbam agunt, & legem probam habere se dicunt.* Verè confundimur ab Afra!

Instructio meritoria.

Unde fit, quòd ex divinis, legibus non vivamus? Ex eo, quia rarò, imò nunquam cum debitâ devotione, & hilaritate colloquia sancta audimus, vel libros spirituales volvimus, aut sanctis attendimus Evangeliis. Quid consilii? quotidie quandam S. Evangelii veritatem seligamus fortè in divino auditam officio, selectam aut januæ, aut pulpito suspendamus. Mos iste Sanctorum fuit. S. Francisco placuit: *Deus meus & omnia.* S. P. Benedicto: *Ut in omnibus*

bus glorificetur Deus. S. M. Theresiæ: *Aut pati, aut mori.* Nobilem industriam? modò non ita raram! *Officium minus de Spiritu* S. oremus.

Festum S. Alberti ex S. Ordine Mariano Patrum Carmelitarum Provincialis vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

NUdum Christum nudus sequi, nimis difficile est; Tamen per Dei gratiam possibile. Secutus sic est S. Albertus, abdicatô patrimonio longè pinguissimô. Quô motivô? Quia didicit, veram felicitatem in hoc mundo non esse aliam, quàm parùm, vel nihil habere. O dilecte! Unde tœdia? Unde anxietates? Mille timores, & labores unde? Nónne ex divitiarum, & rerum creatarum possessione inordinatâ? *Veræ divitiæ sunt paupertas divitiarum.* Clemens Alex.

Instructio meritoria.

Propter nos egenus factus est Christus, cùm esset dives in omnibus, ut illius inopiâ nos essemus divites. Si bo-

na, si divitias non possideamus, adhuc habemus, quod porrogemus pauperi Jesu: Cuilibet cibo, præcipuè si pretiosior, unam, vel alteram subtrahamus buccellam cum dicto: *Esurit Jesus in pauperibus: Et ego tam opiparè nutrior? Absit! pasco Jesum, & hanc mortificationem appetitûs offero.* Ter recitemus Rhythmum amoris: *Anima Christi sanctifica me.*

II.

O Alberti humilitatem! Ordinatus in sacri ordinis Provincialem, manu bacculum, humeris manicam gestans, commissam sibi provinciam pedes obibat. Miramur hunc spiritum. Sed & imitari satagamus tempore, quô nos ad subveniendum invitat Charitas.

Instructio meritoria.

Sæpe ex obedientiæ, & charitate sumus constituti in via, & itinere, ubi non modica sustinenda tum animi, tum corporis molestia. Patiamur oblatam, vel absentem ultrò quæramus, eundô pedibus, dum occasio vehendi in curru, vel frigus, & æstum cum sudore Deo reflexè

xè donandô illis verbîs : *Domine! omnia propter te.* Vel defectum in famulitiis sufferendo, nósque ipsos nobis, & aliis famulos exhibendo, memores illius: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Pro hujus fideli executione, pro salute itinerantium, vel aliô modô periclitantium recitemus itinerarium coram Sanctissimo. Succurramus, ut beatè ambulemus viam æternitatis.

III.

S. Albertus effatum nobis reliquit doctissimum, dicens, animum quatuor constare elementis : *Puritate, humilitate, fide, & pietate.* Quia cum puris, humilibus, & piis servulis est Dei sermocinatio, & dulcis conversatio. Quomodo est Deus in cordibus nostris? Quid loquitur? Aut quomodo operatur? Si frigidè; si parcè; nobis imputemus, quia purè, & humiliter non vivimus. Et sic vivere delectat? In vitiis, & immunditiis delectamur? Tempus breve est, & gaudium mutabitur in luctum.

Instructio meritoria.

Ab ordine vitæ dependet tota sancti-

tas, & vitæ perfectio. Vivere, & non scire, quô ordine, est ambulare in tenebris. Nunquam in puritate, humilitate, fide, & pietate crescemus, si dies, & horas non ritè ordinaverimus. Commendatur igitur accurata temporis distributio, de qua nec jota, nec apex prætereat. Turbatæ, & impuræ animæ, ut tenebris depulsîs redeant ad lucem quietæ & serenæ conscientiæ, spiritualem hodiernam communionem eis offeramus cum fructu sacrificii, addendô insuper Officium de dulcissimo corde Jesu. Hinc fons omnis tranquillitatis, & spiritualis lætitiæ.

Festum S. Laurentii, Martyris glorioſi, & Levitæ in craticula conſtantiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! non audimus in craticula exultantem Laurentium, & dicentem: *Ego me obtuli ſacrificium Deo. Gaudeo, quia hoſtia Chriſti effici merui.* Nos ipsos offerimus Deo in sacrificium, cùm vitam nostram Divino consecramus

mus honori. Nósne etiam hostia sumus Christi? An amoris proprii? An mundi? Hostia Christi debet mactari: Quomodo nostram voluntatem, passiones inordinatas trucidamus? Vult eas mori Deus! Et parcat homo?

Instructio meritoria.

Mactabimus per egregiam nostrûm abnegationem, cujus actus magìs generosos hodie exercebimus duodecim, eósque in scheda descriptos Ven. Patri spirituali consignabimus. Sine exercitio, & frequentatis actibus nihil. Et ut impetremus exercendi gratiam, recitabimus in venerationem Passionis S. Laurentii unum speciale Rosarium de quinque Mysteriis dolorosis. Frater glorificet fratrem imitando.

II.

B. Laurentius clamavit: *Deum meum colo, & illi soli servio; & ideò non timeo tormenta tua, tyranne!* Quid nos colimus? Cui servimus? Nemo potest duobus servire Dominis. Dura nimiùm est servitus, servire sibi, & peccato; servire autem Deo regnare. Alta

petimus? Cur ergò non & excelsa Divinæ Majestatis servitia?

Instructio meritoria.

Probabimus hodie! Ad omnia divina inter primos comparebimus, oculos, & sensus modestissimè regemus, & extraordinario fervori nos hac totâ die impendemus. Ardet S. Laurentius in craticula: Et non ardeat cor nostrum in Dei præsentia? Preces autem erunt istæ: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c.* vel: *Laudate Dominum de cœlis.* Laus Dei triste nil habet.

III.

SUnt, & dantur adhuc afflicti Laurentii inter tormenta multivaria. Descendamus in purgatorium, & inveniemus. O dilecte fili! Quàm triste hîc nobis occurrit spectaculum! Patiuntur ibi electæ Dei animæ: & pauci sunt, qui eas consolentur. O neglectam charitatem Christianam!

Instructio meritoria.

Simus nos saltem inter amatores harum Christi sponsarum præcipuos! Ab hodierna die quidquid boni operis, quidquid

quid meriti, & præmii in nobis operata fuerit Divina gratia, id semper pro semper solis animabus in purgatorio attribuamus. Nil inde perdimus; sed reddentur nobis omnia cum fœnore. Per hanc Octavam quotidie oremus Vesperas ex Officio defunctorum. Et quid obstaculi, ut tam modicum charitatis pensum non reddamus?

Festum S. Claræ, Matris Seraphicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! Qualem hodie colimus Matrem? Christo Jesu gratissimam. Quem & S. Clara verbô, & factô in seipsa expressit. Ut patientem quidem; quia jejuniîs, ciliciô perpetuô, nudîs pedibûs, & sarmentîs pro strato quotidianô utebatur tortor, & Martyr sui rigidissima. Hæc tenera Virgo potuit. Cur corpori, & sanitati ita timemus? Sic plerumque insanus in nobis prævalet sensualis amor, proprius amor, & futilis mortificationis timor. Sed ô Bone! Quid præ-

stat? Corpus vel hîc, vel ibi cruciari? Quid hîc sana ratio?

Instructio meritoria.

Amor sui diu prævaluit! Discat & hic fatalis animæ inimicus, tandem subesse. Chare! Ad pugnam provocemus, unum, alterúmve virtutis statuamus exercitium amori proprio extremè contrarium, v. g. aut dormiendô in nuda humo, aut S. cilicium portando, aut optimum cibum sibi subtrahendo. Hæc timet caro: Sed sine prudentia. Mortificemus nos ipsos amore Christi, ne cruciari debeamus rigore justitiæ. Pro dono austeritatis Christianæ *Rosarium doloroſum.*

II.

CRudeles barbari impetum faciunt in S. Claræ Monasterium, exitium, & mille mortes minantur. Quid Virgo? Ad Jesum confugit, filias suas hujus curæ, & Providentiæ committit, rogans: Domine Jesu! ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Et ecce! mox audiit respondentem: *Ego semper custodiam vos.* Nos quorsum confugimus

mus tempore tribulationis, necessitatis, angustiæ? O si ad Jesum! & non ad homines, vel ad proprias vires! Quàm tutiores staremus contrà inimicos! Quàm citiùs liberaremur à malis, & pressuris nostris!

Instructio meritoria.

Sine pressura, sine afflictione non possumus vivere: Ergò nec sine refugii loco, & optato auxilio. Ubi inveniemus? Vel in Ecclesia coram Tabernaculo Venerabilis Sacramenti, vel in nostro cubiculo coram Crucifixo. Hîc flectamus, nostras necessitates in cor Jesu deponamus, & flebili voce cum Davide oremus Psalmum: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi: Addendo quinque Pater & Ave* in honorem quinque vulnerum Jesu. Hæc requies nostra. Clamemus! Pulsemus! Aperietur! exaudiemur.

III.

MAurorum vim ut Sancta retunderet, curavit, irruentibus jamjam barbaris, monstrari Augustissimum S. Altaris Sacramentum. Quô visô impii perterriti illicò fugerunt. Habemus quo-

quotidie in oculis hoc sacrosanctum amoris pignus : Cur non utimur pro animæ munimento ? Cur toties cedimus, & succumbimus inimico ?

Instructio meritoria.

Pudor est ! præeunte rege timere inimicum ? Est Christus Jesus ubique nobiscum ! & terremur ? O milites Christo indignos ! renovemus datam toties, & juratam ei fidem ! renovemus, præcipuè diebûs festivîs, & S. Communionis, cui gratitudinis locò semper jungamus actum specialis virtutis, per quem probabimus, cui vivere cupiamus. Tales actus esse possent, si in die S. Communionis rarò inter homines, cautissimi in lingua, modesti in oculis, abstemiin refectionibus esse satageremus. Meretur tantus hospes, meretur & dies, quæ causa multæ, & magnæ sanctitatis nostræ. Ut tamen vivamus perpetuò sub protectione Dei Eucharistici, recitemus officium minus de Suavissimo S. Altaris Sacramento.

Dies

Dies B. Stanislai Kostkæ, Novitii in Societate Jesu Sanctissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

DOctrinaliter dixit S. Bernardus: *Bonorum adolescentulorum est, timorem Dei habere, referre parentibus honorem, & castitatem tueri.* Hæc omnia præstitit B. Stanislaus vivum Angelicæ juventutis speculum. Fili! in hac doctrina si deficiamus, nec cœlo, nec homini grati vivimus.

Instructio meritoria.

Deum non timet, nec custos puritatis est, qui amat multum vivere in publico, & inter homines. In multa, & longa conversatione, præsertim si cum Deo non est, haud effugietur peccatum. Caveamus publicum, & amemus vitam occultam, & fiemus magni in timore Domini, ut B. Stanislaus, in cujus honorem recitabimus officium de eodem, & si illius imago ad manus, plurimîs veneremur osculîs cum suspirio: Angelice Juvenis! Cor mundum impetra, da soli vivere Christo, & penitus mori sæculo!

II. Dei-

II.

DEiparam sic à teneris adamavit, ut cum sociis etiam piissimis decerta-ret, qui magis eam honoraret. Quo præmio? Admirando. Stanislao ex infirmitate decumbenti Maria suum offert Jesulum, in illius sinum reponit, absterso-que morbo Societatem Jesu ingredi jubet. Mira solatia! Quomodo nos o fili! gustamus? Si cupimus multùm, Mariam diligamus, & veneremur plurimùm. *Causa* enim *formalis nostræ recreationis est Beatissima Maria, quia omnibus suæ Deiformissimæ Conversationis speculum, & exemplum est.* S. Antoninus.

Instructio meritoria.

Ut & in nostro vivamus statu, famuli Deo, & Mariæ addictissimi, nobis, & proximo utilissimi, B. Stanislaum in Directorem animæ nobis eligamus, necessitates, & angustias omnes plenè consignemus, & ad perpetuam assistentiam humiliter invocemus, pro omnibus de statu suo periclitantibus subjungendo 30. *Pater & Ave* cum illo versiculo:

Te

Te ergò, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. Et Oratione : *Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam &c.*

III.

B. Stanislaus Divæ Barbaræ devotus meruit, ut ab angelis in ultimo morbo reficeretur venerabili S. Altaris Sacramento. Et nos ò dilecte! desideramus in luctâ mortis ultimâ auxilium? Cupimus & moribundi hoc cœlicum accipere delicium? Ecce! S. Stanislaus cum Diva Barbara in nostrum jam stant parati obsequium. Non acceptabimus? Væ nobis; quia fame peribimus!

Instructio meritoria.

Certam nobis constituamus, & eligamus diem per septimanam, quam nobis quasi mortis ipsissimam determinemus. Hanc diem per annum sæpius aut extraordinariâ sacramentali communione, aut speciali sacrificio Missæ, aut sanctâ solitudine, & mirâ vitæ sanctitate honorabimus. Ordinariè eodem die venerabimur omnes bonæ mortis Patronos

tronos recitando *Lytanias*, quas ordo Commendationis Animæ habet præfixas. Quibus & nomina B. Stanislai, & S. Barbaræ inseramus. Tela prævisa minùs feriunt.

Solemnitas Glorioſissimæ mundi Dominæ, & Reginæ in cœlos Assumptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! moritur Maria sine dolore, sine timore. Amore dissolvitur Virgo, ut esset cum Christo. Moriemur & nos; Sed in mediis doloribus, & mortis angustiis. Si in humilitate, Castitate, & charitate perfectâ vixerimus ùt Maria, lætantes & moriemur cum ea.

Instructio meritoria.

Heu! quales nos expectant angustiæ pro lectulo mortis? Has ut nobis alleviemus, quid statuemus? Ad consecrationem S. Hostiæ, & pretioſi Calicis SSS. Trinitati, & Mariæ singulariter commendemus extremam luctam, pro qua suaviter subeunda quotidie satagamus

mus spiritualem Communionem suscipere eô tempore, quô sacerdos sacramentaliter se reficit in ara. Neque in lectum ibimus, nisi verba Justi Lipsii præmiserimus dicentes: *S. Maria! adesto cum tota æternitate decertanti:* Recitentur Lytaniæ Lauretanæ.

II.

REsurgit iterum Maria. Non decuit putrefieri sacrosanctum Immaculatæ Virginis corpus, in quo Verbum Domini Caro factum est. Resurget & corpus nostrum: Sed nescimus: An ad gloriam? an ad miseriam, & carnificinam perpetuam? At fallor! dilecte! manet nos gloria, si serviamus Mariæ. Quis enim Clientum unquam periit Mariæ? O quàm bene S. Ephrem: *Non nobis est alia, nisi in te, fiducia O Virgo sinceriſſima! Ex ulnis siquidem maternis tibi dediti sumus miseri, tuique clientes appellati.*

Instructio meritoria.

In venerationem Glorioſi corporis, & omnium membrorum in Maria, omnia tria SS. Rosaria cum Gaudiosis, Dolorosis,

lorosis, & glorioſis Myſteriis perſolvamus, præſentémque diem exemplari quâdam modeſtiâ, & gravitate angelicâ ſanctificemus cum teſſera: Non decet ſub Immaculata Matre filium vivere ſordidum, & diſſolutum.

III.

TRiumphat Maria, & cum mirabili apparatu ingreditur cœlos. Occurrunt Angeli! Pater æternus Eam ut Filiam ſuſcipit chariſſimam. Ut Matrem Chriſtus, Ut Sponſam Spiritus Sanctus, totáque applaudente cœleſti curiâ ad dexteram collocatur Filii. Io, mi fili! omnia impetrabimus interceſſione Beatiſſimæ Virginis Mariæ; Quia, ut nunc omnia poteſt, ſic & omnia cupit noſtrûm causâ. Audiatur S. Anſelmus: Sicut Deus ſuâ Potentiâ parandô cuncta Pater, & Deus eſt omnium, ita B. Dei Genitrix Maria, ſuis meritis cuncta reparandô Mater eſt, Domina rerum. At ubi noſtra in Mariam obſequia?

Inſtructio meritoria.

Condecoremus triumphum Mariæ, & in cœlum Matrem comitemur 12. *Pater*

&

& Ave, ac *Te Deum Laudamus* in honorem 12. stellarum, quibûs in die gloriosæ Assumptionis à SSS. Trinitate illuminata est. Et quia Assumptio Mariæ simul est Redemptio animarum ex purgatorio, his omnes fructus totius hodiernæ diei per manus triumphantis Mariæ donemus, & offeramus cum Collecta: *S. Maria! succurre miseris! juva pusillanimes! refove flebiles! ora pro populo afflicto, intercede pro doloroso purgatorio! sentiant omnes tuum juvamem, quicunque indigent inter flammas tua sancta intercessione, O clemens! O pia! O dulcis Virgo Maria!*

Dies S. Rochi Patroni contra Pestem & Contagiones clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

NEcdum displicet sæculum? Relinquit omnia Rochus, utut bona possederit abundantissima; nec solùm reliquit, sed & pauperibus distribuit; posteà peregrinum induit, & tectô nomine Romam abiit. Amor Christi Jesu nudi & pauperis prævaluit in corde S. Rochi.

Rochi. Utinam prævaleret & in nostris! Chariſſime! Servi ſumus Dei! Diſcipuli, & fratres Jeſu Chriſti! Ergo ſæcularia fugiamus! Sic S. Gregorius: *Ille verè Deo ſervire appetit, qui ab hoc ſæculo mente transire didicerit.*

Inſtructio meritoria.

Felix, qui ſemper peregrinus in ſæculo. Peregrini ſimus in loquendo, in converſando, in comedendo. Sic rarò impingemus in lapidem offenſionis. Tempora abbreviemus recreationibus, colloquiis, converſationibus, & commoditatibus ſicuti peregrini. Cœlum ſuſpiciamus frequentiùs. En! quàm grandis adhuc nobis reſtet via. Ut creſcant deſideria ad Patriam ſupernam, recitemus Glorioſum S. Roſarium, & ad quodlibet *Pater Noſter* ſubjungamus ſuſpirium: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

II.

S. Rochus peſte infectis ut Chriſto Jeſu ſerviit ſummâ charitate, & fraternâ providentiâ. Monetur propter pericula, & gravia hujus ſervitii onera Re-

Respondet vir Dei : *Fratres mei! Charitas providebit. Nec suas amor quærit commoditates.* Qualis hæc doctrina? Confundimur, dum solùm legitur.

Instructio meritoria.

Tempora quàm infelicia vivimus! Omnia sibi rapit perversus sui proprius amor. Vim prædominanti inferamus; & quidquid petierit, aut rogaverit à nobis proximus, citò reddamus. Negemus econtrà, quidquid propria sensualitas, & delectatio vel circa recreationes, vel circa corporalia affectaverit solatia. Ut autem cum proximis semper ambulemus in azymis sinceritatis, & veritatis, illi donemus fructum hodierni sacrificii sub tessera : *Non quæ mea, sed quæ Jesu, & proximi sunt, quæro & desidero.* Sacrificio addamus & S. Rosarium. Sic mandat Charitas fraterna.

III.

S. Rochus moritur peste peremptus, & cœlitùs contra pestem patronus constituitur. Nam ad S. Corpus inventa est tabula, cui hæc inscripta Verba : *Peste laborantes ad Rochi patrocinium*

confugientes, contagionem illam atrociſſimam evaſuros ſignifico. Fili! ne timeamus hôc, vel illô morbô mori! Timeamus potiùs, malè, & minùs Chriſtianè mori!

Inſtructio meritoria.

Miſereamur dilectæ patriæ. Ut Deus avertat flagellum ſuæ iracundiæ, poſt ſummum officium aſſueſcamus ſubjungere vel Rhythmum: *Stella cœli extirpavit &c.* vel *quinque Pater & Ave* cum *Salve Regina.* Tremenda eſt Dei manus, ſi quem feriat.

Feſtum S. Hyacinthi ex Ordine S. P. Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

QUalis Magiſter, talis & diſcipulus. S. Dominicus docuit perfectam ſanctè vivendi rationem; retinuit usque ad finem vitæ Hyacinthus quam fideliſſimè. Deus ipſe egit Magiſtrum reſpectu noſtrum! Quæ enim non quotidie ſuſpicimus deſurſum dictamina ad omnem vitæ ſanctitatem, & juſtitiam? Sed

quæ

quæ fidelitas in exequendo? Qualis constantia in observandô?

Instructio meritoria.

Negligere instinctus Divinos, nota magnæ infidelitatis est. Nec sufficit, primitùs intellexisse. Finis coronat opus, dat, & auget præmium. Deploremus peccata omissionis, de quibus per aliquot dies nos specialiter accusemus in sacro tribunali, extraordinariam insuper rogaturi, vel nobismetipsis dictaturi pœnitentiam, qualis esse possent *psalmi graduales*, vel actus occultæ macerationis. Timeamus! Caveamus! Nescimus, an amore; an odiô digni?

II.

VIvimus de patrimonio Christi! Quod illud? S. Hyacinthus exhibet. Hic castitatem perpetuam, modestiam, patientiam, humilitatem, & abstinentiam, ut certum vitæ religiosæ adamavit patrimonium. Prodigimus Christi substantiam, Sanguinem, & S. Passionem, si has in nobis non exprimi-

mus virtutes? O quid respondebimus hæc à nobis requirenti?

Instructio meritoria.

Mors instat! & de bono patrimonio non prospicimus. Credidero; Quia nostra exercitia, meditationes, & examina non fervidè, sed perfunctoriè, & ex sicca consuetudine peragimus. Si hoc, nunquam vel unicam virtutem solidam obtinebimus. Renovemus igitur spiritum, & fervorem tempore exercitiorum. Flectamus liberi! Manibûs erectîs, mente in Deum recollectâ, oculîs clausîs, sensibûs quietîs O media miræ sanctitatis! Ut rebelle in se suscipiat corpus, & suavitatem recollectionis mentalis deguster, officium de dulcissimo Nomine Jesu oremus. Ab Eo petendum nobis patrimonium Christi.

III.

LUcrari animas Christo, ars artium est. Didicit hanc S. Hyacinthus, qui Verbi Divini prædicatione, & vitæ innocentiâ omnibus omnia factus est, Duo sunt, quibus Deo, & hominibus nos probamus gratissimos. Verbum bonum

bonum in ore, & vivum religiosæ, & puræ vitæ testimonium, ac exemplum in opere. Hîs per totum mundum securi ibimus.

Instructio meritoria.

Nunquid fili! in utroque multa desunt nobis? Examinemus linguam, & colloquia; Examinemus vitam, & opera. O quàm longè distamus à spiritu apostolico! Ut nobis, & omnibus sacris Religionibus impetremus, descendentes ad refectorium 12. *Pater & Ave* in honorem duodecim SS. Apostolorum frequentiùs recitare assuescamus. Virîs, & Apostolîs indiget Ecclesia, non scandalîs, & pravîs exemplîs.

Dies S. Claræ de Montefalco Sacra.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! Amor Crucifixi Jesu quis in cordibus nostris? O si tantus, quantus in corde hodiernæ Virginis ardentissimæ! Hæc Crucifixum sponsum eô stringebat amore, ut cor ejus clavis, lanceâ, & spongiâ passionis insigniri divinitùs

tùs meruerit. Quomodo & in nobis formabitur imago Passionis Dominicæ? Hujus cultu perpetuo.

Instructio meritoria.

Amor vel similes quærit, vel facit, vel invenit. Nostrum ergà Jesum, & hunc Crucifixum ut firmemus, Ferias sextas per annum omnes, aut nocturnô jejuniô, aut rigidô silentiô, aut variis macerationibûs corporis veneremur, semper eôdem die pro ordinaria meditatione materiam de Passione Dominicâ assumentes, & per diem illum sæpiùs suspirantes: *Amor! O Amor! Tu non amaris?* Negligentias, & nauseas nostras circà hæc sacrosancta Amoris patientis mysteria non rarò admissas compensemus, & per Octavam integram coram Crucifixo *quinque Pater, & Ave cum hymno: Vexilla Regis prodeunt*, fideliter oremus. O fili! Offendimus multùm! Consolemur Jesum denuò.

II.

SSS. Trinitatem tantô pietatis, & devotionis affectu coluit, ut in B. Claræ felle tres globuli reperti sint, æqualis

pror-

prorsùs ponderis, & formæ. Dilecte! Nobilius est cor nostrum, quàm quòd vanitatibus, & stultitiis adhæreat hujus sæculi. SSS. Trinitatis sumus! Hujus honori nos totos impendamus! Non possumus Deo, & mundo simul servire.

Instructio meritoria.

Chare! sublimia debemus SSS. Trinitati! Tandem reddamus, quod hactenus negavimus. Amorem, reverentiam, & humilitatem exigit. Non subtrahamus! Proin in principio cujuslibet septimanæ, seu in die Dominica illam protestationem renovemus, quam in *Mane nobiscum* reperiemus, omniáque totius hebdomadæ præsentis verba, cogitationes, & opera illius honori, & amori quàm devotissimè subscribamus. Quotidie verò à manè, dum surgimus, & ad noctem, dum lectum petimus, *Te Deum Laudamus* intonemus pro beneficiis Creationis, Redemptionis, Conservationis, & Vocationis. Si ego Pater! Si ego Redemptor! Si & Sanctificator sum Ego, ubi honor? Ubi amor meus?

III.

O Nos delicatulos! O subtiles, & molles animos! Confunditur rebellis voluntas ab hac Virgine viribus, & corpore tenerrima. Hæc in austeritate, & rigoribus vitæ tanta fuit, ut ei Jesus dixerit: *Clara! locum quæsivi, ubi crucem meam figerem, nec inveni, nisi in corde tuo.* Fili mi! Christus quærit locum denuò; Occurramus, pandamus quærenti cum gaudio afflictiones quasque de manu Dei suscipientes. Pati quid regium est.

Instructio meritoria.

Cor patuit iracundiis, & internis commotionibus, & clausum erat patientiæ, & Christi humilitati. Et tamen de numero fratrum, & discipulorum illius esse cupimus? Vim vi repellere oportet, & iram mansuetudine, impatientiæ motum ore quieto, & silenti animô. Sed hîc opus, hîc labor est. Ut feliciter eò pertingamus, extraordinariam confessionem instituamus, omnes nostras iracundias ardenti dolore, & cordis compunctione confiteamur, & aliquot actus

ira-

iracundiæ nostræ directè oppositos pro satisfactione nobis ipsis imponamus. In compensationem autem impatientiarum omnium Lytanias de omnibus sanctis coram sanctissimo Venerabili, magnô pietatis, ac devotionis sensu persolvamus. Cruenta bestia! crudelis ira! Túne dominari Christi discipulo?

Festum S. P. Bernardi Cisterciensis Congregationis Fundatoris Melliflui.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆret Divus Bernardus inter brachia, & amplexus Crucifixi Jesu. Quis innodavit? Amor, & compassio. Cur nos otiamur? dilecte, mi! pendet Christus conclavatîs, & extensîs in cruce manibûs. Et quid vult nisi suos amplexari discipulos? O fili! quid moras nectimus? Nostra mora est Jesu crucifixio nova. Curramus, ut citò quiescamus!

Instructio meritoria.

Beata anima, quæ quiescit quotidie inter Jesu Crucifixi brachia! Hæc fateri

potest: *Qui redemit me, requievit in tabernaculo meo.* Doleamus, quòd tam serò amorem Crucifixum dilexerimus. Ut vel hodie suscipiamus in contubernalem nostrum, recitemus officium de Suavissimo ac Mellifluo Jesu Nomine à S. Bernardo compositum. O si Jesus foret mel in ore, melos in aure, jubilus in corde! Ut fiat, satagamus amandô.

II.

EN! flectit coram Maria Bernardus, flectit, séque totum committit materno præsidio suspirans: Maria! *Monstra te esse matrem.* Quid autem Deipara? Dans Jesulum ait: *Bernarde! suscipe puerum meum, totius mundi Redemptorem.* O dulcem sarcinam!

Instructio meritoria.

Mereri & nos possumus, si in colendo, & amando secuti fuerimus S. Bernardum, cujus ad exemplum pro delendis sub recitatione officii Mariani commissis levitatibus, & negligentiis coram devotâ icone hodie flexis genibûs, & accensis luminibûs Cursum, seu officium

um Majus expleamus. Sinu suo pietatem filiorum excipiet Mater piissima.

III.

IN schola S. Bernardi ô qualis nobis relicta est doctrina! Triplex hæc fuit. *Prima.* Terribile est, Deum exinaniri, & terræ vermiculum gloriari. *Secunda.* Quò majorem quæremus in creatis consolationem, eò minorem reperiemus in Deo. *Tertia.* Singulîs horîs cogitare debemus, quò singulis momentîs properemus. Hæc memorare tribuit non ampliùs peccare.

Instructio meritoria.

Ad quid venimus? Fili electe! ut mundum contemnamus, nos ipsos horreamus, & cœlestia ambiamus quotidiano. Hæc nostra debuissent jum dudum fuisse studia. Sed eheu! Vix non sunt ignota. Pro executione harum doctrinarum Lytanias de omnibus Sanctis Cistercienſibus, & Benedictinis (in Trithemio inveniendas) recitemus. O quot humilitatis, contemptûs sui, & Divini amoris ibi inveniemus Magistros; invocemus! Sequamur!

Festum S. Bernardi Ptolomæi Congregationis Mariæ de Monte Oliveto Fundatoris.

EXHORTATIUNCULA I.

DIsplicet Deo inanis, & fastuosa scientia. Sanctus hic Bernardus dum aliquando disputabat ardentiùs, subitò capitur oculîs, ut altiùs philosophari, cœlestiáque internîs oculîs, quærere disceret. Vana est scientia, si non tendit in Deum, qui fons omnis sapientiæ.

Instructio meritoria.

Dilecte! Evanuimus & nos sæpiùs inter labores, ruminationes, & elucubrationes profundissimas. Ad quid verò hæc pretiosi temporis perditio? Redimamus, & quoties vel pulpitum pro studiis accedendum, vel inter labores sudandum, à Deo exordiamur, flexîs genibûs recitandô hymnum de Spiritu Sancto: *Veni Creator Spiritus.* Hâc devotione ô in quantos evaserunt Ecclesiæ Doctores sancti Gregorius Magnus, Thomas Angelicus, Venerabilis Beda, Ru-

Rupertus Tuitiensis, & Albertus Magnus! Omne datum desursum est.

II.

B. Bernardus Dei manu excœcatus clamat ad Matrem! Invocat Mariam. Et ô Mariæ potentiam! Jam perditos restituit; hac tamen conditione, ut relictô sæculô totus in Matris iret obsequium. O beatam solitariam, & religiosam vitam! Deum, & Mariam sibi attrahit. Ideò non est gratia, non dulcedo, aut sancta voluptas, quæ mundo mortuis non est promissa.

Instructio meritoria.

Vocationis beneficium ô quantum est! Sed quomodo compensavimus? Quoties hujus vix recordati sumus? Gratitudinis vices, ut reddamus imposterum, certum per septimanam diem nostro Sancto Legislatori constituamus, cúmque aut extraordinariâ interdum S. Confessione, aut aliquali jejunio, aut strictô recolamus silentiô. Ubi & semper renovabimus formulam sacræ Professionis nostræ. Hodie verò recitabimus Eucharisticum Psalmum: *Benedic*

anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt, Nomini sancto ejus. Laus Domini est gratissima retributio accepti beneficii.

III.

COelitum Regina Olivetanam Congregationem, ut ad Benedictinum efformaret institutum, ipsa sacrum Bernardo habitum, & Regulam S. P. Benedicti attulit. Tanti fuit Beatissimæ Virgini! quô igitur non spiritu? quô divinæ exin hauriendæ sapientiæ desiderio ea non tractanda nobis? Sacram Regulam colimus? Ergo & Mariam hujus ampliatricem.

Instructio meritoria.

Miles sine armis miles non est. Quales nos religiosi sine S. Regula? Ambulet, sedeat, laboret eadem nobiscum semper. Utique tanti non est ponderis! Stantes in reverentiam legamus! lectam frequenter exosculemur cum dicto: *Benedicte Pater! Auge tuum, & Christi Jesu in nobis spiritum.* Ut per hanc sacram Regulam ulteriùs Romana triumphet Ecclesia, & S. P. Benedicti floreat Fa-

Familia, omnia hodiernæ diei opera, preces, & sancta suffragia per manus Divi Bernardi Deo, Mariæ, & Benedicto offeramus cum Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* O gratum filii obsequium!

Festum S. Philippi Bennitii Ordinis Servorum Mariæ propagatoris Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

VIx natus, Mariam ore laudavit, & ut hujus famulis daretur eleemosyna, Matrem suam rogavit. Et hoc est uti linguâ sanctissimè. Deo, Mariæ, & proximo si non impendatur, exscindatur, & in ignem mittatur; quia scandalum est!

Instructio meritoria.

Tollamus hoc grande malum. Curemus infirmum sollicitè membrum. Quomodo? Hodie specialiter cavendô, ne vel verbum loquamur, vel audiendô ad cor admittamus, quod foret contra charitatem proximi. Quin si & ex incuria deliquissemus, sine mora satisfaciamus

intra

intra cubiculum, vel coram Sanctissimo nos prosternendô, & prostratô corpore *Psalmum Miserere* expansîs brachiis recitandô. Linguam ut parcam, mansuetam, & prudentem obtineamus S. Rosarium Doloroſum offeramus. Passio Domini sit, & regnet in corpore nostro!

II.

QUis fidei, & charitatis Divinæ dilatandæ ardor, & spiritus in nobis? O si S. Philippi! Hic Dei famulus per universam penè Europam, magnámque Asiæ partem tum evangelicis prædicationibus, tum vivîs virtutum exemplîs, & indefessîs laboribûs cultum Christi, & Mariæ promulgavit, promulgatámque insigniter confortavit. Fili mi! quid nos pro Christo, pro Maria heroicè attentavimus? Et tamen Dei famuli nominari cupimus, & esse?

Instructio meritoria.

Dilecte! Licet adhuc compensare negligentiam. Quomodo? Christum quotidianô sacrificiô, & matutinâ intentione veneremur, Mariam S. Rosariô, & officiô sive majori, sive minori colamus per-

perpetuô, hominibus eximiâ virtute, & vitâ exemplari præluceamus: Et Christum, ac Mariam per nos vivere, & glorificari, sciamus. In aliqualem, quam præstemus hodie, satisfactionem, Jesu, & Mariæ offeramus *Coronam triginta tribus Ave, & quinque Pater constantem.* Coronemus nos rosîs, quæ nunquam decidunt.

III.

RAra virtus, perfecta proximi charitas! Eminuit in S. Philippo. Plurimas Italiæ percurrit civitates, gliscentes in eis civium discordias componit, rebelles ad Romani Pontificis obedientiam allicit, perditissimos è vitiorum cœnô ad pœnitentiam, & Jesu amplexum adducit. O quot genuini amoris effectus! ô si vel unicus esset in nobis! Fili! non desperemus! Omnia possumus in eo, qui nos confortat, & diligit.

Instructio meritoria.

Quoties discordias excitavimus & nos? En! diem opportunissimam, ut satisfaciamus. Jesus, & S. Philippus sic jubent. Impediamus hodie, quidquid tur-

turbare posset fraternam pacem, & charitatem. Studiô, & reflexâ intentione frequentemus conversationem, bonósque discursus aut incipiamus, aut ab aliis inceptos zelosè promoveamus. Quid charitate, & pace pretiosius in Christiana aliqua communitate? Ut consecremus, unam extraordinariam visitationem Sanctissimi Venerabilis hodie assumamus. Ecce! in templo habitat, qui mandavit: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Joan. 14.

Solemnitas S. Bartholomæi Galilææ, & Armeniæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

PEllem pro pelle! dilecte mi! Sic jubet Divinus amor. Exuamus veterem hominem, & induamus novum, seu spiritum Apostolicum S. Bartholomæi. Si cuti, si corpori nostro timemus, heu! nunquam virum induemus Apostolicum. Si non: Ad quid venimus!

Ut

Ut carni vivamus? Deo, & spiritui resistamus?

Instructio meritoria.

S. Bartholomæi amorem, & patientiam ut in nobis exprimamus, aliquem S. Rigoris actum hodie nobis statuamus cum consensu Patris spiritualis, cui addamus *duodecim Pater & Ave cum Credo* in venerationem duodecim SS. Apostolorum. Quod Apostolis, idem præstamus & Christo. Ubi cor unum, & anima una, ibi & plena bonorum participatio.

II.

SAthan in obsesso interrogatus: Quæ facies S. Bartholomæo? Respondit: *Semper in eodem vultu, & animô lætus, & hilaris perseverat.* Unde tanta lætitia? Quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. Fili! Perbenè hanc novimus veritatem! Utinam & in opere!

Instructio meritoria.

Insurgit Melancholia, tristitia, torpor, & nausea in spirituali vita, non cedamus,

damus, sed in principio resistamus laudantes cum Davide Dominum: *Bonum est, quòd humiliaveris me.* Serenitatem in mente, & corpore ut retineamus, sub actuali commotione nec verbum loquamur; sic enim oleum affunderemus igni. Potiùs Vesperas ex officio defunctorum recitemus pro defunctis, qui fortè ob iram graviter luunt in purgatorio. Redemptio animarum erit & redemptio nostrarum passionum.

III.

S. Bernardus considerans S. Bartholomæi pro fide constantiam, exclamat: *Quò abiit spiritus apostolicus? quò humilitas? labores? zelus primitivæ Ecclesiæ?* Sumus zelosissimi in rebus sæculi: at in rebus nostræ salutis, vel Divini honoris cæcutissimi.

Instructio meritoria.

Deploremus tot neglectos Spiritûs Sancti instinctus, quibus ad opera virtutum heroica non rarò nos vi divinâ incitatos experti sumus. Satisfaciamus, nos in sacro tribunali idcircò specialiter accu-

accusando, & per octo dies actum saltem unum specialem exercendo vel in abnegatione appetituum, vel in afflictione sensuum. Interim oremus *Lytanias majores de omnibus Sanctis.* Nostra offendit inconstantia, quotquot Sanctorum in se complectitur cœlum.

Festum S. Ludovici Galliæ Regis.

EXHORTATIUNCULA I.

GRande Regis Nomen in opinione hominum! Sed sublimior honor, scire se, & suas passiones, atque concupiscentias potenter regere. *Quid enim tam regium* (interrogat S. Leo) *quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem.* Talis Rector fuit S. Ludovicus, qui in mediis Aulæ deliciis vixit Deo, & sibi præsentissimus. Talia mirantur carnales.

Instructio meritoria.

Nos potiùs imitemur! Occasiones non desunt, modò nos non desimus fervori, & fortitudini. Ne excedamus tempore recreationis, aut corporalis solatii,

solatii, examen particulare indispensa-
biliter præmittamus, & in eo contra
omnem laxitatem, aut superfluitatem
strenuè nos obarmemus, tria, vel plura
reflexè statuendô opera heroica v. g.
temperantiæ, gravitatis, & modestiæ,
ac internæ recollectionis. Oratio dabit
emphasin. In descensu igitur ad lo-
cum recreationis recitemus *quinque*
Pater & Ave, & Cordi Jesu ardenter
nostram Conversationem commenda-
mus hâc tessera: *Noli timere, Jesus*
tecum!

II.

UBique locus patet virtuti, etiam sub
toga Regia. Quis sub Rege tanto
rigores, cilicia, flagellationes, vigilias
& jejunia expectasset? Et in his omni-
bus strenuè suum exercuit corpus S. Lu-
dovicus idque ad ruborem nostrum,
qui utut statûs, & conditionis inferio-
ris, tamen mollia, & delicata quæri-
mus.

Instructio meritoria.

Nulla jam nos transeat septimana, in
qua non una, vel altera die (qualis etia
possi

possèt dies Mercurii, Veneris, & Sabbathi) opus quoddam assumamus S. austeritatis. Ni corpus hîc prematur, atque humilietur, erit, quæ ferveriùs humiliet, implacabilis Dei manus in purgatorio. Pro animabus, verò inter flammas sudantibus, eò quòd fugerint fortè exercitia corporalis macerationis, hodie visitemus cœmeterium, & ibi aut dolorosum S. Rosarium, aut officium minus de animabus defunctorum, aut vigilias mortuorum persolvamus, audituri quondam non sine animæ solatio: *Captivus fui, & visitastis me.*

III.

O Quanta in S. Ludovico pietas! qualis Barbarorum convertendorum ardor, & desiderium? Quæ heroina ergà Christi inimicos fortitudo, & constantia? Profectò regiam exuit Majestatem, ut indueret Christianam pro Nomine Jesu servitutem. Fili dilecte! nisi soli Deo servierimus: quid proderit corona? quid sceptra? quid pompa mundi universa? Rapiet omnia mors violenta. O si vel titulus servi Dei remane-

maneret in manibus nostris! O felix discessio!

Instructio meritoria.

Quæ autem servorum Dei firma probatio? Vita Christiana, eáque per totam diem ordinatissima. *A Deo* per intentionem generalem inchoemus diem; *In Deo* per strenua pietatis, & puritatis opera v. g. multivarias preces, sacrificia, aliáque charitatis erga Deum, & proximum studia continuemus; denique *cum Deo* finiamus per accuratam ante somnum conscientiæ discussionem, & plenariam nostrî in Divinam, voluntatem, & manum resignationem. O regiam servitutem! Ut in hac & vivere, & mori liceat, ad sanctissimum S. Altaris Sacramentum extraordinariam visitationem instituamus per quadrantem integrum, subjungendo in honorem totius ætatis Christi Jesu 34. *Ave* cum quatuor *Credo*. Servus quærat Dominum.

Festum

Festum S. P. Augustini Episcopi Hipponensis, & Ecclesiæ Doctoris, Patriarchæ multorum filiorum fœcundissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Diu restitit vocanti Deo Augustinus, satísque infructuosè primam transegit juventam, non saluti, sed peccatis, & libertati sæculi inserviendô. O fili! Florem ætatis nostræ cui nos impendimus? Erravimus cum Augustino. Jam pœnitentem sequamur.

Instructio meritoria.

Ut diluamus delicta juventutis, & pro his aliqualiter satisfaciamus, hodiernæ S. Confessioni specialiter subjungamus confessionem de abusu, de laxitate, & injuria primæ ætatis; denique *Graduales Psalmos* in occulto peragamus coram Sanctissimo. Acceptabile sacrificium Deo cor humile, & compunctum.

II.

Unde tam subita S. Augustini pœnitentia, & conversio? Ex lectione sacra. Vix illa D. Pauli ad Romanos legerat

gerat verba : *Non in comessationibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum*, jam altùm suspirabat : *Ah! serò te amavi.* Fili! desúntne nobis hæ veritates? Nónne abundant? At ubi correspondens morum, & vitæ emendatio?

Instructio meritoria.

Feriâ sextâ per singulas hebdomades aliquid ex S. Scriptura legamus, quam ut & ad manum habeamus, unicè vigilemus. Pro neglectu autem tot instinctuum, & negligentiâ tot luminum & veritatum supernaturalium unam horam recollectionis statuamus nobis, quam vel precibus, vel lectioni spirituali, aut coram Sanctissimo in templo, aut Crucifixo in cubiculo piè transigamus. Tempus non deest operandi bonum : Modò nobis non deessemus.

III.

COepit bene S. Augustinus novitet conversus : Sed feliciùs continuavit; donec cursum sanctitatis suæ consummaret glorioſissimè. Non sufficit coo-

converti ad Dominum. Dilecte! Finis coronat opus, & ad apicem evehit summæ perfectionis. Fuimus ut novitii in conversione; vivamus modò, ut professi in omni sanctitate, & justitia. Ita jubet virtus regia, Christiana constantia.

Instructio meritoria.

Idipsum ut nobis, & omnibus SS. P. Augustini religiosis filiis eò certiùs obtineamus, opera, & omnia devotionis exercitia hodiernæ diei offeramus pro magno spiritu, fervore, & insigni emolumento celebratissimæ familiæ Augustinianæ. Operibus jungamus preces, pietati *Lytanias de omnibus Sanctis.* Audiemus ex ore tanti Patris, & Fundatoris. Quod uni ex meis feciſtis, mihi feciſtis.

Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ.

EXHORTATIUNCULA I.

VEritatem qui amat, hominum favores, & respectum non curat. S. Joannes liberè Herodem aggreditur increpans in faciem illius impudentiam, & illud objiciens: *Non licet! Non licet*

uxorem habere fratris. O fili mi! Non damnabimus assentationis vitium? Non blanditiis, & adulationibus renuntiabimus? Fera pessima adulator omnis. Et hic inveniri in domo Dei?

Instructio meritoria.

O quàm verum illud Davidis effatum: *Omnis homo mendax*, qui adulationis studiosissimus. Hinc tot, & tanta mendacia in sæculo! O ignobile vivendi genus! Eheu! Chare fili! Nec nos adeò innocentes hîc fuimus! Emendabimus nos, in specie ad S. Tribunal nos accusandô de omnibus mendaciis, frivolis blanditiis, & politicis adulationibus. Pro pœnitentia *quindecim Pater & Ave* dicamus cum 30. osculis terræ. Luat lingua! Graviora meruit.

II.

O Torturam animæ, malam conscientiam! Impius Herodes quò quò se contulit; aut, ubi ubi humana solatia quæsivit, amputatum S. Joannis, & quasi sibi ubique obvium glorioſi Martyris Caput vidit, & increpans audivit

Non

Non licet! Non licet! Beatum, quem sua non accusat, & damnat conscientia!

Instructio meritoria.

Ne offendamus, aut perdamus thesaurum tranquillæ mentis, binâ per hebdomadem confessione eluamus contractas maculas; imò post lapsum quemcumque provolvamur in genua, de peccato doleamus sine mora, & seriam morum, & vitæ spondeamus emendationem. Pro conservanda conscientiæ pace, & puritate persolvamus *Officium minus de Immaculata Conceptione.* In hoc speculo omne gaudium, pax, & tranquillitas summa. Inspice, & intemeratam vitam dilige.

III.

OCciditur S. Joannes, ut æternùm viveret. O quàm bene moritur (ait S. Petrus Dam.) qui moriendô oritur! Quàm feliciter temporalem vitam finit, qui vivere perpetualiter incipit. Discemus bene vivere? Sequetur & beatè, ac gloriosè mori. Unum provocat alterum: Sanctitas vitæ gloriam mortis.

Instructio meritoria.

Nunquam ibimus in lectum, nisi depositô priùs mortis testamentô in devotis libellis facilè inveniendo. Praxis hæc, si fuerit constans, quàm suavem, & quietum somnum impetrabit à nobis? Gustabimus tunc, quando gustâsse æternùm proderit. Pro beata, & serena morte pro nobis ipsis latentes in templo *commendationem animæ* quàm ardentissimè persolvamus. Tela prævisa minùs feriunt.

Festum S. Rosæ Limanæ ex tertio Ordine S. P. Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce novi orbis florem nobilem! O quem sanctitatis, Christianæ perfectionis, & innocentiæ odorem non sparserat in patria hæc Virgo! Ideò & abipsa Cœlitum Regina nominata est *Rosa* ob insolitam morum sanctimoniam, & suavitatem. Chare fili! Hortus est mundus. Nos Rosæ, & flosculi! Attendamus, ne sine odore virtutis.

In

Instructio meritoria.

Difficile est, placere Deo, placere & sæculo. Moribûs, modestiâ, prudentiâ, & Christianâ pietate exprimamus, cui serviamus. Id quod maximè fiat in loco recreationis, & humanæ conversationis. Exemplîs bonîs bonus Christi odor sumus. Ad impetrandam modestiam linguæ, & oculorum, hodiernum S. Rosarium offeramus Virginum Reginæ, Mariæ per manus S. Rosæ innocentissimæ. O Rosa! Quando te pinges in nostra modestia?

II.

ROsa in mediis mundi illecebris illibatam servavit cordis puritatem. Quô mediô? solius Jesu casto amore. Chare fili! gaudia sæculi quid ad nos? Inquinabimur, quoties gustabimus. Delectet potiùs meminisse Jesu inter solatia, ne prævaleat caro. Sit nobis, uti D. Augustino ita de Jesu suspiranti: *Tædeat me gaudere sine te; Et delectet contristari pro te. Sit mihi Nomen tuum refocillatio, & memoria tui mea unica consolatio.*

Instructio meritoria.

Martyrii quoddam genus est, interesse deliciis, & tamen non superari. Harum si detur occasio, accedamus, sed in timore sancto, & in Dei præsentia. Et ne totum tempus tribuamus corpori, saltem circa medium refectionis, aut alterius honestæ refocillationis mentem colligamus, & ad ecclesiam, vel ad cœlum mittamus illô amoris suspiriô: *Anima Christi! sanctifica me!* Hîc ne nostra deficiat memoria, preces mensales magna devotione, & attentione hodie recitemus cum psalmo: *Benedic anima mea Domino.* Ingratissimus est mortalium, qui immemor Dei, dum in actuali fruitione Divini beneficii.

III.

Filli! cur corpori, & cuti blandimur? S. Rosa jejuniîs, & flagrîs in seipsam usque ad sanguinem copiosum desævit: Capiti suo coronam argenteîs aculeibûs hirsutam imprimit. Quô motivô? Ut in partem aliquam veniret dolorum Jesu. O nostram desidiam pro imitatione Christi! quid respondebimus interro-

terroganti: *Quomodo vixisti?* Gaudeat mundus in rebus caducis & fluxis: Nos autem gaudebimus in Domino, & exultabimus in Deo Jesu & hoc Crucifixo.

Instructio meritoria.

Ne grave immineat nobis judicium Dei, præveniamus operibus pœnitentiæ. Imminent solemnia festa? Imminet feria sexta? Recordemur, quô actu rigoris, aut mortificationis Christum, aut Sanctum, de quo festum, devotè veneremur. O si nulla hebdomas sine actu heroico! Ut fiat, flexîs genibûs SS. Rosarium de 7. doloribus hodie recitemus. Rosa etiam floret in mediis spinis, ciliciis, jejuniis, ac disciplinis.

Festum S. Raymundi Nonnati ex Ordine sub titulo de Redemptione Captivorum.

EXHORTATIUNCULA I.

Miremur in parvulo virum. Puerilia oblectamenta extremè horruit Raymundus, tantámque pietati impendit operam, ut omnes in puero adultam suspicerent virtutem. Suspiciamus, ve-

neremur & nos, & tandem nos viros in spiritu, in zelo, & in vitæ exemplis probemus illustrissimos. Et hoc quamdiu jam à nobis expectat Deus?

Instructio meritoria.

Abstineamus hodie à jocis, facetiis, aliisque minùs decentibus nugis in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ multùm colitur, & honoratur bonis moribûs, & virtutum exercitiis. Serii in actionibus ut evadamus coram hominum oculis, coram Sanctissimo per integrum quadrantem erectîs manibûs, & oculîs clausîs nos sistamus, & in honorem omnium virtutum, in quibus Christus se exercuit vivens inter filios hominum, oremus 34. *Pater & Ave.* Fiamus parvuli, sed cum sale Christianæ prudentiæ.

II.

ANxius de vitæ statu Raymundus, coram icone Beatissimæ Virginis Mariæ humiliter flectit, ipsámque cœlitum Reginam, ut se in filium, & perpetuum adoptaret famulum, viámque salutis, ac scientiam sanctorum edocere digna-

dignaretur, enixè deprecatur. O chare mi! En! locum refugii pro nostris necessitatibus. Mariam consulamus, ne erremus in via. *In Maria*, ait B. Ephrem, *invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam.*

Instructio meritoria.

Tria à manè petamus à Maria: 1. ut præsentem diem benedicat, atque sanctificet per Jesu, & manum propriam. 2. Ut nostris functionibus, negotiis, & obedientiis potenter assistat contra omnes inimicorum insidias. 3. Ut hæc ipsa dies sit dies pro Dei, & Mariæ augendo honore, & condigna dispositione ad horam mortis beatissimam. Ideò *tria Pater, & Ave* cum antiphona: *Sub tuum præsidium*, & oratione: *Concede nos famulos.* Quis taliter sibi timeat per diem?

III.

RAymundus vocatur à Maria ad S. Ordinem sub titulo de Redemptione Captivorum. O sollicitam pro homine

mine Deiparam! Non sumus quidem in hoc S. Ordine; Sumus tamen in quotidiana juvandi proximum occasione. Subveniamus tristibus per consolationem: Pauperi per eleemosynas: Desperabundis per exstimulationem piam. Audiatur S. Nazianzenus: *Esto calamitoso Deus, & Dominum in calamitate Deum invenies.*

Instructio meritoria.

Quod Maria ordinat, maximi esse momenti, oportet. Ordinavit S. Ordinem de Redemptione Captivorum. Veneremur, & nos quoque collaboremus, si inter barbaros non licet, fiat inter Christianos, pro quorum redemtione à vinculis peccatorum, passionum, & vitiorum offeramus totius hebdomadis opera, quibus annectamus pro fidelibus defunctis officium defunctorum cum uno Nocturno. Frater fratrem redimat. Maria sic optat.

SEP.

SEPTEMBER.

Festum SS. Angelorum Custodum, seu titulare Congregationis Benedictino-Bavaricæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Dilecte! ita est! Magna, eáque innumera sunt sancti Angeli custodis beneficia. Dedisset majora, si nostra fortè non impediisset irreverentia, & ingratitudo. Ut saltem tribuat, & largiatur imposterum, amorem compensemus amandô. Angelo enim nostro debemus reverentiam pro præsentia: Devotionem pro benevolentia: Fiduciam pro custodia. S. Gregorius.

Instructio meritoria.

Octavam instituamus, & quotidie *Novem Pater, & Ave* cum Cantico: *Benedicite* oremus. Determinemus & nobis certum per septimanam devotionis diem, quô hunc tutelarem speciali honore veneremur, v. g. diem martis ubi frequentiùs usurpemus protestationem S. Caroli Borrhomæi S. Angelo

Custodi acceptissimam, & *in Mane nobiscum*, aut legibus Marianis inveniendam. Heu! quis à lectulo mortis repellet Sathanam, si S. Angelum neglexerimus.

II.

DIgnitatis suæ vix non obliviscitur Angelus Custos, ut se totum in nostras impenderet utilitates, & commoda. Quid enim operatur nostrûm causâ? Orat pro nobis; consolatur nos tempore adversitatis; Subducit periculis; Tentatos roborat; defendit ab hoste; Revocat à peccato; Præparat ad pretiosam mortem. Et quid? Nos inhonoremus pravîs moribûs, aut exemplîs vitæ pessimîs? Timeamus, ne nos deserat.

Instructio meritoria.

In quovis angulo, in quovis diversorio, Angelo nostro habeamus reverentiam, & hodie multiloquium caveamus. Ore plerumque Deum contristamur & SS. Angelos. In satisfactionem subjungamus *Lytanias de Sanctis Angelis*

gelis. *Angeli adstant orantibus, & credentibus.* S. Gregorius.

III.

O Fili! in manibus portat nos Dei angelus. Portat, ne uspiam ad lapidem offendamus pedem, seu vitam nostram. Ecce charitatem! Ecce! humilitatem! pulveri, cineri, fimento terræ tanta præstat obsequia. O nos elatos! Alta semper petimus, quia ima despicimus. Chare! Omnes delectat celsitudo: Sed audiamus S. Augustinum: Ad celsitudinem humilitas gradus est: Quid tendis pedem? Cadere vis, non ascendere, à gradu incipe, ascendisti.

Instructio meritoria.

Angeli quid ita amant, út humilitatem? Honorabimus, si in hac ambulaverimus. Id quomodo fiet? Elatos humeros, erectam cervicem, oculos in quoscunque obviantes infixos reprimamus, humiliato semper capite incedamus, oculîs terram ceu futuram brevì sepulturam nostram considerемus: & erimus jucundum Deo, angelis, & homini-

minibus ſpectaculum. Pro obtinenda humilitate à Chriſto, & SS. Angelis ita nobilitatâ per novem dies *novem Pater & Ave cum Te Deum* peragamus. Placet hic numerus novem Angelorum choris.

Feſtum S. Stephani Hungariæ Regis, & Apoſtoli.

EXHORTATIUNCULA I.

JAcet ad pauperum, & miſerorum pedes S. Stephanus, coram quo & populi ſua flectebant genua. Humilitas non deprimit nobiles, ſed magis nobilitat; quia humili Jeſu aſſimilat. Quid hîc noſtra ſuperbia? Pauperes vix aſpectu dignamur? O utinam non ratò & cum indignatione repelleremus! Fili, quid attentamus? Si fecerimus, Jeſum abegimus! Quanta crudelitas!

Inſtructio meritoria.

Pauperes, & miſeros ſi non habeamus, quorum pedes exoſculemur, ſaltem limites aut Eccleſiæ, aut cellulæ, vel cubiculorum veneremur oſculîs, memores, quot ibi occaſiones meritorum! Virtus

quò

quò occultior, eò sanctior. Ut afflicti, & pauperes suos semper inveniant patronos, hodiernum Rosarium eis offeramus. Amor non est, si otiosus, & sine opere.

II.

ORandi studio noctes penè totas duxit insomnes, atque in cœlestium rerum contemplatione absorptus, non rarò raptus est in extasin. Dilecte! Quàm immersi adhuc vivimus luto hujus iniqui sæculi! Ubi raptus nostri? O utinam non ad vanitates, & insanias falsas!

Instructio meritoria.

Si noctu evigilemus, amore Christi, & gaudiorum cœlestium interdum surgamus, somnum modicè abrumpamus, & flexîs genibûs SSS. Trinitatem, vel Venerabile Altaris Sacramentum adoremus cum dulci amoris suspirio: *Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula.* Vel *Amor! mi Jesu! Tædeat me dormire sine te! Delectet vigilare propter te! Nomen tuum*

mea

mea est refocillatio! Memoria tui mea unica quies, & consolatio. Dein iterum ad lectum. Donum vigiliarum, & occultæ orationis, donum pretiosissimum est. Ut digni simus hujus possessione, per unam horam integram coram Sanctissimo nos detineamus, neminem in ecclesia aspiciendô, sed erectis manibûs ac recollectô spiritu S. Rosarium cum officio minori de dulcissimo Nomine Jesu, aut amabili SS. Altaris Sacramento. Cum Jesu loqui quàm jucundum, & dulce!

III.

REgni negotia tam prudenter disposuit, & ordinatè S. Stephanus, ut sine consilio virorum à sapientia, & virtute celeberrimorum nihil unquam aggredi voluerit. Charissime mi! Caveamus nimiam de nobis ipsis confidentiam. Centies confundemur, & errabimus. Quare? quia superbis resistit Deus. *Quamvis sis in tuto, noli esse securus.* Monet D. Bernardus. *Non enim sumus sufficientes, cogitare aliquid boni*

boni ex nobis ; Sed omnis sufficientia ex Deo est. 2. Cor. 3.

Instructio meritoria.

Singulis mensibus bis accedamus Venerabilem Patrem spiritualem, consulamus, & an nulli in nobis advertantur errores, excessus, vel offensæ magis notabiles, cordatè conveniamus. Si quæ præscripserit media, citò exequamur. Ne verò id nostris adscribamus viribus, recitemus officium minus de Spiritu Sancto. Ubi vult, hic Deus spirat.

Festum S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ & Patronæ contra pestem per omnia regna, & Provincias Romani Imperii Honoratissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ANtra, speluncam petamus, ô fili! Inveniemus in his Virginem Rosaliam in summa austeritate vitæ, & contemptu regiæ etiam amplitudinis Deo suo suaviter servientem. Sic nullus locus adeò squallidus, aut tetricus, ubi non virtuti diversorium. Nec verus amor refugit aspera. *Qui enim amat, non labo-*

borat ; & omnis labor non amantibus gravis est ; solus amor est , qui difficultatis nomen erubescit. S. August.

Instructio meritoria.

Cultum habeamus majorem, uti & munditiem specialem cubiculis, & cellis nostris, ubi sanè Officina multorum actuum heroicorum. Non patiamur ibi jacentes in terra sordes, & dum ingredimur, flectentes genua dicamus cum Regio Psalte : *Introibo in domum tuam, Domine! & reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea.* Pro spiritu recollectionis dicamus Psalmum : *Quàm dilecta tabernacula &c.* Omniáque SS. exercitia sine scabello instituamus. Flectimus coram Deo ! Exinanite usque ad profundum !

II.

SOlitariæ nostræ non deerant cœlestes deliciæ. Tœdium , & horrorem asperæ adeò vitæ, quem suggessit dæmon, acriter in seipsam sæviendô triumphavit S. Rosalia. Et nos ! O mi chare! Inter hilaria, & amœnitates confidimus de victoria? Quid stolidius ? Mollia ci-

tò cadunt. Stant firmiter heroica pectora. Qui corpus mulcet, pabulum sat pingue nutrit bufonibus. Corpus bene pastum rarò est castum.

Instructio meritoria.

Tœdium, & nausea rerum spiritualium ô quàm multos jam abstulit Christo! Rarò sumus sine illo. Ad arma ergò! Quàm primùm tœdere incipimus, ad ecclesiam, vel ad librum spiritualem, vel ad opus quoddam manuum confugiamus, clamantes ad Crucifixum: *Deus meus! Deus meus! Ut quid dereliquisti me!* Ut verò fortiter resistamus, ignem divini amoris, & Sancti Spiritûs imploremus per Lytanias de eodem divino Spiritu. O ignis, qui semper ardes, & nunquam extinqueris! O amor, qui semper uris, & nunquam tepescis! Accende me, & accendar, ut totus diligam te. S. August.

III.

INventum S. Rosaliæ corpus liberavit totam Siciliam à lue, & contagione truculentissimâ. Quis jam neget, ô fili! Vitam in austeritatibus, & in pœniten-

tentiâ transactam parere corporibus novum robur, & gloriam? O nos debiles! Quia deliciis assuescimus nimium! Dilecte! potemur potiùs de torrente voluptatis Divinæ, ut nil jam mundanorum deguſtare libeat venenatæ dulcedinis. Hæc enecat; illa ad vitam æternam excitat.

Instructio meritoria.

Patriæ multa debemus! Solvamus devotione debita, quâ singulis annis hodiernum festum solemniùs celebrabimus, aut sacrificandô, aut S. Synaxim suscipiendô, & Rhythmum illum ad Mariam persolvendo:

Stella cœli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis pestem quam plantavit
Primus parens hominum,
Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt
Diro mortis ulcere.
O glorioſa stella maris
Pestiferis succurre morbis

Aud

Audi nos, nam te filius
Nihil negans honorat.
Salva nos Jesu! pro quibus
Virgo Mater te orat, Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, & dixisti angelo percutienti populum tuum: sufficit, nunc contine manum tuam; ob amorem illius Stellæ glorioſæ, cujus ubera pretioſa, contra venenum delictorum noſtrorum quàm dulciter ſuxiſti: Præſta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peſte, & improviſa morte ſecurè liberemur, & à totius perditionis incurſu ſalvemur, per te Jeſu Chriſte, Salvator mundi, Rex gloriæ. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Exaudi nos quoque Deus, ſalutaris noſter, ut ſicut de Beatæ Roſaliæ Virginis

nis tuæ Festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur.

Festum S. Magni Abbatis ex Ord. SS. P. Benedicti Sueviæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

NOmen prodidit, quis fuerit hic Vir coram Deo & omni populo? Magnus videlicet à sanctitate vitæ, & plenitudine virtutis. Magni æstimari desideramus? Fili! ut simus, & cum veritate dicamur: Cur non laboramus? Hocne profiteri Christianum? Solo nomine. Re, & opere negamus.

Instructio meritoria.

Magna Christiani Nominis dignitas! Ne minuatur per nos, unum, vel alterum actum heroicum in abnegando appetitu concupiscibili, vel irascibili exerceamus, & ut superemus, in honorem S. Magni Psalmum recitemus: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* cum *tribus Pater & Ave.* SSS. Trinitas respiciet, & re-

respiciendô nos Magnos virtute, & gratiâ efficiet.

II.

PAuperes si vestire, si ditare non valeamus, dilecte! cum Divo Magno Verbum bonum, lene, & mansuetum petentibus demus cum charitate. S. Magnus cœcum sanavit utens B Petri verbis: *Argentum, & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine Domini Nostri Jesu Christi aperiantur oculi tui.* Dixit, & vidit. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* miraculîs.

Instructio meritoria.

IRasci, & indignari, si quid petitur à nobis, quàm indecens est! Inferamus hîc vim insulsæ, & petulanti naturæ, & nemini per octo dies negemus, quod justè rogati fuerimus. Pro satisfactione omnis indignationis nostræ recitemus officium de SS. Nomine Jesu. Hic utique docuit: Discite à me, quia humilis sum, & mitis corde?

III.

TErribilem interfecit draconem D. Magnus. Quô mediô? Precibûs, jejuniîs, & vigiliîs. His cedere debent & efferæ beſtiæ. Et ô rem miram! Pravam conſuetudinem, hanc, vel illam effrænem vitæ licentiam, vel paſſionem mediîs adeò potentibus tollere aut non volumus, aut iniquè deſperamus. Ah! cur vivimus fili! Si pravos habitus ita prædominari nobis permittamus?

Inſtructio meritoria.

Impoſſibile, duobus ſervire Dominis, Deo, & vitio. Quid agimus? Hanc vel illam paſſionem, aut inveteratam conſuetudinem per hunc menſem aggredi fortiſſimè ſtatuamus. Media ſint pietatis, & devotionis exercitia. Noſtrûm eſt, conſcribere opera; Venerabilis Patris ſpiritualis benedicere. Interim pro ſucceſſu felici aſſumptæ pugnæ quotidie poſt menſam cordi Jeſu ſuaviſſimo apud Sanctiſſimum ferventer pia commendemus propoſita addendo *quinque Patr. & Ave* cum Pſalmo: *Cùm invocarem exau-*

exaudivit me Deus. Cadat inimicus! Imperet anima!

Festum Glorioſiſſimæ Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Dilecte! Ad domum properemus Joachimi. Maria nata eſt! Exoſculemur, quam tota cœleſtis curia, & Ipſa colit, atque honorat ſacroſancta Trinitas. Pater ùt Filiam: Jeſus ùt Matrem; Spiritus Sanctus ùt Sponſam ſibi electiſſimam. Deus præceſſit: Non ſequetur homo totus dependens à Mariæ præſidio? Maria enim eſt ſolatium eorum, qui affliguntur; eſt ultio eorum, qui vexantur; eſt amictus eorum, qui ſunt nudi; eſt firma defenſio eorum, qui manè ad eam vigilant, quæ ſemper ſuîs fovet ulnîs devotos ſibi famulos. S. Theophil.

Inſtructio meritoria.

Et quî parvulam adeò præcelſam condignè venerabimur? Cantu Mariæ. Novies *Magnificat* orabimus, & inde gratulabimur benedictis parentibus SS. Joachimo,

chimo, & Annæ jungendo S. Rosarium de Mysteriis gaudiosis. Hæc dies, quam fecit Dominus, gaudeamus!

II.

NAscitur Principi cuidam filia, jam gratulationes audiuntur, festa instituuntur, munera offeruntur. O fili! Nata est mundi Domina! Lætetur cor nostrum, laudes dicamus Domino, & multîs pietatis obsequiîs diem tam sanctum, & millies benedictum transigamus, ídque non sine munere.

Instructio meritoria.

Sed ubi illud? Aurum, & argentum non petit Maria: bene puritatem cordis, & humilitatem. Ut exhibeamus, altaria Beatissimæ Virginis in templo visitemus, & ante quodlibet in veneration nem ætatis B. V. Mariæ *novem Pater & Ave* recitemus cum hymno: *Memento salutis auctor.* Vel in honorem 72. annorum, quibus S. Deipara vixit super terram, totidem *Ave* oremus. Auctrix peccati Eva, & auctrix meriti Maria.

III. O

III.

O Si tandem cordibus noſtris naſceretur Maria! ô ſi perfecta hujus cognitio! Ardens amor! Marianus zelus! Fervor Cherubinus! Sic Nativitas Mariæ foret & nativitas, ſeu regeneratio noſtra; quia per Mariam nova fierent omnia, nova in ſenſibus, nova in verbis, nova in corpore & anima. *Sicut* enim ô fili! *Omnes cecidimus per fœminam, ita non erigimur, niſi per fœminam.* S. Bern.

Inſtructio meritoria.

Non recedamus à domo Joachimi. In hac per recollectionē hodiernæ totius diei ſpecialem quieti, & ſolitarii perſiſtamus, & in honorem 72. annorum ac vitæ Beatiſſimæ Virginis totidem *Ave* cum 72. oſculis terræ peragamus. O ſi vitæ Mariæ reſponderet & noſtra! Et hujus quale impedimentum? Quia non verè diligimus Mariam, Hîc hîc reſpondeat tepiditas, & negligentia in cultu Mariano! Nulla nimium tenera Mariano obſequio ætas.

Festum S. Nicolai Tolentini ex S. Ordine Eremitarum S. Augustini.

EXHORTATIUNCULA I.

SPeculum desideramus admirandæ austeritatis? Intueamur vitam S. Nicolai, & videbimus non sine stupore. Hic utut sui exactor rigidissimus, tamen vixit semper hilaris, & jucundus. Vitæ rigor pacem, & spiritûs lætitiam non aufert, sed dat, & datam conservat.

Instructio meritoria.

Inter mundi gaudia cui unquam fuit, erit, vel est bene? Fili! attendamus, ne in victu, vel vestitu plus delectationis, & delicatæ commoditatis quæramus, quàm necessitatis, aut Christianæ paupertatis. Natura paucîs contenta est. Offeramus cum jucunditate spiritûs Deo unum, vel alterum mortificationis actum in mensa. Eâ finitâ visitemus Sanctissimum cum illo desiderabili Psalmo: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum.* Anima plus est, ubi amat, quàm ubi animat.

II.

O Quantum orationis ſtudium in S. Nicolao! Erat aſſiduum, atque ardentiſſimum. Ut interrumperet, invaditur à Sathana, miſerè vexatur, & flagellîs crudeliter cæditur. Orare tamen pergit Vir Domini. Dilecte! non hîs inſultibûs opus eſt, ut à precibus deſiſtamus. Sufficit unica diſtractio, & recedimus. *Oratio fervidam mentem requirit*, ait S. Chryſoſt. & ſi fuerit fidelis, humilis, fervens, cœlum penetrabit; unde certum eſt, quòd vacua non redibit. S. Bern.

Inſtructio meritoria.

Dum tempus habemus, oremus. Præveniamus lectulum ultimæ infirmitatis, ubi orare vix quidquam propter extremas, quæ nos prement undique, anguſtias poterimus. In compenſationem orationum toties neglectarum omnia Tria SS. Roſaria perſolvamus, ídque vel hodie, vel aliô opportuniori Tempore. Hîs roſîs ſternemus nobis viam pro patria cœleſti.

III.

O Qualem doctrinam audio ex ore S. Nicolai! *Qui semel a Domino discesserit*, ait, *nusquam erit contentus. Qui autem permanserit cum eo, possidet omnia.* Chare mi! An non stulta, & sordida nimium est avaritia, cum eo contentum non vivere, qui summa felicitas, & Beatitudo omnium Angelorum, & sanctorum consummata? Aliter ecstaticus Doctor S. Augustinus cordialiter, contestans: Æterne Deus! Te Credo, te spero, te laudo, te amo, adoro, ac benedico *sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum.*

Instructio meritoria.

Sumus in bono statu? maneamus. Non nostras calamitates fucatæ aliorum comparemus felicitati. Vult Deus, ut in hoc statu vivamus, non in alio, quem nos fortè optamus. Acquiescamus igitur voluntati Divinæ, & lætemur in Domino semper. *Cognovi* (effatum sonat Salomonis) *Quòd non esset melius, nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Ne

Dei

Dei obliviscamur, quinquies hodie communicabimus spiritualiter, præsertim ad utramque refectionem. Quinquies & Psalmum orabimus: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi.* Jesu! nolo vivere sine te.

Festum Sacratissimi, & Melliflui Nominis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

FLectamus genua ò Mariophile! quoties pronuntiabitur Nomen Mariæ. Non enim infortunium est ullum (loquitur S. Anselmus) non est periculum, quod non à nobis avertat hoc Nomen. O nos modicæ fidei! Cur Mariam non invocamus? Vult adesse cunctis obsecrationibus nostris, in cujus manibus verè reposita est omnium salus.

Instructio meritoria.

Desidiam emendemus, & Mariam jugiter imploremus. In reverentiam tanti Nominis, quoties illud audierimus pronuntiari, toties quàm humillimè inclinatô capite Matrem salutemus. Pro

opportunitate tamen temporis dicamus amoroſum Rhythmum: *Omni die dic Mariæ, mea laudes anima.* Vel cogitare Mariam, ſalutare eſt.

II.

GRande Nomen Maria! quis hoc offendere, contemnere audebit? O dilecte! Sæpe ſæpiùs offendimus, illud in vanum ſumendô. Heu! tremunt dæmones, dum audiunt: Et ad riſum, ad levitates applicet homo? Majeſtas Mariæ terreat, ſi Amor non alliciat!

Inſtructio meritoria.

Citò ſatisfaciamus! Deprecemur flexîs genibûs, corpore dein proſtrato culpam dicamus, novisque honoribus coronemus Natalizantem. Quibus? Quinque pſalmos oremus exprimentes quinque primas Mariæ litteras nimirum *Magnificat. Ad Dominum. Retribue* ſervo tuo. *In convertendo. Ad te levavi.* Porrò in cultum cujuslibet litteræ quinque actus exerceamus, & exercitos Ven. Patri ſpirituali extradamus poſt octavam peractam. Amor otiari non debet.

III. De-

III.

Devotè non potest nominari Maria, sine nominantis utilitate. Ita S. Bonaventura. En! causam teporis, & nauseæ sub invocatione Mariæ. Deest devotionis affectus; Ideò & dulcedinis fructus. Sed quid hoc? Nauseare Mariam. Fili! Ergò non nobis nota Catharinæ senensis sententia dicentis: *Maria est à Deo electa, parata, & posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines?*

Instructio meritoria.

Desidiam, & socordiam tantam non redimamus? Absit! Dies est, hora est, festivitas magna est: Non negligamus. Quoties ergò imaginem Beatissimæ Matris transibimus, mediô genu flectentes dicamus: *Dignare me, laudare te Virgo Sacrata!* In satisfactionem verò irreverentiarum omnia tria offeramus S. Rosaria in honorem quindecim Mysteriorum, quibus plurimùm honoratur Nomen Mariæ. Vivat Maria in corde! Vivat in ore!

Festum Exaltatæ S. Crucis.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! Amice! magni esse cupimus? Cupimus inter creaturas exaltari? Vitæ incommodis, paupertati, aliisque ærumnis imperare? Amplectamur S. Crucem, quam nostris imposuit humeris providus, misericors Deus. In Cruce miseria nulla. Sine ea semper maxima. Qui hîc flagellatur, ibi perpetuò lætatur. Abite jam momentanea hominum & sæculariter viventium gaudia! *Abite!* sum, ubi Crucifixus.

Instructio meritoria.

Adoremus nobile S. Crucis trophæum, & ut omni veneratione in orbe universo à piis Christianis honoretur, statim à manè, & primo excitationis signo versus quatuor mundi plagas genua flectamus dicentes: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum.* Recitemus & Hymnum ex Vesperis: *Vexilla Regis prodeunt.*

II. He-

II.

HEraclius Imperator ovans & triumphans ad proprium locum suîs humerîs sacram Crucem à Chosroa reportatam portare gestiebat. At urbem ingredi non potuit. Priùs purpuram, coronam, & calceamenta deponere debuit. Humilitas in servis placet cœlorum Regi. Et hæc virtus nunquid & nobis possibilis? Humilitate quid ditius? Quid pretiosius? Hac regnum cœlorum emitur. S. Bern.

Instructio meritoria.

Superbiunt non rarò & nostra capita! Ideò non mirum, quòd nondum in nobis transformatus sit Christus, & hic Crucifixus. Ut nos tandem humiliemus, nostrásque voluntates submittamus, omnes preces, adorationes Venerabilis Sacramenti, vel alias devotiones in Ecclesia inclinatô exemplariter versùs terram capite, ac submissîs oculîs instituamus oraturi pro opportuniori occasione officium minus de S. Cruce. Jesus pendet in Cruce! Et homo incedat elata cervice?

III.

CHare! ad Calvariæ montem ascendere cupimus? Nudîs pedibûs, & pœnitentiæ operibûs eò eluctemur, uti Heraclius. Cum Cruce Domini non stant affectus pravi, passiones, aut turbidæ propensiones. Nudi simus, necesse est, si divitias, & gloriam Jesu rapere & capere desideremus. O beatos pauperes spiritu! *Quanta* enim *beatitudo! pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere Deum debitorem?* S. Hier.

Instructio meritoria.

Dicamus igitur cum D. Paulo: Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce, in paupertate, humilitate, & obedientia Domini Nostri Jesu Christi! Quibûs virtutibûs ut ad cœlum usque tertium exaltemur, per octo dies quotidie coram Crucifixo genuflectamus, & *quinque Pater & Ave*, in honorem quinque SS. Stigmatum Jesu recitemus. Cum Jesu! cum Cruce Domini! cætera nihil ad nos.

Fe-

Feſtum Impreſſionis Sacrorum Stigmatum factæ Seraphico Patriarchæ Sancto Franciſco.

EXHORTATIUNCULA I.

O Gratum oculis ſpectaculum! Fili mi! S. Franciſcum cernimus vulneribus Chriſti rubeſcentem? Cernimus Jeſum, & Franciſco ſeſe quaſi incorporantem? Accurramus & nos & utrumque amoris oſculo ſtringamus, ſuſpirantes: Domine! intra vulnera abſcondas me!

Inſtructio meritoria.

Ut in amore plures ex omnibus religionibus prodeant ſeraphicæ, & erga Crucifixum Dominum vulneratæ animæ, ſubjungamus quotidiano Miſſæ ſacrificio *quinque Pater & Ave cum oratione: Reſpice, quæſumus Domine, ſuper hanc familiam &c.* Paſſio Jeſu, clamat S. Auguſt. quanta ſit, cogitate: Hanc in ſtatera cordis veſtri appendite; & totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in Cruce.

II.

S. Franciſcus in omnibus adverſitatibus non invenit efficacius remedium, quàm vulnera Chriſti. Aperta ſunt & hæc nobis! Hîc quieſcamus! Eſt & hocipſum Crucifixi conſilium, cùm ad quemdam jamjam è religione aufugere volenti dixit: *Omne aſperum intinge in vulnera mea, & erit tibi dulce.* Fili! ſonet & hæc vox in auribus noſtris! Vox enim hæc dulcis, & facies ejus decora. Cant. 2.

Inſtructio meritoria.

Contraria, & adverſa non deſunt. Sola deficit patientia. Ut retineamus, & in tribulationibus ſanctè gaudeamus, quinque decades hodie recitemus ex SS. Roſario, quarum primam applicabimus vulneri dexteræ Chriſti, & ſic de cæteris. Sit nobis ſicut amanti D. Bonaventuræ genuinè fatenti: *Non poſſum eſſe ſine vulnere, quando te video vulneratum.*

III.

O Dilecte mi! quinque & nobis ſunt vulnera in ſenſibus noſtris! Sed per quinque plagas Crucifixi perpetuæ

ſalu-

ſaluti reſtituti ſumus. Attendamus, ne noſtrâ incuriâ, ſenſuum laxitate, & appetituum petulantiâ iterum renovemus. Ex Sacris vulneribus proceſſit ſpiritus Jeſu, ſpiritus bonus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus fortis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans. Non depellamus irreverentiis!

Inſtructio meritoria.

Ne eveniat, quod timeo. En Mariæ conſilium, quod dedit S. Mechtildi. Ad hanc ſic Deipara: Filia! veni! & oſculare vulnera amantiſſimi Filii mei! Cordi meo fige tria oſcula cum gratiarum actione pro effluxu gratiarum copioſiſſimo in omnes creaturas. Oſculando vulnus dextræ, gratias eidem age, quòd fuerit cooperatrix tua in omnibus operibus: Lævæ, quòd fuerit hactenus aſſylon tutiſſimum in omnibus adverſis. Dextri pedis, quòd tanto deſiderio in te quærendo cucurrerit; ſiniſtri, quòd ibi inventura ſis veniam omnium peccatorum. Qualis hæc doctrina? Maria dedit. Exequamur! Hodie recitabimus officium de SS. Vulneribus Chriſti ex offi-

officiosa Ruth. Cum triplicando hoc amoris suspirio : *Domine Jesu! O Deus cordis mei! Per illa Sanctissima vulnera, quæ amor mei inflixit in Cruce, quæso, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

Festum S. Thomæ à Villanova ex S. Ordine Divi Augustini Archiepiscopi Valentini.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem in Thoma puerulum! Vidit pauperes; vidit & *nudos*. Quid amor suggerit? Sese propriis exuit vestibûs, & indigenti tribuit. Fili mi chare! Talia charitatis obsequia miramur! Si imitari non placeat, id saltem præstemus, ut proximum suô bonô Nomine, famâ, & honore denudatum ac privatum vestiamus verbîs consolatoriis, defensoriis, & propugnatoriis. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40.

Instructio meritoria.

Vix dies, ubi proximus non patitur in fama

fama per linguam mordacem, acuminosam, detractoriam, & injuriosam. Sit jam propositum firmum, stándi à dextris, & defendendi patientem. Nos autem ut eò firmiores in charitate erga proximum solidemur, duodecim actus hujus regiæ virtutis usque ad proximam confessionem reflexè exerceamus quotidie renovandô illa ardentissimi D. Augustini desideria: *Deus meus! misericordia mea! Oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiæ opera, pietatis studia, compati afflictis, consulere erroneis, subvenire egenis, succurrere miseris.* Hoc Alexipharmacum, quô natura reparabitur corrupta.

II.

QUid petere à Deo solebat hic sanctus? Nunquid honores? Amplas substantias? Redditus pingues? Dies hilaritatis, & jucunditatis? Amore Christi hæc contempsit, & deseruit omnia. Preces quotidianæ erant, ut scientiam sanctorum, & rectam vitæ, morúmque normam desursum obtineret. Fili, cur per multa vagamur, quæ-

quærendo bona corporis varia? Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Porro unum est necessarium, ut salvemus animas nostras.

Instructio meritoria.

Ut eò frequentiùs recordemur Domini Dei, & Christianæ obligationis nostræ, quâ tenemur declinare à malo, & facere bonum, quotidie ad elevationem S. Hostiæ in missa supplicemus pro solido peccati horrore, contemptu sæculi perfecto, & Cherubino Dei amore super omnia, subjungendo in fine *missæ septem Pater & Ave* pro lucrandis indulgentiis. Clausula sit devotus hic gemitus: *O infinita Sapientia! Da mihi veram sapientiam, & scientiam sanctorum, ut te in veritate cognoscam, ac toto corde diligam.*

III.

Misericordias erga afflictos S. Thomæ quis enarrabit? Fili! nemo poterit; quia stupendæ, & admirabiles. Omnia, etiam ipsos Ecclesiæ reditus dispersit in egenos, adeò, ut ne quidem ei lectulus supereſſet, dum lu-

ctan-

ctandum cum morte. Amor! liberalitas! Misericordia erga pauperes ubi es, si non inveniaris in cordibus Christianorum? *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Act. 20. neque *homo aliquid tam divinum habet, quàm de aliis bene mereri.* S. Greg. Nazian.

Instructio meritoria.

Probemus vel hodie, quòd & in nostris resideat cordibus charitas erga miseros, & clementia. Demus, quantum possumus, omnibus, quotquot eleemosynam petierint hodie à nobis. Si pecuniæ non sint, dimittamus saltem in bono verbo, & in Nomine Jesu memores illius: *Aurum, & argentum non est mihi.* Si sint, extendamus manum ad pauperes, & nostrâ liberalitate foveamus eos. Item & in cibis, aut potu aliquid relinquamus mentaliter dicendo: *Jesu! tibi, & miseris! Nunquam est vacua manus à munere, si arca cordis repleta sit bona voluntate.* S. Greg.

Festum

Festum S. Matthæi Apostoli ex Telonio prodigiosè ad conversionem vocati.

EXHORTATIUNCULA I.

SEdet, & otiatur Matthæus in suo telonio. Non patitur Jesus, extremus pigritiæ, otii, & tepiditatis osor. Fili! ut quid & nos stamus otiosi in via virtutis? Non sedere, non pigritare & quiescere, sed laborare, certare, progredi oportet. *Tempus seminandi nunc est; colligendi verò post hanc peregrinationem. Prout unusquisque seminaverit, metet.* S Laur. Just.

Instructio meritoria.

Prô! quid agimus? Cur non jugiter ad montem pergimus magnæ sanctitatis? Cur stertimus pigri? Salvari oportet, ubi? In monte. Et terræ affigimur? Unde hoc? Quia nullum servamus vivendi ordinem. Emendemus ò chare! & imposterum totius diei agendorum semper nobis præfigamus certam rationem, & distributionem. Secùs ex improviso nos improvisus otium

otium præveniet, multas merendi horas auferet, & Deo, proximo, atque nobis prorsus inutiles reddet. Id ne Deus permittat, tres extraordinarias visitationes Sanctissimi Altaris Sacramenti instituamus, ubi S. Augustini preces innovabimus rogantes: *Reseca in me Factor mei! otiositatem, somnolentiam, pigritiam, & mentis hebetudinem.* Fili! Usque quò de somno, de otio consurgemus? Surgamus! grandis enim nobis restat via.

II.

AD duo verba: *Sequere me.* Matthæus convertitur ad Dominum, pro cujus amore & vitam posuit. Fili! quotidie transit, videt, & aspicit, vocat, & invitat Jesus. Sed quæ nostra ignavia? A telonio, à vanitatibus, & gaudiis sæculi necdum avelli possumus! Verum *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* 1. Cor. 16.

Instructio meritoria.

Avelli à stultitia hujus sæculi non volumus in vita: Ergo avellemur in morte.

te. Sed ò quàm nimis dura hæc nobis eveniet avulsio! Non volumus audire: *Sequere me.* Ergo dulcius erit tonitru: *Ite maledicti.* Quàm necessaria proin nobis voluntatis nostræ abnegatio! Pro hujus praxi, & exercitio studeamus hodie ad omnia divina officia, sacra exercitia esse inter primos, nostroque fervore & exemplo quoque allicere alios ad parem devotionis, & abnegationis affectum. Pro quo obtinendo *duodecim Pater, & Ave* recitemus cum totidem *Gloria Patri &c.* & osculis terræ. *Nosse Deum, consummata justitia est; & scire justitiam, & virtutem Ejus, radix est immortalitatis.* Sap. 15. 3.

III.

UT Nomen, & prodigia Christi dilataret, Evangelistam induit S. Matthæus, Evangelia conscripsit, & æthiopes (ò gentem barbaram!) docuit. Fili dilecte! Non exigitur à nobis, ut S. Evangelia conscribamus; Sed ut his conformiter vivamus, & promptè obediamus. Scrutemur jam conscientiam! Videamus, quæ vitæ nostræ ratio? Nam

id agendum est, ait D. Chrysostomus *ut vita nostra Evangelio respondeat.*

Instructio meritoria.

Sub lectione SS. Evangeliorum ò ubi nostra interdum sunt corda? Erubescimus fateri. Summa his reverentiam, timorem, & fidem debemus, Igitur & reddamus standô posthac ad eorum lectionem in magna animi recollectione, & Deum rogandô, ut verba Evangelica exeant in omnem terram, & convertant obdurata hominum pectora. Pro clausula ad implantandam infidelibus fidem catholicam recitemus *officium de SSS. Trinitate* cum affectu suspirante: *Domine! auge nobis fidem.*

Festum Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani Thavmaturgorum.

EXHORTATIUNCULA I.

CHare fili! Infirmi sumus? Ad medicos curramus. Monstrat hos nobis dilecta parens Ecclesia in Sanctis Cosma, & Damiano. Nostra igitur eis pandamus vulnera! ostendamus & ani-

mi ulcera! Placebit hæc nostra confidentia. In meritis, & patrociniis sanctorum salus nostra. Quærimus alibi? Perdemus! Inveniemus nunquam.

Instructio meritoria.

Sed quomodo vulnera pandemus, si intima rarò, aut nunquam inspiciamus? Si examina ordinaria frequenter negligamus? Emendemus nos, & per octo dies jugiter occupemur in exercitio nocturnæ discussionis, descendamus intra propriam conscientiam, & 15. *Pater & Ave* cum *Te Deum Laudamus* nobis ipsis imponamus in regularem pœnitentiam. Cor si non offeratur humiliatum, non dimittitur peccatum.

II.

BEnefacere proximo, magnum pietatis opus est. Consolari infirmos, divinæ Charitatis. Sancti hi Medici & succurrerunt, & gratis sanarunt omnes, & singulos, quotquot languebant corpore. Quid nos? Bone fili! jam nauseamus, si vel à longè ægrotos intuemur, aut de his quid narrari audimus. O delicatos! O molles nos! Heu! privabi-

vabimur illô dulcedinis verbô: *Infirmus fui, & visitastis me.*

Instructio meritoria.

Opera facimus multa: Humaniter conversamur cum proximo; Dulciter alloquimur, juvamus, & consolamur. Quô fine? O si gratis! O si sinè respectu ad propria commoda, sine reflexione ad majorem sui æstimationem, & favores lucrandos hominum! Infelicia lucra! His perdimus cœlum, Deum, omnia. Assuescamus igitur rectæ intentioni, quam hodie præcipuis diei operibus præfigamus hac tesserâ: Domine! *Tu scis, quòd amem te.* Fiat adoratio Sanctissimi clausis oculîs, & erectîs manibûs per unum quadrantem. In fine addatur *officium* de mellifluo Ven. Altaris sacramento. Quoties cupimus, Jesus se nobis conjungit: Thesaurum aperit, quotiescunque indigus supplicat homo.

III.

NEc mirum, quòd levem mercedem ab hominum manibus recusaverint hi Martyres constantissimi. Majorem,

& quidem immortalem sperabant à Domino, quam & obtinuerunt martyriô. O fili! Sursum cum cordibus nostris! In terra non nisi expectanda afflictio; ibi sola, & perpetua invenitur consolatio.

Structio meritoria.

Quidquid acceperimus, aut donaturi simus aliis, prius superioribus exhibeamus, aut in horum absentia, manibus Jesu, Mariæ, & S. Josephi præsentemus, supplicantes, ut bene † dicere, & sanctificare dignentur intenta munera. Ad exuendum verò omnem proprietatis affectum hodie, & singulis solemnioribus Festis renovare statuamus religiosa vota, quæ claudemus cum *Te Deum Laudamus*. Sacrificium promptæ, & piæ voluntatis, est coram Deo magnæ sanctitatis.

Festum Glorioſissimi Principis, & Archangeli S. Michaëlis, Protectoris Ecclesiæ potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! unde S. Michaëli tanta in cœlis gloria? Nunquid à profundissima sui

sui submissione, & humilitate? Non est locus in cœlo superbis, & elatis corde. Hos fugiamus, & SS. Michaëlis humilitatem sequamur clientes humillimi.

Instructio meritoria.

Humilitas traxit desursum Dei Unigenitum; Humilitas peperit; Humilitas in cruce exaltavit. Et tamen tam modico pretio virtus adeò divina est in cordibus hominum! Ut nos feliciter obtineamus, per octo dies formulam S. Michaëlis semper flexîs genibûs peragamus cum *Lytaniis* de SS. Angelis, & Archangelis. *Angeli* præsunt hominibus; Archangeli præsunt angelis, & hæc in hominis adjutorium.

II.

Filli! quid hodie cernimus? Michaël, & angeli ejus præliantur cum draconе, quem & in profundum dejecerunt. O nos modicæ fidei! Jam ligatus est ad orcum cerberus infernalis, & quid? Pugnam timemus? Victoriam, & triumphum desperamus? Stemus generosi, chare fili! Et pugnandô, amandô, atque perseverandô triumphemus. *Ni-*

titur quis fruſtrà, niſi innititur. S. Bern.

Inſtructio meritoria.

O ſuggeſtiones diabolicæ! Quis verò numerabit? Ubique prælia! Undique timores! Sed angelus, & Deus pacis nobiscum. Ut nunquam ſuccumbamus, in honorem novem Chororum Angelicorum per hanc octavam dicamus novies *Te Deum Laudamus.* Gaudium angelorum eſt laus Dei, præſertim continua.

III.

O Fili! judicio illi tremendo aſſiſtet S. Michaël. Quis eum non timeat, & timendô honoret? Ah! quid tunc dicturi? Aut quid facturi ſumus? Nihil tunc divitiæ! Nihil ſcientiæ! Sola piè facta proderunt. Hæc cogitans Vir ſecundùm cor Dei S. Job, tremulus interrogat: *Quid faciam, cùm venerit ad judicandum Deus, & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* Cedri nutant: Quid cum palea?

Inſtructio meritoria.

Cor purum, & conſcientia bona, ac quietu

quieta S. Michaëli est acceptissima. Hanc solam si portaverimus ad tumulum, non habebimus, quod timeamus in conspectu Judicis. Ut perpetuò possideamus, ô S. Michaël! suscipe omnes Dominicas dies, quas, per singulos annos tuo amori specialiter consecratos volumus, & nobis constituimus. Confirmabimus aut unà in hunc finem directâ S. Communione extraordinariâ, aut S. Rosariô duplicatô, ut Archifraternitas tua aliàs celeberrima in omnes transeat populos incrementô maximô. Denique dicamus Psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt Nomini sancto ejus.* Demus Angelis & Archangelis aliquod tempus vitæ nostræ, ne vanitas, aut oblivio devoret.

Festum S. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris illuminatissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! ad speluncam Bethlehemiticam nobiscum! Cernemus ibi S. Hieronymum divinis studiis, & contemplationibus penitus immortuum. Ah!

quando erit finis vanitatum, & stultitiarum nostrarum, quibus diu, ac noctu inhiamus? *Nihil crus sentit in nervo, dum animus est in paradiso.* Tertull. Nemo inspexerit cœlum, quin terram spernat, cœlum cupiat, Deum amet, adoret, & timeat, sibíque dicat: *Quid cum terra illi, qui possidet cœlum?* Chrys.

Instructio meritoria.

Sed quid interrogamus de fine? Hodie cras nesciat! elevemus mentem & cor nostrum, quò vocat Deus. Quô mediô? Quadam recollectione speciali per mediam horam continuanda, & à *Lytaniis Sanctorum omnium* inchoanda. Sit *nobis oppidum carcer, & solitudo paradisus.* S. Hieron.

II.

Dilecte mi! Hieronymus deserit Romam, ubi mirô colebatur honore. Maluit vir Domini latere, quàm ab homine æstimari. O chare! quò longior ab hoc sæculo, eò conjunctior Deo, & cœlo. Fugiamus & nos. Non fidamus hominum judicio. Aliter opinan-

nantur sensus; aliter Deus. Quod mundus honorificum censet, sæpe in oculis omnia videntis vile, & abjectum est.

Instructio meritoria.

Profectò laus magna deserti, ut diabolus, qui in paradiso vicerat, in eremo vinceretur. Nec semel sufficiat, eum succubuisse. Expedit, ut quotidie nostrâ triumphetur virtute. Studeamus hodie occultæ vitæ, & pro impetrando omnis mundanæ, & humanæ laudis contemptu perfecto oremus in honorem duodecim graduum humilitatis in Christo Jesu 24. *Pater & Ave* cum Psalmo: *Domine! non est exaltatum &c.* sub hac tesserâ: *Nemini placere cupio, nemini displicere timeo. Est solus Deus, quem quæro, & diligo.*

III.

Dilectissime! quid sibi in manibus S. Hieronymi grande saxum? Cur pectus rubescit? Itáne sanctus judicem timet? Veniam peccatorum supplicat. Sumus & nos parati? Instat reddenda ratio. Ad hanc nos reflectamus! contremiscamus! rejiciamus mundi memo-

riam! amplectamur Crucem! properemus ad pœnitentiam. Hoc sapere cum D. Hieronymo est.

Instructio meritoria.

Mortis ut recordatio sit nobis frequentissima, commendo pietati quotidianam defunctorum in cœmeterio visitationem, ubi sæpius pro generoso sæculi contemptu, & radicato Dei amore recitabimus aut dolorosum Rosarium, aut Vesperas ex officio defunctorum, aut preces alias in hunc finem pro solatio animarum ordinatas. Miseremini! *Miseremini!* Agitur & de propria anima!

OCTOBER.

Festum Sanctissimi, & ter Benedicti Mariani Rosarii.

EXHORTATIUNCULA I.

QUanta hodie Festivitas! Dominica quanta! O fili! Verè nominanda victoriæ dies! Quia solemnitas agitur, quâ innumera in mundum invecta sunt beneficia per SS. Rosarium. Mundus ubi esset, si S. Rosariô suô labenti

benti non succurrisset Maria? Ubi essemus & nos?

Instructio meritoria.

Agnoscamus charitatem, & maternam providentiam, quâ corpus, & animam nostram hactenus suffulsit pia Mater Maria: Et in gratiarum actionem tria SS. Rosaria quàm devotissimè ad aram illi offeramus, & quidem manibus SS. Patrum Benedicti, & Dominici sacratissimo Rosario addictissimorum. Verè Deipara suâ pietate, charitate, præsidiô, ac patrociniô omnia potest ex dono Filii, à quo omnipotente omnipotens est effecta. Rich. à S. Laur.

II.

FIli! fortè nescimus potentiam SS. Rosarii? Ex ore intelligamus Mariæ ita B. Alanum alloquentis: *Scias velim, quòd, si Ave Maria devote peragatur, hoc sit signum certæ prædestinationis ad futuram gloriam.* Hæc non excitent ad devotionem ardentissimam? O quàm magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Maria diligentibus se!

Instructio meritoria.

Doleamus de nostra socordia, incuria, & negligentia, quâ non rarò salutavimus Mariam. In satisfactionem ad signum salutationis Angelicæ orabimus flexîs genibûs, erectîs manibûs, & clausîs oculîs. Pietas, & attentio probat Mariophilum. Addamus quoque *quindecim Ave* pro augmento fervoris circa salutationem Angelicam.

III.

O Qualis & dulcedo latet in SS. Rosario! Gustavit Alanus, *dum dixit: Quoties dico: Ave Maria! toties exultat cœlum, aufugit dæmon, infernus contremiscit, devotio crescit &c.* En! in promptu causam, quòd nos ita steriles in oratione. Ore colimus Mariam! & cor est longè ab ea. Nec momentum, ubi Mater non recordatur suorum, & recordandô benefacit. Et tamen inter filios Evæ tam vilis & modica Mariæ memoria.

Instructio meritoria.

Cor dissipatum revocemus, & soli Matri immolemus. Deprecemur prostrato

ſtrato corpore diſtractiones, & negligentias, firmúmque cum Maria ineamus pactum, nullam jam amplius transigendi diem ſine recitatione S. Roſarii: Chare mi! Integræ horæ, dies, & noctes impenduntur vanitatibus, corpori, ſæculo! Ah! & nec quadrans inveniatur pro cultu Mariæ, & conſolatione noſtræ afflictæ animæ? Certè offendimus Matrem, quæ ſemper bona eſt hominibus, quia per Ipſam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipſam conſequuntur veniam. Bona Juſtis, quia per Mariam obtinent perſeverantiam. S. Vinc. Ferr. Dicamus *Te Mariam laudamus &c.* applicando Hymnum SS. Ambroſii, & Auguſtini Nomini B. V.

Feſtum S. Franciſci Seraphici Familiæ Humillimæ Fundatoris celeberrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

UNde tam mirabilis ſanctitas Franciſco? Contemptu ſæculi. Rejectis etiam veſtibûs ceſſit omnia bona pa-

tri, ut cum veritate profiteri posset: *Pater noster, qui es in cœlis.* O nos terræ immersos vermiculos! quando sursum tendemus? Quando in Patrem nobis constituemus Deum? *Unus Deus est Pater omnium*, ad Eph. 4. *Sæviat, quantum vult, Pater est. Sed afflixit nos? Sed contrivit nos? Pater est.* S. Aug.

Instructio meritoria.

Non moremur Fili! Et ut Deum Patrem æternum, cœlum, ac beatorum gaudia cum S. Francisco plus æstimemus, quàm cuncta transitoria, assuescamus hanc ipsam singulariter efflagitare gratiam, quoties mensam frequentamus angelicam. Tunc tempus acceptabile! Tunc dies propitiationis, & misericordiæ! Pro renuntiatione mundanorum perfecta offeramus 34. *Pater & Ave* cum renovatione formulæ S. Professionis. Consurreximus cum Christo! quæ sursum sunt, quæramus, teneamus!

II.

O Quantum profuit S. Francisco amore Christi, reliquisse omnia! Inde enim orta est intima cum Deo unio, amicitia,

citia, & individua familiaritas. Hinc illa dulcedinis Verba: *Deus meus! & omnia!* Adeò eſt dulce, ſeparari à ſæculo, & paupertate conjungi Domino. Æquè beatus eſt, qui, cùm nihil habeat, cupit nihil præter Deum, quàm qui habet omnia, quæ cupit extra eum.

Inſtructio meritoria.

Fruſtra, ſtultè, inaniter quietem quærimus in rebus creatis: Ad Deum properemus! Si hodie recreationi, refectioni, vel alteri honeſtæ interfuerimus relaxationi, mentem elevemus, rectam intentionem innovemus, ſpiritualiter communicemus, Deique intimè nobis præſentis vivâ fide recordemur cum D. Auguſtini proteſtatione: *Jeſu! ubi es? Tædeat me gaudere ſine te! delectet me abſtinere, & multa pati pro te. Nomen tuum mea refocillatio! memoria tui mea unica conſolatio.* In fine recreationis recitemus pſalmum *Miſerere* cum *Laudate pueri Dominum.*

III.

FInem amor neſcit. Amavit Franciſcus: Sed plus Franciſcum Chriſtus

ſtus Dominus, qui & ſua prodigioſa amanti impreſſerat ſtigmata. Accurramus, fili! exoſculemur! Nos, & totam Seraphicam Familiam intra eadem abſcondamus! Gaudium magnum prodiit in mundo, dum Fundator tanti ordinis illuxit Eccleſiæ. O cœlum! In neceſſitatibus quando tua unquam nobis defuit providentia?

Inſtructio meritoria.

Nunquam defuiſſe, agnoſcunt tot convulſæ hæreſes; Conteſtantur tot regiones, & provinciæ ad Chriſtum converſæ; profitentur & innumeri ad pœnitentiam reducti peccatores miſeri. Id & nos agnoſcamus, & in gratiarum actionem intonemus: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Jungamus & officium minus de S. P. Franciſco Seraphico pro totius Seraphicæ familiæ incremento. Hilarem Datorem diligit S. Franciſcus.

Feſtum

Festum Triumphantis, & glorioſè in cœlo Coronati Martyris ex Ord. S. P. Benedicti Placidi Sanctiſſimi cum Sociis beatiſſimis cum indulgentiis plenariis.

EXHORTATIUNCULA I.

Miremur prodigioſam in Juvene Divinam Providentiam. Jam ab aqua videbatur ſuffocari, liberatur accurrentis ſubito S. Mauri obedientiâ cæcâ. Dixiſſem & fraternâ charitate, quam nec aquæ extinguere valent. Dilectiſſime! Mutemus corda cum cordibus SS. Placidi & Mauri. Aliô tunc regemur ſpiritu, ſpiritu Chriſti, qui poſuit animam pro ovibus ſuis.

Inſtructio meritoria.

Vivimus incolumes, ſani, & integri: Cujus beneficio? Divino. Hoc nos conſervante, ò quanta evaſimus pericula! Qualia & tranſivimus mala! In compenſationem dicamus Lytanias de omnibus Sanctis ex S. Ordine Magni D. Benedicti, quas in Trithemio inveniemus dulciſſimas. Commendemus porrò

rò functiones, & quæ restant, agenda negotia S. Placido. Magna potuit ut Juvenis coram Domino: Quid poterit ut Martyr?

II.

Dilecte! Quid legimus hodie de viro tam mirabiliter benedicto? En! Breviarii formalia verba: *Nihil S. Placido placidius; Nihil humilius; Prudentiâ, gravitate, misericordiâ, & animi perpetuâ tranquillitate superabat omnes, & singulos.* O virtutes! Quàm necessariæ & nobis! Fili! ad cœlum properamus; Nec cœli viam tenemus: Ubi prudentia nostra? Bene Eucherius: *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant.*

Instructio meritoria.

Abjiciamus cætera! Deo & virtuti intendamus cum S. Placido. In hunc finem ordinemus sacramentalem Communionem hodiernam cum *Lytaniis de omnibus Sanctis* Ecclesiæ triumphantis. Non est multum, quod sanctis offertur, & impenditur. Majora possumus.

mus. Tantùm probemus! amanti difficile nihil.

III.

STernuntur fratres, occiduntur in passione socii, & pretiosi comites: Nec S. Placidus cedit. Vir erat zelô magnus, major tamen fortitudine, & patientiâ, quibus & socios animavit ad constantiam, & in mortem allexit glorioſam. Tam nobilem quid admiramur pro fide, & Deo oblatam victimam? Et noſtra expectatur, prompta & fortis magna pro cœlo patiendi voluntas. *Non est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat.* S. Aug.

Instructio meritoria.

Surgamus à socordia! Magna audeamus; Nam Dei gratia nobiscum! quam ne in vacuum recipiamus, aut penitùs amittamus, specialiter redeunte singulîs annîs hoc solemni Festô, recordemur indulgentiæ plenariæ, vota renovemus religioſa & sanctum Martyrem Placidum, ut plurimos lucretur Christi socios, præmissâ abstinentiâ, sacramentali confes-

sione.

sione, & accuratâ mentis recollectione veneremur, pro beneficio vocationis addituri psalmum: *Benedic anima mea Domino.* Beati mundo corde, quoniam Deum, & Sanctos videbunt.

Festum S. Brunonis Fundatoris Carthusianorum Fœcundissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Chare! si & nos nosceremus, quanta suavitas in vita solitaria, profectò desertîs urbibûs, mundi abjectîs omnibûs pompis & deliciîs convolaremus ad eam! In hac mundus saluti nostræ infensissimus profligatur. In hac nihil ad peccatum; Ad virtutem, & sanctimoniam verò pelliciunt omnia. O si vel hodie S. Bruno nos in sui, & suorum traheret exemplum, & sequelam! Jucundius nihil in orbe terrarum, quàm solum cum solo colloqui Christo!

Instructio meritoria.

Ne fiat, fortè retrahit corpus? Aut mundi amor? Sed dirumpamus hæc vincula, & ut solidè, in honorem S. P. Brunonis abstineamus ab una, vel occasione

sione alterâ, ubi mens, & animus posset dissolvi periculosiùs. Hujus autem loco visitemus Deum in templo Evcharisticum, qui dulciora ad cor loquetur, quàm vanus homo. Fiat! Fiat! O fili! Ne cor dividatur inter Jesum & mundum. Solitarii oremus hymnum ex festo dedicationis Ecclesiæ : *Urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio &c.*

II.

S. Brunoni non sufficiebat, solitariâ vita profligâsse mundum. Perpetuô insuper ciliciô carnem aggreditur petulantissimam. O Bone fili! Ne tantùm nos amemus, ut credamus, pœnitentiam solis convenire sanctis. Nos indigemus maximè, quia adhuc delicati, & molles. Odium erga inimicos prohibuit Deus; erga corpus & carnem, mandat & imperat. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Instructio meritoria.

O quàm multa, & magna sunt peccata nostra! Quàm modica verò pro his satisfactio, & pœnitentia! Mulcemus cor-

corpora tot malorum instrumenta. Si cilicia, si flagella, si jejunia, aut vigiliæ nobis non placent; id saltem amore salutaris agamus pœnitentiæ, ut hodie in omnibus adversis, & naturæ contrariis nos Divinæ voluntati conformemus cum dicto: *Domine! digna factîs recipio. Tibi honor & gloria.* Amor mortificationis ut regnet in membris nostris, flectentes coram Crucifixo oremus officium de *quinque SS. Vulneribus.* Dabitur! Ecce! jam aperta sunt in hominis obsequia.

III.

S. Bruno nec diabolo cessit, imò solis stravit precibûs. His quis locus opportunior solitudine. Huc fugiamus, ut inferorum evadamus laqueos. Vidimus satìs contradictionem, scandala, aliáque centena peccandi pericula in Babylon, corruptô sæculo. O si nos tandem cum Davide resolveremus dicendo: *Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

Instructio meritoria.

Sed de loco quærimus? Ubique nobiscum

biſcum eſt. Ambulemus in devota recollectione mentis, & præſentia Dei : Et erimus in ſolitudine cum Deo. Caveamus, ne nos negotiis immiſceamus alienis, aut diſpoſitionibus ad nos nihil pertinentibus. Inde ſumma, & continua animi, & mentis turbatio. Pro incremento Ordinis florentiſſimi, & Eccleſiæ faluberrimi unam offeramus SSS. Trinitati Sacramentalem Communionem. Oremus pro filiis : Et orabit S. Bruno pro devotis clientibus.

Feſtum S. Franciſci Borgiæ Inclytæ Societatis Jeſu Generalis Humillimi.

EXHORTATIUNCULA I.

DUx hic Gandiæ mortuum vidit Iſabellæ Imperatricis cadaver : Jam mundi deſerit vanitatem, aulam contemnit, & ſanctiorem vitam decernit. Cur tam rara in nobis mortis recordatio, & memoria? Fili! & hoc ideò, quia ad Dominum nolumus converti ſeriò. In morte optabimus : ſed non dabitur. Væ imparatis! Juſto Dei judicio accidit, ut,

ut, qui ſe parare, cùm poſſet, noluit, non poſſit, cùm velit.

Inſtructio meritoria.

Ut memoriam mortis implantemus nobis quotidianam, ad cœmeterium pergamus, vel in cubiculo noſtro quid de noviſſimis pro noſtra pietate, & induſtria legamus. Viſitatio ſepulchrorum, & lectio, aut conſideratio mortis quàm plurimos jam traxêre ad cœlum. Ut & nos, oremus *preces* de Agonia Domini Jeſu pro Feria ſextâ recitari ſolitas. Agonizari cum Jeſu, quanta felicitas!

II.

IN negotiis ſummis ſive pro bono Eccleſiæ, ſive Societatis inclytæ augendô jejunia, catenas ferreas, cilicia aſperrima, & cruenta verbera præmiſit, quibûs ſe, & corpus ſubigeret Chriſto. O quæ hæc noſtra confuſio? Grandia negotia non requiruntur in nobis ad hoc, ut in pietate, precibus, aut functionibus conſuetis deſiſtamus: Sufficit una diſtractio, aut levis turbatio. Meticuloſitas hæc eſt, quæ magna præſtabit nunquam. Ceſſa-

Ceſſare, & deſiſtere ante conſummationem, ſummæ ignaviæ eſt. Cœpiſſe non attenditur : Conſummaſſe coronatur.

Inſtructio meritoria.

Ut ergo mi fili! evadamus in ſtrenuos vineæ Chriſti, & Sacræ Religionis noſtræ operarios, transeat in honorem S. Franciſci tota dies hodierna in continuis laboribus, & functionibus ſacris. A precibus incipiamus, & pro augendo zelo omnium religioſorum oremus *Graduales Pſalmos.* Devota, fervens, & charitativa oratio aſcendit ſemper.

III.

IN mediis mundi deliciis, gaudiis, & tripudiis vitæ genus agebat duriſſimum hic Vir ſanctiſſimus. Si eſſe cum ſexu nobili altero oportuit, cingulum ferreum induit. Hic mos Sanctorum, dum inter pericula. Quis noſter? O ſi huic impoſterùm ſimillimus! Fili! Sanctitatem æſtimamus? Amittemus, ſi occaſionem non citò fugiamus. *Ecce hoſtem! Quem fugiſſe, viciſſe eſt.* Eus. Emiſſ.

Instructio meritoria.

Fugere fœminas non possumus semper; conversari tamen liberiùs, expedit nunquam. Ne inquinemur à pice, ne & à curiositate, ac falsitate rapiamur hujus infausti sæculi, corpus duriùs habere incipiamus. Non cauſemur mollitiem, aut habitus rebelles. Nulla mollities, vel habitus tam radicatus, quem sacrum sui odium mutare, & enervare ac evellere non potest. Poterit immutare & nos, modò manum applicemus. Igitur præveniamus labendi pericula, & ne unquam incidamus, per unam hebdomadem quotidie *aliquem* ex *psalmis pœnitentialibus* devotè oremus. Non incidet in foveam, cui ubique comes est humilis pœnitentia.

Solemnitas Seraphicæ Matris S. Theresiæ ex Mariano Ordine de Monte Carmeli.

EXHORTATIUNCULA I.

O Charitatem S. Theresiæ! Hæreticorum, aliorúmque peccatorum tenebras perpetuîs deflebat lacrymis, atque

atque ad placandam Divinæ ultionis iram voluntarios proprii corporis cruciatus irato Domino pro eorum ſalute obtulit. Imò purgatoriis incendiîs ad extremum usque judicii diem cremari petiit, modò vel unus ſe converteret ad Deum peccator. Qualis, ò dilecte! hic ardor? Sancti, perfecti amoris. Eſtne & in nobis?

Inſtructio meritoria.

Erit, ſi vel hodie ſtatuamus, nullam poſthac tranſigere diem ſine ſpeciali, & expreſſâ peccantium, & neoconvertendorum memoria. Id præſtemus ſollicitè ad illum verſiculum: ℣. *Divinum auxilium maneat ſemper nobiscum.* ℟. *Et cum miſeris peccatoribus. Amen.* Pro horum ſalute offeramus *Curſum Marianum. In Manibus Mariæ verè repoſita eſt noſtra ſalus. Recordatur miſeriæ noſtræ. Et quem Ipſa vult, ſalvus erit, & à quo vultum avertit ſuum, vadit in interitum.* S. Bonaventura.

II.

AMor probatur ad lapidem Lydium, firmatur inter adverſa, & contra-

ria. Probata eſt & S. Thereſia, dum experta ſibi adverſarios potentes ſæculi viros, & principes. Non timuit Virgo. Omnia & majora pati parata pro Sponſo, & hoc Crucifixo. Fili! ad omnia vix non terremur. Vivimus plerumque, non, ut patiamur, ſed ut oblectemur. Quæ hæc vita? Flamma nutritur oleô, generoſus animus patientiâ. Multa ſuſtinere ab homine ſi non recuſemus, parum eſt; lætari etiam oportet, quo nobis moleſtior, vel infenſior ille.

Inſtructio meritoria.

Mutemus vitam, & aut cellæ, aut pulpito, vel (quod ſanctius) ipſi cordi inſcripta portemus S. Thereſiæ verba, ac deſideria: *aut pati, aut mori.* In Chriſtiana fortitudine ut emineat Marianus, & inſignis Ordo de monte Carmeli, opera hodiernæ diei donemus Mariæ per manus S. Thereſiæ. Non perditur, quod Ordini tam ſancto impenditur.

III.

MOrs omnium terribiliſſimum, etiam Sanctis. Ecce! Virgo tam ſancta, SSS. Trinitatis electiſſima ſponſa!

sa! Ecce! Mater hæc Seraphica contremiscit tota, seque semper miserrimâ peritura morte existimat, quamdiu à cœlesti vitæ æternæ fonte abesset. Dilecte fili! quid agant jam peccatores, quales nos sumus?

Instructio meritoria.

Scio, quid agendum. S. Theresia docuit. Votum emisit (ò quàm arduum inferiori homini!) efficiendi semper, quidquid perfectius esse intelligeret. Votum hoc non petit à nobis Deus, benè firmum propositum, omnia nostra, quæ hodie assumenda, sacra exercitia peculiari fervore, recollectione, & accuratâ inchoandi, & finiendi attentione. Gratia Dei nobiscum, si hoc observaverimus. Verùm ut & frigidum cor nostrum Angelus S. Theresiæ suô ignitô amoris transfodiat jaculô, in privatô quôdam cubiculô flexîs genibûs, aut officiô minore de eâdem Sancta (si tamen ad manum:) aut Lytaniis majoribus Seraphicam venerabimur Matrem. *Non recusabitur labor, ubi amor*

amor est; *Quoniam qui amat, non laborat.* S. Augustt.

Festum S. Galli Abbatis Alemanniæ Apostoli Spiritu Dei plenissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta in nonagenario senecione vitæ sanctioris documenta! Vitam duxit perquàm arduam, quia rigidissimam, assiduô jejuniô, & ferreâ catenâ suam excrucians carnem. Non nocent jejunia vitæ. Mille prostravit gula; neminem temperantia. *Qui abstinens est, adjiciet vitam*, Eccl. 37. A paradisi gaudiis per cibum cecidimus: Ad hæc, quantùm possumus, per abstinentiam resurgamus. S. Greg.

Instructio meritoria.

Sobrietatem, atque temperantiam ut perfectè possideamus, hodie extra communem refectionem neque de esculentis, neque poculentis aliquid admittamus, nisi aliud suaserit infirmitas. In honorem quatuor virtutum Cardinalium vid. *Prudentiæ*, *Justitiæ*, *Fortitudinis*, & *Temperantiæ* oremus quatuor decades

ex

ex Rosario Doloroso. Vivimus non ut comedamus : Sed comedimus, ut soli Deo, & æternitati vivamus.

II.

CErnimus ô chare ! Et ad nostram admirationem jucundissimum solitudinis & sacrati silentii in S. Gallo spectaculum. Pedem cellâ extulit nunquam, nisi cùm contra idola, & vitia decertandum. Fili! quid attentamus ? Nos in medio vivimus sæculi : & sanctificari cupimus ?

Instructio meritoria.

Fugiamus publicum; veneremur silentium; & quies mentis nullum patietur periculum. Subtrahamus nobis amore solitariæ vitæ, & tranquillitatis internæ quadrantem, vel horam mediam delicita recreatione, eámque demus vel piis manuscriptis, vel sanctioribus pro Deo, aut proximo susceptis negotiis. Non est securum, diu agere, aut loqui inter homines. Qui latet, cœlo placet.

III.

PRo S. Gallo non modò dormiente, sed & mortuo vigilaverat cœlum.

Hujus enim exuvias sacras cùm equi indomiti in eremum reducerent sponte, cerei ponè incensi, frustrà flantibûs ventîs, luxêre continuò. Chare mi! Quis vigilabit pro nobis? Deus, Maria, Angelus Custos, S. P. Benedictus, B. Gallus, & Patroni cæteri. Cavendum, ne nostrâ improbitate eorum offendantur oculi.

Instructio meritoria.

Componamus nobis Lytanias de Sanctis Patronis, quas frequentiùs per hebdomadem accensô devotionis lumine, recitabimus ante cubitum. Sic multorum comitatu ibimus ad cœlum.

Festum S. Lucæ Evangelistæ Beatissimæ Virginis, & S. Pauli Discipuli Piissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

MEdicum Antiochenses venerabantur in S. Luca peritissimum: sed nobiliorem Ecclesia, quia animas Christo restituit plurimas. Quô medicamine? Dei verbô. Amandissime! Dedit & os nobis Deus. Cur tacemus, dum cla-

clamandum pro honore Divino, & salute proximi? Quare & loquimur, dum præstaret tacere? *Qui custodit os suum, custodit* Deum, *& animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prov. 13.

Instructio meritoria.

Verè medicinâ indigemus in linguâ. Sit hæc vel hodie in honorem S. Lucæ cauta, gravis, & circumspecta; & sanabitur tota, attendamus igitur, quid dicamus: Et quidquid dicendum, dicamus cum sale & ratione. Stateram, & pondus ut verbis statuamus nostris, sæpiùs signemus signô S. Crucis linguam cum dicto: *Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu &c.* recitetur Psalmus: *Deus in adjutorium meum intende.* Lingua prona est in malum ab adolescentia sua. Ergo munienda.

II.

S. Pauli Apostoli Divus Lucas fuit sectator, & omnis peregrinationis, sollicitudinis, & sancti laboris individuus comes. Hanc amicitiam approbat cœlum; nefariam prohibet. *Melius enim*

est, ait S. Isidorus, *habere malorum odium, quàm consortium.* Bonorum virtus, & exempla sunt tutissima ad Deum via. *Amicus fidelis protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum.* Eccli. 6.

Instructio meritoria.

Pii, & exemplares amici nullibi desunt. Jungamur in unum. *Cum sancto sanctus eris.* Pietas, & illustria virtutum exempla ut Deus augeat in suis fidelibus ad commune totius Ecclesiæ emolumentum, recitemus coram Crucifixo Jesu, aut Sanctissimo Altaris Sacramento *Lytanias de omnibus Sanctis*, ter repetendo: *S. Luca ora pro nobis.* Bis repetita placent, ter repetita magis.

III.

S. Lucas primus omnium pinxit Mariam. Pictores non sumus, mi fili! Esse tamen possumus, si puritatem, si modestiam, & humilitatem Mariæ in nostris exprimamus sensibus, membris, operibus, & verbis. Hoc expectat Mater à filio: Quis renuet? Dicamus ergo ô dilecte, quod olim S. Ildephonsus:

Uti-

Utinam vitâ meâ *prædicem te, Virgo! Quantùm prædicanda es! Utinam diligam, quantùm diligenda es! Utinam serviam tibi, ſicut ſerviendum eſt gloriæ tuæ!*

Inſtructio meritoria.

Ut concedat, quod petimus & optamus, Maria, quoties transibimus hodie Imagines Beatiſſimæ Virginis, toties ſalutabimus flexîs genibûs pronuntiantes corde, & ore: *Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.*

Feſtum S. Petri ab Alcantara
Veri pœnitentium ſpeculi ex Ordine S. P. Franciſci.

EXHORTATIUNCULA I.

PAuper pauperem ſecutus eſt Jeſum, relictîs, quæ vana, & inania vidit in ſæculo. O quàm providè, & ſapienter! Audiit videlicet pius Petrus ex ore Chriſti: *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.* Ut quid igitur dividimus corda inter Chriſtum, & corruptum ſæculum? Jeſus

cor respuit divisum, & vel totum, vel nihil habere cupit.

Instructio meritoria.

Tandem nos ipsos ex toto donemus, ut totum possideamus Deum. Ut fiat, de superfluis, sive in cibo, & potu, sive de vestitu, & somnô in venerationem Crucifixi Redemptoris, & S. Petri nobis aliquid subtrahamus, & pauperum recordemur. Sufficit homo (rem miram!) Deo: Et Deus non sufficit homini. Quæ hæc turpis avaritia?

II.

S. Petrus sacri Ordinis expleri non potuit rigoribus. Creverat indies patiendi sitis. Hunc & auxit, illísque graviores addidit. Et hæc amore seriæ pœnitentiæ, ac satisfactionis. O dilecte fili! Pœnitentiam agere necessariò nos oportet, vel in hac, vel in vita altera. Utrum optamus? Eligamus modò, dum possumus. Tempus veniet, quô haud poterimus. Tum flebunt oculi. Rugiet pectus. At frustrà! Non admittet Dei misericordia. *Vocavi vos: & renuistis.*

In-

Instructio meritoria.

Utamur tempore pro fructibus datô pœnitentiæ. Utamur præsertim hac die: Et quidquid molestiarum, & contrarietatis vel ab homine, vel à cœlo, aut universîs elementîs evenerit nobis, æquô, promptô, & hilari sustineamus animô, & per manus S. Petri offeramus Deo in compensationem multiplicium peccatorum. Porrò per septem dies quotidie recitemus unum psalmum ex pœnitentialibus. Recitâsse pœnitebit nunquam: Non repetiisse, sæpiùs.

III.

TAntô erga Deum, & proximum flagrabat S. Petrus amore, ut è cellæ angustiis in campum prosilire apertum, äerísque refrigeriô conceptum ardorem temperare cogeretur. Chare! Quid nos pro Deo? Aut proximô? Utrumque vix non ignoramus. Hic amor, quem debemus amanti? Indigenti? Minus amat, qui extra Deum, & proximum aliud diligit, & desiderat.

Instructio meritoria.

Ut Deus in toto agnoscatur, & ame-

tur terrarum orbe: Ut & peccatores recedant à viis suis pessimis; Boni verò & justi magis & magis proficiant in spiritu, sanctitate, & justitia, sacrum & rosarium hodiernum in hunc finem applicemus. Ah! cur non ardeat pro Deo cor nostrum, quando cœlum, & terra veniunt in nostrum obsequium? Fili mi! nil magnum, nil altum, nil gratum, vel acceptum sit nobis nisi purè Deus, aut de Deo sit. Gersen.

Festum SS. Ursulæ, & Inclytæ Societatis Ejus.

EXHORTATIUNCULA I.

O Prudentes Virgines! Aptarunt lampades! Ierunt, mortuæ sunt, sed castæ, sed innocentes. Hic mos sponsarum Christi! Malunt perdere omnia, modò animas salvent. O fili! Quid prodest homini, mundum si universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Totus mundus nos possidet, & nos non possidemus nos ipsos. Quidquid sit, vel fiat de mundo, de corpore &c. Nos sapere oportet, & non

non negligere nos ipsos. *Qui enim sibi nequam, cui bonus? est sapiens animæ suæ sapiens.* Eccl. 27. Hoc unum est necessarium, hoc negotium negotiorum: Propriæ salutis cura.

Instructio meritoria.

Ubi lampades nostræ? Ecce! Sponsus venit. Occurramus adventanti per Sacramentalem confessionem, & Communionem hoc Festô singulîs annîs repetendam. Compensabit devotionem, & hunc sui amorem in lectulo mortis S. Ursula. O beata mors, quam dulcorant undecim Virginum millia. Aderunt, si in cultu earum nobis non deerit constantia.

II.

QUid hoc? Dilectissime! Ecce! advolant barbari, sagittæ parantur & arcus, interitum minatur undique tyrannica mors. Non cedit cum societate immota Virgo, B. Ursula, stat, & mille mortes optat, quàm fœdari. Quantus amor! O Chare! nobis vix non omnia eveniunt difficillima, cùm quæ pro Christo agenda, aut sustinenda.

Quanta

Quanta ignavia! O fili! Non sufficit, diligere Deum, sed verè, fervidè, & ardenter, constanterque diligere expedit. Cessare ante tempus, desidiæ est maximæ. Hinc D. Paulus: *Sic currite, ut comprehendatis.*

Instructio meritoria.

Amazones tam generosæ expectantur plures in Ecclesia. Sunt, quia in Monasteriis enutriuntur plurimæ. Ut suâ puritate, & innocentiâ deleant, & leniant vulnera in Corde Jesu, quæ infligunt impura pectora, visitabimus hodie altare aliquod Beatæ Ursulæ sacrum, vel aliàs nobis pro nostra in hac Virginem devotione liberè in templo electum, ibique orabimus S. Rosarium gaudiosum pro perseverantia omnium in statu Virginali viventium. *Divinorum omnium divinissimum est, cooperari in salutem animarum.* S. Dionysius.

III.

FLebilem casum! Una ex numero tot Virginum cecidit animô, & metu mortis delituit. Sic nihil perfectum

in

in hoc mundo. Necesse tamen est, ut veniant scandala, & peccata, ut in bono exin solidentur magis sanctorum corda. Fili! si credamus nos stare, timeamus, ne cadamus; Patimur quotidie, unde nostræ nos pudeat inconstantiæ, & imbecillitatis innatæ. Hanc auget imprudens timor. Sed rejiciamus cordatissimi pro Deo. Plus vexamur timoribûs, quàm malîs, plus opinione, quàm re. Mala semel nos premunt, timor assiduè, Meticulosus multa credit, parùm audet, agit nihil. O vile hominum meticulosorum genus!

Instructio meritoria.

Sed quid nobis agendum, dum humanâ seducti infirmitate labimur? Citò in genua provoluti, & Crucifixum Jesum arripientes manibûs, ingemiscendô, & pectus dolorosè tundendô, post amorosa oscula dicamus: *Miserere mei Deus*, cum *quinque Pater & Ave* in honorem SS. Vulnerum. Additâ S. Aug. clausulâ: *Domine Jesu! Deus & pars Cordis mei! Per illa SS. Vulnera, quæ amor mei tibi inflixit in Cruce, quæso, tuo*

tuo famulo subveni, quem pretioso sanguine redemisti. Si fieri potest, eâdem die, vel sequenti humiliter confiteamur, quia peccavimus. Sic cecidisse non nocet.

Festum Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ.

EXHORTATIUNCULA I.

HI Apostoli ò quales non tulêre injurias, & persecutiones à mundo! Sed non mirum. Christi erant discipuli, quorum vita una continuata persecutio. Dubito, mi bone fili! An & nos de eorum simus numero? Quia, quòd nos odiat mundus, corde tam infirmo, ac debili portamus. Ubi est fides nostra? Ubi & spes solida? Stemus firmiter, & perseveranter! Simus longanimes, & viri fortes, & veniet nobis consolatio in tempore. Gersen.

Instructio meritoria.

Tempore afflictionis, vel persecutionis sese subtrahere publico, & agere cum solo Deo, non modò consultum, sed & sanctum est. In solitudine, & recolle-

collectione videbimus auxilium Dei super nos, ubi & elevatîs in cœlum, vel Jesum Crucifixum oculîs, frequenter suspiremus: *Domine! in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tuo judica me. Deus exaudi &c.* Neglectô, & non invocatô Deô quid poterit homo?

II.

Dilecte! quid eligimus? Magis diligi à mundô? An verò à Christo Domino? Si à Christo? Mundum relinquamus cum omni pompa & concupiscentia ejus, necesse est. Et sanè, *qui renuntiavit sæculo, major est honoribus ejus, & regnô.* S. Cyprianus.

Instructio meritoria.

Species de sæculo redeuntes citò allidamus ad Christum easque deportemus ad sanctissimum Dei Evchariſtici tabernaculum, rogitantes: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.* Caveamus, ne nos sæculi immiscendo negotiis ardentiorem his speciebus præbeamus fomitem. Quod stu-

pa

pa igni, hoc mundi cogitatio orcino impostori.

III.

O Si & nos cum his sanctis Apostolis audiremus illa Christi verba: *Ego elegi vos.* Quàm tuta, & beata foret sors nostra! At quid obstat, ut non audiamus? Quia corpus, quia nostra commoda propria, respectum humanum cum nimia sui reputatione principaliter, & constanter attendimus. Sic capimur à mundo, & relinquimur à Christo. O derelictionem! Nam *nullum amanti Deum gravius est supplicium vitâ, quæ à summi Boni possessione arcet.* S. Xaverius.

Instructio meritoria.

Profectò hoc non est quærere solum Deum! Quæramus nos in majori puritate, saltem indifferentibus diei operibus expressam præmittendô intentionem, & contestationem candidissimam: *Deus meus mihi, & ego ipsi.* Itidem preces consuetas, & ordinarias devotiones extraordinariô hodie affectu peragamus. Ut Deus augeat fervorem, recitetur

tur Officium de Spiritu Sancto. Quis oret & non ardeat?

Feſtum S. Narciſſi Epiſcopi, & Martyris, Auguſtæ Vindelicorum Apoſtoli.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Narciſſus ſuâ modeſtiâ, & vitæ ſanctioris exemplô traxit Hilariam, Afram, & totam familiam ad Chriſti Jeſu fidem, & gratiam. O quot adhuc fierent ejusmodi converſiones inopinæ, ſi non deeſſent pii, & ſancti homines! Chare! libertate, aut eruditione noſtrâ malè credimus, converti populos; non ſcientiæ, aut libertatis vanæ hoc opus eſt, ſed dexteræ Dei. Nos in virtute faciamus, quod poſſumus: Deus ſupplebit cætera. Trahit populum, qui vivit ad Dei & cœli obſequium.

Inſtructio meritoria.

Ut Deus toti Vindelicorum Auguſtæ meritîs S. Narciſſi provideat de viris verè Apoſtolicis, doctrináque, ac pietate conſpicuîs, offeramus hodiernum Curſum cum S. Roſario. Quod fit populo, fit

ſit & Sancto. Fratres! Oremus pro invicem, ut omnes ſalvemur.

II.

TRes ſuſtinuit hoſtes ſibi infenſiſſimos S. Narciſſus, quorum calumnias fortiter tulit. Dicant, & ſpargant de nobis homines, quidquid velint. Fili! non terreamur, modò conſcientia nos non accuſet. Erit juſtus cauſæ noſtræ Judex Deus. Cur aliis plus credimus, quàm nobis? Chare! in nobis habemus, ſeu boni ſimus, ſeu mali. Quid ergo ad nos hominum opinio? rectè vivamus! & judicabimur rectè.

Inſtructio meritoria.

Attendamus, ne vel umbrâ accuminoſi verbi utamur. Lingua mordax infeſta eſt omnibus. Pro pace, concordia & fraterna charitate viſitemus altaria in templo, & pro iſtarum virtutum conſervatione recitemus officium de Amantiſſimo Corde Jeſu. Inde ſumitur aurum, quô nobis emitur cœlum.

III.

CAlumniatores quos Vir Dei S. Narciſſus ſuſtinuit in officio Boni Paſtoris,

ſtoris, feriit irata Dei vindicis dextera. Unum inverecundô morbô ſuſtulit è vivis. Alterum percuſſit cæcitate. Tertium gravi conſcientiæ exſtimulavit ſtimulô. Ecce! quàm citò cœlum ulciſcatur, quod in proximi charitatem, & honorem committitur. Quis ô Bone! Calumnias non pertimeſcat? Has Chriſti amore pati, ſumma felicitas! Inferre, vel loqui infelix damnatio! Chare! calumniæ nobis ſint ſuaviſſimæ, quibûs amici conſtituimur Dei. At quàm metuendæ! quàm & crudeles hominum, vel ſæculi blanditiæ! *O ſæculum nequam* (clamat S. Bernardus) *quod tuos ſic bea-re ſoles amicos, ut Dei facias inimicos.*

Inſtructio meritoria.

Satisfacturi tot offenſis, injuriis, & calumniis, quibûs noſtrum unquam contriſtavimus proximum *Pſalmos Pœnitentiales cum Lytaniis de omnibus Sanctis* devotè recitemus, & pro illius ſingulari profectu, tam in naturalibus, quàm ſupernaturalibus intenſiùs clamemus ad Superos. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Poſſumus, ſi volumus.

mus. Ad preces ergo, & pietatis suffragia!

Commemoratio Sanctorum Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum Sacræ Reliquiæ asservantur in Deo dicatis Ecclesiis.

EXHORTATIUNCULA I.

QUid nobis sacris loquuntur ex sarculis Sanctorum glorioſæ Reliquiæ? Aliud certè non, quàm illa Pauli Verba: *Exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, & Deo placentem. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* 1. Cor. 15. Lassetur corpus, modò vigeat spiritus. Parùm sapit, cui nihil sapit, nisi in palato, & sensualitate!

Instructio meritoria.

Sed quomodo *hostiam viventem?* Si mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus. Mortificationem specialiter in visu, in gustu, & auditu. Hi sensus ò quàm vivaces non sunt! Reprimamus per aliquot actus vel in meditatio-

tatione, vel examine nobis determinandos. Pro moderamine quinque sensuum oremus dolorosum S. Rosarium. Merebimur hac devotione, ut vita Jesu, vita & Sanctorum manifestetur in corporibus nostris.

II.

GRandis thesaurus in Ecclesiis Sanctorum Reliquiæ. Si pauperes, si nudi, si indigi sumus : quid moramur languidi? Curramus, quæramus ad Sanctorum corpora, quæ jam configurata corpori claritatis Christi Domini. Gaudent eorum animæ in cœlis : Quid non impetrabunt invocantibus se ? Per aulæ ministros datur, & panditur via ad Principes : Et his tenebrarum filiis infeliciores sint filii lucis?

Instructio meritoria.

Coram sacris Reliquiis flectentes, recitemus Lytanias de omnibus sanctis, ut eorum intercessione, & meritis clementer avertantur mala ecclesiis catholicis propter impios, & perversos forte imminentia. Non deserent Sancti locum dilectæ habitationis suæ.

III.

QUoties sacras intuemur Reliquias, toties nobis dici imaginemur: *Ecce! Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas.* Fili! Quid sustiniumus pro Christo? Sanguinem non petit; sed exemplarem, sanctam, & immaculatam vitam. *Efficacius vitæ, quàm linguæ testimonium, habent & opera vocem suam tacente linguâ.* Cyprianus.

Instructio meritoria.

Quotidiana Sacrarum Reliquiarum visitatio erit earum imitatio. *Quis autem erit, qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus?* 1. Pet. 3. In gratiarum actionem, quòd Deus suos Sanctos ita glorificet in eorum sacris corporibus, & reliquiis, dicamus *Te Deum Laudamus* cum S. Rosario Glorioso. Commendemus porrò carnis nostræ Resurrectionem ad Gloriam sempiternam. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.* Tert.

Festum

Festum S. Wolfgangi Episcopi, & Ratisbonensium Patroni Primarii.

EXHORTATIUNCULA I.

LAus hominum ò quantùm demulcet animos nostros! Fili! non ita dominata est S. Wolfgango. Hic popularem aufugiens auram, in solitudinem abiit. Hæc fuga prodigiîs non caruit. Chare! alii nos celebrant laudibûs; Nos plura vituperiô digna in nobis latere scimus; Cur ergo citiùs illis, quàm nobis credimus? Itáne nobis viluimus? Si encomia tales nos redderent, quales dicunt, quærendi undique forent præcones, & panegyristæ. Non homini, sed nostræ credamus conscientiæ. In hac testem habemus infallibilem.

Instructio meritoria.

Chare! cur ita vacui virtutibûs? Quia cupimus nimiùm abundare hominum favoribûs. Conversatio igitur nostra sit cautissima. Ad laudes taceamus, & mentaliter nobis dicamus: *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo*

honor, & gloria in sæcula sæculorum. Ante cubitum nocturnum deponamus omnia opera, dicta, & cogitata in vulnera Jesu, & sinum Mariæ cum contestatione: *Non nobis, Domine! Non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Hodie dicamus psalmum: *Confitemini Domine; Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ex abundantia cordis loquitur os.

II.

D. Wolfgangus suâ institutione Imperatorem Henricum sanctum peperit orbi. Tanti interest, bonos in vita spirituali sortiri Magistros. Simus & nos (dilecte!) respectu populi Christiani per illustria morum, & virtutum exempla, atque opera. Verbîs opus non est, ubi facta loquuntur. Mutus hic orator declamatoribûs cunctîs efficacior persuadebit. Non potest bonus Rex, aut ductor esse populi, qui fuerit malus subditus cœli.

Instructio meritoria.

Multa paucîs dixit quidam de S. Wolfgango: *Da tales præceptores, & tales habe-*

habebis Imperatores. Pro felicitate Romani Imperii offeramus SSS. Trinitati per manus S. Wolfgangi S. Rosarium cum Cursu Mariano. *Grati estote*, clamat Paulus. Cœlum! habere Pontificem sanctum, & Cæsarem Christianissimum, quæ hæc tua in nos providentia? Bonitas quanta!

III.

O Miraculum! casuram mali angeli impulsu rupem Vir Domini sui corporis obnixu sustinuit. Ecce! mi fili! Non desunt vires corpori jejuniis, & vigiliîs exhausto. Non sustinuisset, si benè masticasset ventrem D. Wolfgangus. Carnis mollitie tollitur vigor Divinæ gratiæ. Hinc illa S. Cypriani quotidiana oratio: *Domine Jesu! Da nobis ad te placandum orare impensiùs; diem luctu transigere; Vigiliîs, & fletibûs noctes ducere; Stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari.*

Instructio meritoria.

Onera, sarcina passionum heu quanta in nobis: Removenda, abjicienda sunt!

Quomodo? afflictione, & mortificatione. Igitur cilicia, & jejunia jugiter amplectamur, unáque, vel alterâ vice per septimanam rebellibus applicemus corporibus. Quid arma à latere, vel in manibus militum, si nunquam contra inimicos stringantur? Dum sumus in opere pœnitentiæ, *Psalmos pœnitentiales* offeramus Deo contra tentationes carnis. Huic non parcatur. Dei Filius toto vitæ passus est tempore: Et homo semper in deliciis, semper in voluptatibus! Quæ hæc similitudo cum Christo?

NOVEMBER.

Festum omnium Sanctorum triumphantis Ecclesiæ.

EXHORTATIUNCULA I.

FIli! periclitamur omni horâ! Insidiæ sunt undique, & innumeræ. *Ad aliquem* ergo *sanctorum convertere*, monet Job patientissimus. *Multò plus valet unus sanctus orandò, quam peccatores innumeri præliandò.* Origenes. Sapienter & D. Bernardus: *Summopere no-*

nobis desideranda sunt suffragia Sanctorum, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur.

Instructio meritoria.

Igitur, ut nostro adsint certamini quotidiano Sancti Dei, per septimanam semel eos invocemus per *Lytanias majores.* Tempus suppetit pro deliciis, & oblectamentis sensuum : Cur non & pro veneratione Sanctorum? Exaltat hos Deus : Obliviscitur homo : Quid indignius?

II.

CUr tam modicus hoc tempore sanctorum numerus? Quia homo non vult serió fieri sanctus. *Sanctitas* juxta Magnum Aurelium *consistit in justitiæ operibus.* Hæc negliguntur; ideò & tam rari Sancti inveniuntur. O dilecte fili! Deus dedit nobis *posse* : Cur velle deficit? Recordemur, quid nobis Divus Chrysostomus : *Quæ est ista justitia, sanctos colere, & sanctitatem negligere? Primus gradus est sanctitatem diligere; posteà sanctos, qui non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos;*

sine causa enim justos honorat, qui justitiam deserit.

Instructio meritoria.

Accusemus nostram in exercendis justitiæ, & sanctitatis operibus hactenus commissam negligentiam, & pro salutari satisfactione nobis ipsis imponamus extraordinariam pœnitentiam, Venerabili Patri spirituali pro Benedictione insinuandam. Sit hæc vel actus rigoris, vel vigiliarum, vel abstinentiæ. Si sancti esse cupiamus cum sanctis, major ardeat in nobis zelus Sanctorum Justitiæ, & sanctitatis. Ut accendamus, *Benedicite* intonemus.

III.

RIdent inter tormenta sanctæ animæ, & præ dulcedine spiritûs haud sentiunt miseriam, ærumnas, & dolores præsentis vitæ. Tanta Dei est in Sanctos clementia, ut & in valle lacrymarum jam dederit prælibare delicias vitæ æternùm duraturæ. Sic verè, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate

tate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.

Instructio meritoria.

Proin terreamur nunquam, dum mala patimur hujus malignantis sæculi. Erit his quoque finis. *Non hîc quæramus quod nullus Sanctorum obtinuit, imò quod neque Christus invenit.* Eus. Emiss. Pro expeditâ imitatione Sanctorum unum S. Rosarium jungamus ordinario cum illa Collecta ad Laudes ex Cursu Mariano: *Sancti Dei omnes! Intercedere digneminipro nostra, omniúmque salute.* ℣. Lætamini &c. cum reliquis. *Sanctorum fides nos servat.* S. Ambros.

Commemoratio omnium Defunctorum Fidelium in Domino obdormientium.

EXHORTATIUNCULA I.

COnquesti sunt quondam dæmones, quòd Cluniacenses famuli Deo addictissimi, suîs precibûs animas extraherent plurimas ex ignibus, & purgatorii tormentis. Inferis hos augeamus dolores, fili mi? Quomodo? Quotidiana

charitate, misericordiâ. *Filioli!* rogat nomine Jesu S. Joannes: *Non diligamus verbo, & lingua, sed opere, & veritate.* Probatio enim dilectionis est exhibitio operis. S. Greg.

Instructio meritoria.

Ideò & à nobis instituenda amoris exhibitio per octo dies integros, adeò, ut nulla transeat dies sine fraterna charitate, & clementia. Quotidie ergo aut Vesperas recitemus ex officio defunctorum, aut aliud opus bonum, maximè supra mensam exerceamus, memores: *Esurivi, & dedistis mihi comedere: Sitivi & dedistis mihi bibere.*

II.

VAlde gratum est Deo (sic revelationes Gertrudianæ) ut animas electorum suorum orationibûs, jejuniîs, eleemosynîs, missîs, aliísque exercitiis à flammis, & purgatorii liberemus suppliciîs. Dilecte! scimus, quid debeamus Deo? Reddamus, & præstemus hoc complacentiæ obsequium. Majora meruit.

In-

Instructio meritoria.

Verùm & majora obtulerimus, si nostra omnia pietatis opera per Dei gratiam hodie exercenda animabus in purgatorio ingemiscentibus charitativè applicaverimus, nobis prorsus nihil reservandô. Non perditur, quidquid dilectis, & à Christo tam pretiosè redemptis sponsabus impenditur. Accedamus cœmeterium, & visitandô defunctos, consolemur eos Psalmô *Miserere*, & *De Profundis*. Si defecerit aqua lustralis, provideamus. Quot guttæ, tot gradus gratiæ.

III.

MIrabile Mariæ testimonium. Sic hæc ad S. Birgittam : *Omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis eorum per preces meas in qualibet horâ aliquô modô mitigantur.* Maria succurrere vult, sed non nisi rogata. Chare fili! Accedamus, ut piæ salventur animæ. *Dedit Mariam Deus hominibus, & naturæ nostræ in reparationem; inferiori creaturæ in liberationem; sibi in Matrem; dæmonibus in hostem; detentis*

tis in limbo in reparationem. B. Petr. Dam. O gaudium! Utamur, ut & talem Assistricem experiamur in pari necessitate.

Instructio meritoria.

Dilectissime! potéstne de nobis dici, quod de primigeniis Christianis? *Vide, ut invicem se diligant, ut & pro alterutro mori sint parati.* Tertull. Tanta non petit amor defunctorum. Paucioribûs contentantur, si constanter, si ardenter peragantur. Nos in solatium omnium fidelium defunctorum pro opportunitate temporis tria S. Rosaria persolvamus de quinque Mysteriis dolorosis, & locò: *Sancta Maria ora pro nobis*, inseramus: *Sancta Maria ora pro eis.* In fine aliquoties exosculemur terram cum gemitu: *Surgite mortui! Venite! Accipite coronam, quam vobis Dominus præparavit in æternum.*

Fe-

Festum S. Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis.

EXHORTATIUNCULA I.

CHaritatem discamus benignam à S. Carolo, cujus totum studium consulere indigentibus, utut id præstandum non sine grandi labore. Fili! Ah! quid nos tam angusti sumus animi, & nostri duntaxat corporis curam gerimus? Quæramus primùm Regnum Dei, & cætera adjicientur nobis. *Prima rei dignissimæ danda foret cura, sed prô dolor! Vix ei obtingit postrema.* S. Xav. Fili! recordemur, quantùm valeamus? Quantùm & Deus?

Instructio meritoria.

Ut eximamur frivolîs, & inanibûs curîs, ac inordinatîs desideriîs, in honorem totius ætatis Jesu Christi (ô quàm pauperis!) recitemus 34. *Pater & Ave* cum Psalmo: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Clamemus dilecte mi! Animorum pericula periculîs corporum majora, & certiora

tiora esse videmus. Sed datur remedium: Confugiamus ad Dominum.

II.

ORat Sanctus Carolus: Et en! catapulta in eum exploditur. O mirum! non turbatur in oratione, sed pergit, ut salvet inimicum à manu Domini. Quàm absimilis est, ô fili! nostra precandi ratio! Res nihili à Deo nos avocat, & mentem sub precibus turbat. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Bellè S. Gregorius: Incassum agitur bonum, si ante terminum deseratur: Frustra currit velociter, qui priùs, quàm venerit ad metam, deficit. Orare bonum est; sed orare constanter, sanctum, & perfectum.

Instructio meritoria.

Claudamus oculos, contemnamus respectus humanos, elevemus manus, flectamus liberi, oremus recollecti! O quàm aliter nobis sapient Ecclesia, & Divina obsequia. Ita hodierno studeamus interesse Sacrificio cum repetita sæpius tessera: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, & flecto.* Pro conservanda mo-

modestia morum, & sensuum addamus *quindecim Ave* cum illa formula: *Per sanctam & Immaculatam Conceptionem tuam emunda cor, corpus & animam ò clemens! ò pia! O dulcis Virgo Mariæ.*

III.

QUid sibi funiculus pœnitentialis de collo S. Caroli pendulus? Sic sancti cum Deo conversantur, & loquuntur. Quid igitur mirum, si lætantes dicant: *Nostra conversatio in cœlis est. Per culpam Deo discordes sumus; Per flagella*, & pœnitentiæ opera denuo *jungimur cum Eo.* S. Greg. Pœnitentia fuit, quæ latronem rapuit ad regnum. David post flagitium felix iterum recipit Spiritum Sanctum. S. Chrysostomus. Fili! O chare mi! Nostrámne differemus?

Instructio meritoria.

Provideamus nobis de tam sancto amoris funiculo. Vilis est, si materiam: Pretiosissimus, si vim attendamus inde merendi. Quàm sanctum igitur opus præstabimus Deo, si ante cubitum hoc nos funiculô armatos sistamus alicui

cui Crucifixo, noſtras deploraturi negligentias, ingratitudines, & irreverentias: Vel nocturnum teſtamentum flectentes ad pedes Domini renovaturi. Devotionem hanc nocturnam finiamus pſalmo deprecatorio *Miſerere & De profundis.* Exemplum dedit ſanctus: Sequatur peccator!

Feſtum S. Leonardi Confeſſoris ex Ordine S. P. Benedicti Thavmaturgi in neceſſitatibus publicis Benigniſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

QUærimus fili! Unde tanta vis in carceres, & vincula Divo Leonardo? Reſpondet ipſe ſanctus: *Ecce! reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Hoc præmium! Hæc merces! Hic honor fugientium è ſæculo. Dilecte! & nos ſponte captivemur ab eo? Quid ſtolidius? *Mundo vivere, mortis opus eſt.* S. Auguſtinus.

Inſtructio meritoria.

Amandiſſime! Quot animæ ſunt, quæ à jugo, & ſervitute carnis, & concupi-

cupiscentiæ liberari clamant, suspiránt-que? Misereamur ergo periclitantium, & opportuno tempore pro omnibus, sive corporaliter, sive spiritualiter incarceratis *psalmos graduales* recitemus aut coram Sanctissimo, aut S. Leonardo. Oratio disrumpit vincula.

II.

DIsplicuit Regis Clodovæi Aula sancto Leonardo; Discedit sponte, quamvis liberè uti potuisset vitâ dulciore: dicebat sibi Vir Domini: *Melior est dies una in solitudine, quàm mille anni in palatiis regum.* O Verbum summæ Veritatis! Cur non credimus? Cur publicum non fugimus? Quia soli Deo, & cœlo intendere, resistimus. Diligere Deum, multorum est, verè, & solidè diligere, pauciſſimorum. Hinc non omnibus datur adire Corinthum.

Instructio meritoria.

Quàm insulsus hominum mos! Omnibus sese immiscent: De omnibus loqui ambiunt: In omnibus se ùt judices, censores, & Directores gerunt, & exhibent. Et hæc quæ arrogantia? Fili! hos laque-

laqueos ut feliciter evadamus, in honorem S. Leonardi *duodecim Actus* Circumspectionis Christianæ circa præfata exerceamus vitia adjungendo totidem *Pater & Ave.* Signemus frontem, os & linguam: & non deerit prudentia, & sensuum moderata cautela.

III.

S. Leonardum Rex Clodovæus in Episcopum denominat. Non acceptat Sanctus memor illius Eucherii: *In hoc mundo subjacet minor contumelia, major invidiæ.* O quàm certum, quò quis pluribûs abundat mundi bonîs, eo & majoribus impleri miseriîs, passionibûs, & pressurîs; Et tamen quotidie petimus alta?

Instructio meritoria.

Repudiemus honores parùm fidos, & undique suspectos. Sæpiùs dum motus insurgunt elationis, aut vanæ complacentiæ, vel stultæ ambitionis, statim procidentes in genua, protestemur, & dicamus: *Domine! non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei &c.* Dein: *Te decet Laus, tibi gloria &c.*

Fili!

Fili! *quid habemus, quod non accepimus? Si autem* accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus?

Festum S. Martini Turonensium Episcopi, & Charitatis erga Proximum perfectæ Speculi clarissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

NOn erat virtus, quam non admiremur in Sancto Martino. Eminuit tamen charitas erga inimicum. Hunc non modò à faucibus liberavit inferni, sed & à Deo impetravit, ut sibi in Episcopatu succederet, summumque Sanctitatis attingeret apicem. Et hoc amare non sit? Hoc non seipsum vincere? Fili! si nobis imperamus, subditos habet nemo nobîs plures. Monarchæ orbis effecti sumus. Ubi enim hoc imperium, quidquid extra nos est, rationis imperio subjectum, imò sub pedibus captivum tenemus. Plura nec nos possumus petere, nec ullus in hac vita dare. En! Regnum Dei, Regis magni, intra nos!

In-

Instructio meritoria.

Bene S. Augustinus: *Inimicum diligere, tantùm Christianorum virtus est.* Quis omnibus (etiam inimicis) omnia fiet? Prævidemus, quòd neque nos. Sed non ita, mi dilecte! Possumus, si volumus, ardenti, fideli, amicabili charitate. In hac sunt funiculi, quibus & aversi attrahuntur animi. Igitur urnulam faciamus, & quoties offensi, vel afflicti fuimus, schedulam injiciamus cum inscriptione: *Deo gratias! Pater dimitte illi.* Oremus singulîs septimanîs unum S. Rosarium gaudiosum pro inimicis, & persecutoribus nostris. Solvi debent non tam propria, quàm & aliena debita.

II.

MAgnum Sancto Martino attribuit encomium Ecclesia universalis, dum exclamat: *O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum; Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Fili! nunquid in Divo Martino nostrûm cernimus formam? Inspiciamus! Sed non sine sequela. Unicum

cum temporis momentum, quod nobis pandet æternitatem, utinam omnes totius vitæ curas exhauriat! Vivimus, non tam respirando, quam expirando.

Instructio meritoria.

A prandio aliquod assumamus opus manuale cum tessera: *Æternitati vivo! æternitati laboro!* Tempore tœdii, vel nauseæ internæ ad res sacras nos citò ipsos excitemus, & ad Sanctissimum Venerabile nos conferamus, recitantes ibi Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu. *Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* S. Bernardus.

III.

MOritur tantus Præsul! Sed quomodò? Indutus ciliciô, & jacens inter cineres super nudam terram, dixitque: *Non decet militem mori non armatum.* Pœnitentiâ, & oratione beatificatur mortis horula. O si nos nunquam sine illis! Nunc vires integræ sunt! Strenuè oremus! Seriò pœniteamus! Mors præsens rarò redditur bona, fieri vult, antequam adsit. Tempus non sup-

ſuppetet mori diſcere, cùm moriendum erit.

Inſtructio meritoria.

Habet & ſuos S. Martinus diſcipulos, quos inter & illi, qui ſingulîs feriîs VI. Vel ſabbathîs, ut bonam, quietam, & ſerenam obtineant mortis horam, nunquam utuntur lecto, aut dulci culcitrâ; ſed humô durâ, nuda, hiſpida. Imitemur! Cum conſenſu tamen Patris ſpiritualis. Vel feriâ VI. aut ſabbathô in hunc finem ad noctem abſtineamus ab omni cibo calido pro condigna præparatione ad mortem. Non delitioſi, ſed violenti rapiunt cœlum, & mortem triumphant. Hodie oremus pro nobis ipſis *commendationem animæ.*

Feſtum Patrocinii Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

MOnet nos hodie S. Joannes Chryſoſtomus: Quicunque amatis Virginitatem, & vitæ ſanctitatem, ad Matrem confugite Domini, ut ejus Patrociniis utilitatem aſſequamini. Deus ita dili-

diligit Mariam, ut nullam prorsus conferre velit gratiam, nisi per ipsam. O nos temerarios, si Mariam deseramus, & auxilia in creaturis, & hominibus quæramus!

Instructio meritoria.

Non! Non! in homine nec spes, nec salus. Veneremur Mariam per formulam votivam, & Cursum Marianum commendantes ei omnes tum animæ tum corporis necessitates. Certè ô Domina! Cùm te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam pro miseris Mater Dei facta es. S. Bern.

II.

MAgnum revera miraculum, exclamat D. Chrysostomus, fuit beata semper Virgo Maria. Quid enim illâ aut majus, aut illustrius tempore ullo inventum est, aut aliquando inveniri poterit? Et ad hoc non exultet cor filii? Non gaudeat, & jubilet devoti clientis animus?

Instructio meritoria.

Gratulemur Mariæ, & quoties transibimus hujus sacratas Imagines, toties vel ore, vel mente eam salutemus gratula-

tulabundi : *Gaude Maria Virgo.* In Venerationem autem Mariani Nominis recitemus *Magnificat : Ad Dominum cùm tribular. Retribue. In Convertendo. Ad te levavi* : cum oratione : *Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere. Nunquam* enim *fuit aliquis sanctus, vel sancta ita affecta ad salutem, & omne bonum populi Christiani sicut Beatissima Virgo.* S. Antoninus.

III.

CHare! quidquid Redemptori nostro debemus, idem suô modô debemus & Mariæ Patrocinio. Nam Dei Filius nobis nihil confert boni, aut misericordiæ, nisi per manus Mariæ, per quam & peccatorum consequimur veniam. O felix, cui datum, tantô frui patrocinio!

Instructio meritoria.

Ne amittamus, ad signa Angelicæ Salutationis cum omni devotionis, humilitatis, & Marianæ Reverentiæ affectu flectamus, matrísque Divinæ potentem coram Filio imploremus assistentiam.

Clau-

Clauſulæ locò ſubnectamus invocationem S. Joannis Chryſoſtomi quotidie orantis : *Ave igitur Mater! Ave cœlum, puella, Virgo, thronus, eccleſiæ noſtræ decus, Gloria, & Firmamentum, aſſiduè pro nobis precare Jeſum Filium tuum, & Dominum noſtrum : Ut per te miſericordiam invenire in die judicii, & quæ repoſita ſunt iis, qui diligunt Deum, bona conſequi poſſimus, gratia, & benignitate Domini Jeſu Chriſti : Cum quo Patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, honor, & imperium nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Feſtum S. Æmiliani Abbatis Magni totius Hiſpaniæ ex Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

NAſcitur humili loco, quem tamen virtute S. Æmilianus reddidit per totam Hiſpaniam illuſtriſſimum. Nobilitas ſolida non multîs avorum cerîs, ſed virtutum acquiritur meritîs. Quid juvat, clarere ſanguinis nobilitate, & ob-

ſcurari vitiis? Malum ſit omen, nomen ſine ſanctitate, & virtutis amore.

Inſtructio meritoria.

Si unquam, hodie gratias agamus Deo pro beneficio Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, & Vocationis. In hunc finem dicamus Pſalmum Euchariſticum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus.* Gratias agere Deo poſſumus, referre non poſſumus. S. Aug. Ingratitudo res peremptiora eſt, & hoſtis gratiæ. S. Bern.

II.

PEr quadraginta annos in ardui montis penetralibus ſecretis, uni Deo notus, aſperrimum vitæ genus vixit, paſſus aëris, ventorum, & inferorum inclementiam. Fili! quî placet hæc vita? Chriſtiani ſumus: Et deliciis emere cœlum arbitramur? Fallimur. Pro magno diligi non debet, quidquid concluditur fine: Illa appetenda, illa magnopere diligenda, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. S. Greg.

In-

Instructio meritoria.

Algemus, frigescimus & nos hoc brumali tempore. Non indignemur, sed hilariter patiamur, memores, si bona accepimus tempore æstivo: cur non & hyemis sustineamus incommoda? Ut corporis mollitiem aliqualiter castigemus, reprimamúsque, in ecclesia longiùs persistamus, sanctissimúmque AltarisSacramentum manibûs erectîs adoremus, additô speciali Rosariô dolorosô. Amor nescit frigora. Ubi ille, non nisi incendia.

III.

PRo patriæ defensione de cœlo non semel descendit S. Æmilianus, & cœlestibûs armîs in Mauros, juratos Hispaniæ hostes, & inimicos potenter depugnavit. Sic cœlites exhibitos sibi compensant honores. Signatum est super nos lumen vultûs Sanctorum. Cavendum, ne obscuremus iniquâ vitâ. Puritas conscientiæ occurrit Divinæ Justitiæ. Placabit provocatam.

Instructio meritoria.

Pergamus ergo ô fili! In cultu Patro-

norum nostrorum, præsertim eorum, quorum Nomina in S. Baptismo, & die S. Professionis accepimus. Horum festa quoties redeunt per annum, integram pietatis instituamus, atque gratitudinis octavam, attribuendô cuilibet diei speciale aut humilitatis, aut abstinentiæ, aut alterius austeritatis opus. Hæc tamen fiant cum præscitu Reverendi Patris spiritualis, ne vanæ & propriæ imputetur voluntati. Tali cultu, & devotione quis mori timeat?

Festum omnium Sanctorum ex SS. Ordine Magni Patris Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta Confratrum nostrorum in cœlis est gloria! Sed unde? Nonne quia magna egerunt, & fortiora sustinuerunt pro Christo in terris? Ad parem, mi fili! triumphum invitamur; at non sine pugna, non sine certamine, & luctâ. Spes mercedis sudorem abstergit operario, & Dei, ac Sanctorum memoria ærumnîs, aliísque conflictationibûs non eruat amatorem? Ubi amatur, ibi non labo-

laboratur. Amor nomen difficultatis erubescit.

Instructio meritoria.

Sancti volunt honorari. Fiat! gratulemur ergo toti Familiæ Benedictinæ in cœlis hodie triumphanti, & ut suum Beatorum augeat numerum, Lytanias de omnibus Sanctis tam dilecti Deo Ordinis recitemus ex libello Trithemii. Si non habeatur, substituantur Lytaniæ majores. Apertum est cœlum, ut preces suscipiat humilium. Optamus de inimicis victoriam? Viribus haud obtinebimus. Hostis noster est spiritus, tot victoriis clarus: oremus! Triumphabimus.

II.

CUm sancto sanctus eris. Fili dilecte! Sumus inter tot, & verè innumeros Sanctos. Sanctitatis tamen nomen adhuc ignotum nobis. Vera sanctitas tribus absolvitur. *Abstine, sustine, aggredere.* Abstineamus à noxiis: Sustineamus mala vitæ præsentis. Aggrediamur generosè acta, & opera Christianæ virtutis. Quàm brevis via ad gloriam sanctitatis. Durior sanè est impietatis.

Instructio meritoria.

Velle sanctitatem, jam sanctitatis initium est. Exercitia pietatis nostræ quotidiana hodie tam accuratè, & fervidè peragamus, quasi forent ultima, & ipsa sanctitatis complementa. Pro felici eorum successu implorabimus antecedenter semper assistentiam Spiritûs sancti per hymnum : *Veni S. Spiritus* cum *tribus Ave* ad SSS. Trinitatem pro illuminando intellectum, accendendo voluntatem, & roborando memoriam.

III.

FRustra speramus, nos fore sanctos, nisi & Sanctorum sequamur relicta virtutis exempla. Non sufficit, eandem cum tanto sanctorum numero profiteri S. Regulam, & Religionem, portare habitum & coronam, nisi & eandem colamus virtutem. *Nihil nobis prodest, quòd lex est bona, si vita nostra, & conversatio non est bona.*

Instructio meritoria.

Discamus proin ab uno dilectissimorum SS. Confratrum humilitatem : Ab alio patientiam : Ab illo silentium, ab hoc

hoc manſuetudinem, & miſericordiam: Renovationem S. Profeſſionis hodiernæ Sacramentali Communioni ſubjungamus, rogitantes à Deo Euchariſtico: *Jeſu! da nobis duplicem ſpiritum: Spiritum tuum, & ſpiritum magnum Benedicti, ac filiorum ejus. Te Deum Laudamus.* Et quia cras celebrabitur commemoratio omnium defunctorum fratrum, & ſororum Sacri Ordinis Benedictini, per octo dies recitemus quotidie Veſperas ex Officio defunctorum. Vera dilectio ſuperos, & inferos luſtrat benefaciendô.

Feſtum Beatiſſimi Stanislai Koſtkæ è Societate Jeſu Juvenis Angelici, Innocentiæ ſpeculi.

EXHORTATIUNCULA I.

INnocentiam amat Maria. Hæc & innocentem parvulum, ſuum Stanislaum ad inclytam vocavit ſocietatem, ubi aſſiduô pœnitentiæ, & mortificationis exercitiô illibatam conſervavit puritatem. Pietas, mundi contemptus, &

ſenſuum mortificatio nos jungunt, & uniunt Deo, & Mariæ.

Inſtructio meritoria.

Sinite parvulos venire ad me, rogat Innocentiæ Salvator, Chriſtus Dominus. Ut ergo in Gymnaſiis, Lycæis, atque publicis ſcholis flos innocentiæ, & puritas vitæ Scholarium ſolidè implantetur cordibus, officium de Beatiſſimo Stanislao oremus, vel ſi non ad manus, officium Immaculatæ Virginis Mariæ. Inter lilia ſuas quærit delicias ſancta Innocentia.

II.

IN domo probationis eâ vixit in pœnitentiâ Beatus hic Juvenis, quaſi omnium foret ſceleratiſſimus. Hoc judicium humilitatis eſt. Chare! nil minùs, quàm noſtra attendimus vitia. Hinc rara, aut modica pœnitentia. Prudenter Seneca: Initium ſalutis eſt cognitio peccati. Id quod & S. Anſelmus confirmat: Cognitio ſuæ infelicitatis, eſt ſummus ad felicitatem acceſſus. Noſcamus ergo nos ipſos: Et ſancti vivemus.

In-

Instructio meritoria.

Ecce cognitio sui quàm necessaria homini! Ne desit nobis, vel in templo, vel in cubiculo nos prosternamus, & prostrati pro dono, & gratiâ cognitionis propriæ supplicemus commendandô per *sex Pater & Ave* SSS. Trinitati tres animæ potentias, intellectum, voluntatem, & memoriam cum psalmo: *Domine! Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*: Quantò quis minus se videt, tantò minus sibi displicet. S. Gregorius.

III.

BEatus Stanislaus divinô amore ita ardebat interdum, ut appositîs madentibûs linteîs, ardorem pectoris amantis temperari necesse esset. Hoc demum, & amoris incendiô consumptus, vitam sanctè finiit. Mori suaviter cupimus? Multum diligamus. Chare! esse sinè delectatione anima tam parùm potest, quàm corpus sinè respiratione: aut infimis illa delectatur, aut summîs. Quid nos abjicimus ad infima, qui nati sumus ad summa? Quæ major quàm in summo

Bono delectatio? O dulcis hora, quâ se Deus communicat animæ!

Instructio meritoria.

Ut Religiosæ familiæ acquirant è suis candidatis plures, & puritate, & morum sanctitate insignes Stanislaos, recitemus officium de Spiritu Sancto. *Spiritus sancti templum sumus!* S. Ambros. Pellimus cordis immunditie. Princeps sæculi non habitabit cum sordibus: & Deus contentus sit? O nostram inurbanitatem!

Festum S. Leopoldi insignis Austriæ Patroni.

EXHORTATIUNCULA I.

OPtimus Princeps, qui sibi potens, Leopoldus talis fuit, qui & sibi, & aliis imperavit sanctissimè. Præesse volumus? O rem omnium maximè laboriosam! A nobisipsis incipiamus. Reliqua commendemus Deo, & provido cœlo. O fili! multi præsunt aliis. At sibi cum candela deficiunt. Et hos reputemus magnos? Nobis sit maximus, qui

qui sollicitam habet sui curam; qui & magnus in Dei oculis.

Instructio meritoria.

Ne turpis ambitio cor nostrum præcipitet, excelsas abjiciamus cogitationes, intra Jesu (ò quàm humilis!) obscondamus vulnera, & pro acquisitione propriæ displicentiæ Crucifixum de die sæpius exosculemur, cum omni affectu recitantes officium de dulcissimo Corde Jesu, Fons est! hauriamus aquas salientes in vitam æternam.

II.

D. Leopoldus omnis pompæ, & mundanæ vanitatis inimicus, compositus, & pudicus, virtuosos honorabat præmiis, inquietos, & insolentes terruit, & repressit suppliciis. Et hæc est semita, quâ incedere solent Sancti. Non sequemur? Fili! necdum virtutem amplectemur, & justitiam? Vel quando oderimus iniquitatem, ac morum immodestiam? Lassati sumus in via iniquitatis: & ultrà serviamus?

Instructio meritoria.

Est hominum duplex genus: Piorum,

& verè quærentium Dominum; iniquorum, & odientium eum. Illi ut in sanctitate crescant; hi autem ut recedant à via perditionis, offeramus Deo per manus S. Leopoldi S. Rosarium de Doloribus B. V. Mariæ, memores præsertim Austriæ aliàs devotissimæ, Meritò colitur, cujus auxiliis, & assistentiâ indigemus quotidie.

III.

MEdias inter delicias, atque divitias erat S. *Leopoldus* nitidissimum temperantiæ, pudicitiæ, & modestiæ angelicæ speculum. Ita legitur in vita S. Leopoldi. Ecce! fili! nullibi deest occasio virtuti, & interiori recollectioni. Inter pericula non amittere, vel potiùs augere pietatis meritum, ars artium est. Ut nummicola non est Christicola; ita, qui rebus in creatis venatur gaudia, in cœlestibus haud inveniet. Spernamus terrena! spernemus *nihil.* Non carebimus gaudiis; sed commutabimus.

Instructio meritoria.

Temperantia, puritas, & modestia ò quàm regiæ virtutes! Abundant earum

occa-

occasiones! captemus avidi! participes ut igitur nos reddamus virtutum adeò nobis pro æternitate decertantibus necessariarum, de qualibet exerceamus actus quatuor in specie, eósque vel in libello vitæ spiritualis annotemus, vel urnulæ injiciamus complicatos in schedulis. Pro augmento temperantiæ, puritatis, & modestiæ quotidiano addamus *duodecim Pater & Ave cum totidem Gloria Patri &c.* Si Beata Trinitas non dederit, quod optamus, unde sperabimus? Oremus ergo fili! Habemus bonum Patrem, Advocatum in Christo Jesu, Protectorem in Spiritu Sancto.

Festum S. Edmundi Episcopi Cantuariensis.

EXHORTATIUNCULA I.

JEsum Sodalem, Mariam meruit Sponsam, & adamavit Edmundus: Quid meliùs optabimus, ò fili! est nobis Jesus à latere: Est & Maria à facie: & non agnoscimus? Quærimus amicos: Adsunt nobis! Teneamus. Amicitia ve-

ra, quia bonum hominis maximum, non potest nisi ab optimo impetrari. Amicitia cum homine opprobrium fit plerumque veræ. Jesus, & Maria nesciunt mutabilitatem. His & adhæreamus, & quondam immori instanter petamus.

Instructio meritoria.

Confirmemus pactum cum Jesu, & Maria contractum, & quotidie ante meditationem de manè præmittamus Lytanias de Nomine Suavissimo Jesu: De nocte verò ante cubitum Lytanias de Nomine Mariæ. Sic erimus nunquam sine Jesu, & Maria. Amari, teneri, stringi volunt: Chare! & id possumus. Ergo amicis respondeamus.

II.

SUbtrahit se hic innocens parvulus lusui aliorum, ut secum versaret divina & cœlestia. Sed en! præmium recollectionis. Solum cum Deo agentem in forma pueri speciosissimi salutat Jesus, seque aureis in fronte prodit literis. Hæc delectant? Fili! sensus claudamus, & gustabimus dulcedinem recollectæ mentis. Inimica virtuti est multorum conversa-

versatio: In vitia alter alterum trudimus: Nullum præter nos ipsos postulo testem. An non quoties fuimus inter homines, redivimus minores, tepidiores, tristiores?

Instructio meritoria.

In quieta anima, non in corpore dissoluto solida virtus est posita. Utamur igitur recreatione parciùs, huícque mediam subtrahamus horulam, vel pro studiis, vel pro precibus coram Sanctissimo Venerabili clandestinè applicandam. Commendo & frequentiorem usum triumphalis tituli: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.* Quô manè, meridie, & vespere post signum Salutationis Angelicæ nos quàm devotissimè muniamus. Si Jesus in fronte, quid poterit impetus Satanæ?

III.

S. Edmundus, cùm de peccato audiret discursum, consuevit dicere: *Si mihi daretur optio peccati, vel inferni, continuò in infernum exilirem.* Dilecte mi! Oblatâ occasione quid nos eligeremus? Si discursus vanos, inutiles, nugatorios,

torios, & sæculares: profectò fratrem, Jesum Christum repellimus à latere nostro, quasi dicentes: *Non hunc*, sed *Satanam*.

Instructio meritoria.

Fides nobis deest, deest & radicalis horror peccati, quia per linguam toties recidimus in vitia antiqua. Ita planè *difficilius est, tacere nôsse, quàm loqui.* Ut S. Edmundi meritîs lingua non loquatur nisi quæ pro Dei gloria, & proximi salute, *psalmos pœnitentiales* vel unâ die simul, vel successivè per hebdomadem absolvamus, memores moniti Christi: *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Math. 12.

Dies S. Gertrudi Magnæ ex Ord. S. P. Benedicti Virgini Seraphicæ sacra.

EXHORTATIUNCULA I.

FRatres sumus tantæ Virginis, quam Deus dilexit in charitate perpetuâ, quam & ab infantia sibi attraxit, & in solitudinem vocavit, sibique desponsavit in fide, & in misericordia. O

quot

quot Divina in una Gertrude charismata.

Instructio meritoria.

Soror hæc nostra impetrabit & nobis. At recedere oportet à sæculo, & solitariè cum solo conversari Deo. Nam nobis est dictum illud Arsenii? *Fuge! tace! quiesce!* Fiat per hodiernam Confessionem, & strictissimi silentii observantiam. Dum Deus loquitur ad cor, taceat homo! Pie & sanctè vivere ut sciamus inter homines, discamus anteà silere, & agere inter Dei Cœlites.

II.

IN *Corde Gertrudis invenietis me*, dicit Dominus: *Complacuit sibi in illa anima mea.* Et unde? Quia constanter adhærebat dilecto suo, & unus cum illo spiritus erat. Respuit cor divisum Sponsus divinus. *Si quis non amat Dominum Jesum, anathema sit.* S. Paulus. Sit Jesus *confabulator noster! Sit contubernalis noster & conviva, imò Christus ipse sit nostra delicia.* Dam.

Instructio meritoria.

Recolligamus proin cor nostrum, præ-

præsertim dum vel sacris exercitiis, vel divinis officiis, & precibus assistendum. Doleamus de nostris evagationibus, & satisfaciamus per horam integram coram Sanctissimo Altaris Sacramento flectendô, & variîs devotionibûs nos occupandô. Recitetur hodie *Officium de Dulcissimo Corde Jesu.* En! ardet in obsequium cordis nostri. Accedamus! cessabit frigus, dum incaluit intra nos ignis Divinus.

III.

CRedimúsne S. Gertrudem, Sponsam Deo acceptissimam sinè infirmitatibûs, angustiîs, & pressurîs fuisse vitæ præsentis? Minimè! ô fili! sustinuit innocens Virgo gravissima. Sed inde non languor, vel tristitia, sed spiritûs gaudia orta sunt insolita. Fallimur dilecte! Si inter prospera duntaxat lætamur. Secura est expectatio perpetuæ jucunditatis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. S. Leo. Sit nobis vivere patiens Christus, sit & pro eo mori, lucrum.

Instructio meritoria.

Fili! alia erit quondam rerum facies

pii

pii nunc plorant! impii undique exultant. At *lugeamus nos, dum gaudent illi, ut, cùm ipsi lugere cœperint, gaudeamus.* Tertull. Pro augmento patientiæ, & fortitudinis in honorem S. Gertrudis 15. *Pater & Ave* expansîs brachiîs oremus in ecclesia, jungendô Psalmum: *In convertendo Dominus captivitatem Sion.* Charissime! *Delicati nimis sumus, si volumus modò gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo.* Hæc implicant.

Festum S. Mechtildis Virginis Christo, & Beatissimæ Cœlitum Reginæ gratissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

VIx nata jam cum morte luctari cœpit puella hæc Deo in Sponsam delecta. At revixit ad fontem sacri Baptismatis, ubi & animæ, ac corporis recepit sanitatem. Fili! quid nobis contigit in S. Baptismo? Quàm rarò collatæ fuimus memores gratiæ. *Per Baptismum oves Christi incepimus esse. Baptismo jam vita respondeat.* S. Aug. Vita sit mun-

munda, spiritualis, & sancta. Nam *Baptismô* semel *acceptô deliciis* (vitiis & immunditiis) *non est vacandum* ampliùs. S. Chrysostomus.

Instructio meritoria.

Pro institutione omnium Sacramentorum præsertim sacri Baptismi, & Pœnitentiæ, uti & SS. Eucharistiæ in templo recitemus unum supererogatorium Rosarium cum Psalmo: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Minuuntur favores, & beneficia, dum turpi oblivione lepeliuntur.

II.

O Fili! quis Mariam non diligat? Hodie amanti Mechtildi cor Filii sui Sanctissimum attulit, & in cordis sui sinu recludere, ac servare jussit. Quantus thesaurus! Offertur & nobis. Accipiamus: Sed castè, ferventer, & angelicè vivendô. *Nemo, quàm bene vivat, sed quamdiu, curat; cùm omnibus possit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli.* Seneca.

Instructio meritoria.

Cor Jesu asservatur in Sanctissimo Altari

taris Sacramento. Properemus! salutemus! veneremur recitandô officium aut de Suaviſſimo Corde Jeſu, aut de SS. Venerabili, aut ſpiritualiter communicandô per Rythmum: *Anima Chriſti! Sanctifica me.* Caveamus ne cor impurum attulerimus! Alioquin *ſumemus de ſacrificio pœnam, qui fecimus de propitiatione peccatum.* Salvianus.

III.

FIli! ſuaviter mori diſcamus à S. Mechtilde. Hæc animam in cor Jeſu tranſpirare cupit. Hinc & meruit Jeſum ipſum ſibi videre aſſiſtentem, & ad beata invitantem gaudia his verbis: *Veni Benedicta.* Sic moriuntur magni Benedicti filii, & filiæ. Chare! deſideramus dulciter, & benè mori! Nunc illud agamus; ibi & tempus, & facultas deerit, corporis ubi unà & animæ vires languent. Alia aliis tutiùs committemus negotia. Hoc unum ita eſt noſtrum, ut niſi nos ipſi curemus, curare poſſit nemo.

Inſtructio meritoria.

Pro condigna ad mortem præparatione, vel in cellula, vel in Eccleſia abſconditi

diti nobis ipsis quasi jamjam morituris prælegamus *commendationem animæ*. O si & singulîs mensibus continuaremus industriam, plurimis jam summè proficuam! Fiat! Fiat! Audiemus in præmium pietatis: *Venite Benedicti!*

Festum S. Corbiniani Episcopi & totius Diœceseos Frisingensis Patroni, & Thavmaturgi miraculîs clari.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Corbinianus jam à prima ætate illud Ecclesiastici mente imbiberat altâ: *Fili! quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Potentia enim Dei à solis honoratur humilibus. Et de nobis quanta mi fili! præsumimus? Ah! *quis ut Deus?* Miser est homo! Sibi nec digiti mensuram, nec vitæ momentum, nec mento pilum adjicere potest, utut velit. Quidquid potest, exiguum, nec magnâ curâ dignum est. Fidamus illi, qui semper idem, ubique potens, nos in singulis juvare potest.

Instructio meritoria.

Humilitas eluceſcat ex omnibus sensibus,

sibus, membris, & actionibus nostris. Ideò ubi stamus, oramus, & ambulamus, semper inclinato capite, & oculis quàm modestissimîs nostrum ædificemus proximum, *ter* recitandô cum Magistra Christianæ submissionis & modestiæ, seu humili Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Dominus hic solus est! humilientur capita!

II.

MIremur zelum & Christi spiritum in S. Corbiniano. Grimoaldo Bavariæ Duci potentissimo, uxorem fratris in conjugem assumenti identidem ingeminabat: *Non licet.* O felix anima! Cui respectus non dominatur hominum. Certè in hac sola regnum est Dei. Quale in nobis? O nos favorum humanorum nimìs avidos! Mortalium favori quisquis fidit, innititur arundini. Stat equidem; at proximo levioris venti impulsu ruet instabilis. Verba dant mellea! Rarò tamen vera.

Instructio meritoria.

Dum inordinati appetitus, desideria frivola, cupiditates infrunitæ impugnant nos,

nos, quantocyus utamur S. Corbiniani tessera: *Non licet. Deum colo, & ipsi soli servio.* Pro impetranda hac libertate regiâ addamus S. Ignatii orationem: *O Deus! ego amo te; nam prior tu amasti me* cum psalmo: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi.* Abjecti animi ad omnem adversitatis, vel tentationis ventum trepidant.

III.

QUidquid hic Dei famulus S. Corbinianus aggreditur vel pro Dei honore, aut proximi, & ecclesiæ utilitate, idipsum flexîs genibûs omnipotentiæ, sapientiæ, & Bonitati Divinæ ferventissimè commendabat. Hinc tanta prodigia. En! causam, quòd nostri successus tam multi infelices. Nobis confidimus: Deum verò negligimus, contemnimus. Sed quid hîc nobis, O fili! Xaverius Magnus? Ita in omnibus, ait fidendum Deo, ac si solus omnia sinè nobis optatum ad finem deducturus sit; eam tamen jungamus industriam, quasi res tota nobis sinè Deo peragenda incumberet.

In

Instructio meritoria.

O insignem nostra glorioſè auſpicandi negotia doctrinam, ac methodum! Imitemur, & quæcunque nobis tractanda, nunquam inchoemus niſi invocatô anteà auxiliô divinô, quod *vel tribus ave, & totidem Gloria Patri &c.* Aut hymno: *Veni Creator Spiritus.* Commodè fieri poteſt. Ad magna requiritur Excelſi dextera.

Feſtum S. Felicis de Valois Ordinis ſub titulo SSS. Trinitatis propagatoris zeloſiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem parvulum! Infantulus adhuc manu propriâ nummos diſtribuit egenis, & ex appoſitis in menſa dapibus eos recreavit. Dilecte! quis ſenſus noſter, ſi & à parvulis ſuperamur in charitate, & abſtinentia? *Gratis miſericordiam ſperat, qui miſericordiam non fecerit.* Chryſoſt. *Nunquam vacua eſt manus à munere, ſi arca cordis repleta bona voluntate.* Hanc dedit Deus: cur adeò otioſa?

Instructio meritoria.

Pauperem Jesum ubique habemus nobiscum. Ergo pascamus, & sustentemus sollicitè, præcipuè in mensa, ubi cuilibet cibo partem subtrahamus, & Crucifixo offeramus. Aliquid à nobis petentibus, si in re, & effectu non possumus, bonum saltem verbum, & charitatis præstemus obsequium. Pro impetranda charitate, & abstinentia visitemus defunctos in cœmeterio cum vesperis ex officio: *In carcere eram, & venistis ad me.* Matth. 25.

II.

S. Felix Ordinem pro liberandis è tyrannica potestate captivis fidelibus novum excogitavit, quem & Deus, ac Beatissima Virgo Maria benedixit. Amor proximi ubi non est, ibi nec Cœlitum assistentia Mi fili! *Qui non diligit fratrem, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo diligere poterit?* 1 Joan. 4.

Instructio meritoria.

Rarò recordamur captivorum: & tamen nos profitemur Christianos? Si

mus in opere, & pro redemptione eorum oremus 34. *Pater & Ave* cum psalmo: *In Convertendo &c. Domine! da nobis animas!*

III.

S. Felix vidit Mariam in medio Chori, S. Ordinis sui habitu vestitam, & Cœlitibus sociatam laudes concinere divinas. Chare! tanti est in cœlo, jugiter, devotè, & ferventer assistere choro. Et ò dolor! Quoties non frequentatur cum tœdio! multum temporis datur corpori, parum animæ. Verùm *abjiciantur omnia, quæ præsentem vitam faciunt brevem occupationi, longam dolori.* Eucherius.

Instructio meritoria.

Excutiamus generosi torporem, si quis attentaverit irrepere ad horas Canonicas, & ad Divina Officia primi comparere satagamus. Porrò ut in omnibûs Ecclesiis, ac Dei templîs purè, sanctè, & fervidè decantetur Laus Domini, rogemus sanctissimam Trinitatem per *duodecim Ave*, & totidem *Gloria Patri.* Adjunctô psalmô: *Quam dilecta taber-*

nacula tua Domine virtutum. Non desimus officio nostro; nec Deus deerit suo.

Festum Dulcissimæ Præsentationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

MAlè vivit, qui cupit duobus servire Dominis. Maria se soli devovet Deo, & quidem trimula. Dilecte! à Matre, à Maria vel hodie discamus, cui imposterum nos solos impendamus, Deus est. Dixi satis. *Gustate, & videte, quoniam suavis.*

Instructio meritoria.

In templo facta est præsentatio. Fiat & ibi nostra. Eamus igitur, & per quadrantem coram Sanctissimo Venerabili per renovationem aut formulæ Marianæ, aut formulæ S. Professionis nos Deo ex toto consecremus, & donemus. Clausula sit *Te Deum Laudamus.* Fili! nos, & nostra dare Deo, nihil magnum est; nihil enim damus ex nostro: reddimus ei, cujus sunt.

II. Quid

II.

QUid obtulit Maria? Quidquid habuit, quidquid & potuit, dedit se totam. Hoc Mater? Filii est imitari. Cor nostrum non dividamus inter Jesum, & fatale sæculum. Jesu sumus! Hic mori voluit pro nobis. Quid autem mundus? Contemnamus, fugiamus. Nostrûm dignus non est. Vitam offert: & acceptantem enecat. O Maria! tu partem elegisti optimam. O si & nos tui clientes, & filii.

Instructio meritoria.

Sed quomodo nos totos dedicabimus Christo, sublatâ omni cordis divisione, nisi constanti illius memoriâ? Hanc jugiter fovebimus, si à pectore Crucifixum semper, & ubique habeamus socium, & comitem nobiscum, sæpius suaviter apprimentes cordi, & supplicantes cum Divo Augustino: *Domine Jesu! noverim me! noverim te!* Pro clausula sit psalmus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Scire omnia, & nescire Jesum, est perire perpetuum.

III.

QUod Deo dedit semel Maria, dedit semper, negavit nunquam. O nos inconstantes! infideles! multa promittimus! Promittimus fervorem in Divinis, patientiam in adversis, humilitatem in prosperis, constantiam in contrariis. Et eheu! dilecte fili! vix non cadimus constanter. Abjecti animi ad omnem difficultatem frangunt voluntatem sancti propositi.

Instructio meritoria.

Ad Mariam recurramus, & ut illius meritis ac patrociniô fideles nos Deo probemus filios, hoc pactum ineamus, quoties pium neglexerimus propositum, toties in sacro tribunali nos specialiter accusemus, & accusandô extraordinariam in satisfactionem negligentiæ à Venerabili Patre spirituali rogemus pœnitentiam. Taliter vivendô quis nos quotidie negabit tendere ad Deum? Labi infirmitatis est; resurgere, pœnitere, & lapsum corrigere, sanctitatis.

Fe-

Festum S. Elisabethæ Reginæ Pauperum Patronæ in Seraphico Ordine Clementissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

ERubescat humana mollities ad vitam S. Elisabethæ. Tanta Regina non contenta vigiliis, & duplicatis jejuniis, non rarò per manus ancillarum voluit fortiter verberari, ut flagellato pro se Christo vicem rependeret. Plus ultra! dicit amor.

Instructio meritoria.

Nunquam inveniamur sinè sacris instrumentis, sinè ciliciis, & flagellis. Solus eorum attactus, vel aspectus persæpè jam profuit ad humilitatem, ad pœnitentiam. Lectum his armis protegamus, & si vel minima insurgat periculosæ cogitationis titillatio, sine mora arripiamus. Fugiet Satan, si viderit vindictam tam sanctam. Flectentes in nuda terra *ter tria Ave* recitemus cum formula: *Per Sanctam, & Immaculatam Conceptionem &c. Nihil Mariæ resistit potentiæ; nihil repugnat illius viribus; omnia*

cedunt tantæ Dominæ imperio. B. Greg. Nicom.

II.

MOrtuô maritô, quem propter virtutem adamavit fidelissimè, contristata est Elisabetha nec in minimo. Imò Divinæ se oppidò conformans voluntati exclamavit : *Te Deum Laudamus ! Nunc expeditior Jesum sequar.* Fili ! nihil perdimus, si Deum, & virtutem semel possidemus. Quid peritura desideramus, nati ad immortalia? Amare homines, à quibus amari possimus, vel non amari, res plena periculi : Amare Deum, à quo non possimus non amari, si amemus, hoc securissimæ felicitatis est.

Instructio meritoria.

Tempore desolationis, pusillanimitatis, & ariditatis magnanimi simus animi, quantocyus manum Domini exosculantes, & psallentes : *Cùm invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : In tribulatione dilatasti mihi.* Fili ! stemus in sancto timore, *quorum vita est in exilio, salus in periculo, finis in dubio.* S. Aug.

III. S.

III.

S. Elisabetha amore Christi, depositis omnibûs sæcularis gloriæ indumentîs, vili se vestiit tunicâ, & professa sacrum pœnitentium Ordinem, patientiæ, & humilitatis omnibus fuit mirabile spectaculum. At meruit inde audire in mortis lectulo: *Veni electa mea ad æternum thalamum ab æterno præparatum.* Via ad cœlum non rosîs, sed spinîs strata est. Cur non advertitur? Charissime! Viatores sumus! Eundum est, non quà placet, sed quà licet. Nulli hîc quies indulgetur ante terminum.

Instructio meritoria.

Inter pœnitentes vivimus! ut dignè, manè, & noctu Psalmum *Miserere* quotidie oremus, frequenter corda percutiamus, & dum soli sine arbitro, prostrato corpore culpam dicamus Deo, Mariæ, & omnibus Sanctis recitando: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* pœnitentia expectatur à reo: Cur negatur? *Non pudeat dicere, quod non puduit facere.* S. Bernardus.

Festum S. Cæciliæ Virginis, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm admirabilis Deus in vocationibus suis! Ut Valerianum traheret ad fidem, operâ, & Virginitate utitur S. Cæciliæ. Et vicit Virgo sanctissima. O quis non honoret S. Cæciliam, cujus precibus donavit Deus vix non jam deperditam Valeriani animam? Fili! & *hoc oro* à vobis, *ut charitas vestra* pro lucro animarum *magis, ac magis abundet.* ad Philipp. 1. 8. Quid animâ, omnibûs mundi thesaurîs excellentiore, nobilius? Miseremini!

Instructio meritoria.

Cùm igitur adhuc sint innumeri, qui periclitantur de statu salutis, viscera induamus misericordiæ, & pro eorum justificatione, ac salvatione offeramus S. Rosarium doloroſum. Charitas operit multitudinem peccatorum.

II.

S. Cæcilia jejuniô, & ciliciô per triduum continuatô ad nuptias sese præ-

præparavit, & disposuit. Quid mirum, si præservata ab omni puritatis periculo. Hi modi sunt, quibus servatur puritas mentis. Si horreamus, cademus! *A nobis ultionem sumamus; ita placabimus Judicem*, ne præservationis subtrahat gratiam. S. Chrysost.

Instructio meritoria.

Nuptiæ & nobis quoties parantur angelicæ in Ecclesiis? Ad has nos, animásque nostras disponamus per accuratum silentium, aut aliquale jejunium præmittendum, aliúdque rigoris genus à Ven. Patre spirituali fortè concedendum. Si malè corpori, animæ erit suavissimè. Non nisi per sanctum sui odium acquirimus amorem Dei perfectum. Recitetur Psalmus: *Domine ne in furore tuo arguas me.*

III.

NUlli non sufficit gratia ad destinatam cuilibet sanctitatem. Eam tamen, ut solerter augeat homo, decet. Auxit profectò Valerianus, qui à castitate ad Baptismum, à Baptismo ad Martyrium, à Martyrio ad cœlum gradum fecit insig-

nem. Dilecte! quot gratias aut negligimus, aut rejicimus? Rectè novit cum gratia negotiari, qui didicit sanctè timere.

Instructio meritoria.

Pro doctrina sit nobis effatum Doctoris Melliflui atteſtantis: *Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed justiùs ipsa conqueritur, sibi deesse plurimos.* Quoties & nos ô fili! inter illos? Satisfaciamus, & ut in gratia finali decedere mereamur, hodie *Lytanias de omnibus Sanctis* persolvamus. Quàm beata mors, si pretiosa ùt Sanctorum.

Festum S. Catharinæ Virginis, & Martyris studioſæ Juventutis Patronæ zeloſiſſimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUæ virtus illa, quâ amici Jeſu, Mariæ filii, & angelorum clientes evadamus digniſſimi? Reſpondet nobis S. Catharina: Puritas, & vitæ innocentia. Et hæc quàm modicè curatur! Puritas pro nummis, pro teruntio anima, pro argenteis Chriſtus, pro lucello venalis

lis ſtat cœli patria. Chare! præſtat eſſe pauperem cum innocentia, & ſanctâ vitâ, quàm cum impiâ ditiſſimum.

Inſtructio meritoria.

Fili! ſapiamus, & quæque extrema pati pro innocentia firmiter ſtatuamus. Pro cuſtodia tamen margaritæ adeò pretioſæ recitemus officium minus de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aut ſi ad manus, de Glorioſa Martyre S. Catharina. Virgo Virginem colat, & diligat.

II.

SApere, quæ æterna, & immortalia ſunt: econtra ſpernere, quæ tranſeunt, ſuprema ſapientia eſt. Hanc diſcemus mi fili! Si ſemper amaverimus Magiſtram cœleſtis Sapientiæ S. Catharinam, à qua peculiariter ſupplicemus timorem erga omne peccatum, & amorem, ac deſiderium in omne virtutis ſtudium. Qui timet peccatum, inveniet Deum. Quid juvat multa ſcire, & clarere litteris, ſi vita circumdata vitiis. Revolvamus ſæcula! à nullo plus ruinæ ſen-

sit publicum, quàm à doctis impiis. Scientia curanda post conscientiam.

Instructio meritoria.

Impetrabit S. Catharina, si triumphum, quô superavit heroina Victrix quinquaginta Philosophos, totidem *quinquaginta Ave, & osculis terræ* venerabundâ devotione recoluerimus. Fiat. Divina sic jubet sapientia. Hæc demissione docetur, & discitur. Cætera nescire utilius est, quàm scire.

III.

DEI Sapientia sedem posuit suam in sancta Catharina. Hinc tanta fides, zelus, & fervor pro Dei nomine, & gloria, ut nec solium ambierit imperatoris, nec rotam timuerit carnificis. O fili! cur tantam non stringimus, & novâ devotionis memoriâ non veneramur Magistram veritatis? Indigemus illius auxiliô, quia in virtutibus multùm vacui, & inanes.

Instructio meritoria.

In honorem novem litterarum, quibûs constat Nomen S. Catharinæ, instituamus novendiale, & quotidie *novem Pa-*

ter

ter & Ave cum oratione de hujus Festo recitemus, nectendô Sapientis suspirium: *Da mihi, Domine! sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret; & sciam, quid acceptum sit coram te.* Sap. 9.

Festum S. Sylvestri Abbatis, & novæ Congregationis Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD conspectum emortui cadaveris totus immutatur Sylvester, & desertîs omnibûs, in solitudinem properat. O quid non potest seria mortis memoria? Unicum temporis momentum, quod nobis pandet æternitas, utinam omnes totius vitæ exhauriat cogitatus, & curas! Quot non hodie festa celebrant jocalia, cras futuri funera! Fili! quid si & nos?

Instructio meritoria.

Mori non timet, qui dolenda non egit. Cœmeterium visitemus, & pro requie defunctorum, atque expeditâ nostrûm ad mortem dispositione frequenter oremus

mus Vesperas ex officio defunctorum. Inspiciamus tumulos, & aliter vivamus!

II.

BRuta obediunt homini: Et cur homo resistat Deo? S. Sylvester lupum pro custode habuit cellæ suæ, ad nutus tam promptum, ut vinceret hominem. Erubescat hîc superba, concumax, elata voluntas! Fili mi! omnis inquietudinis nostræ cardo est, vel quia sumus, quod non volumus, vel quia volumus, quod non sumus. Clariùs dicam: deest, quod cupimus; adest, quod odimus. Hæc causa dolendi. Nil tutius, nil securius, quàm optare, nobis imperari ab aliis, & imperantibus ex animo obtemperare.

Instructio meritoria.

Exerceamus aliquot abnegationis actus circa ea, quæ vel quoad recreationes, vel alia corporis commoda hodie possent contingere; recitemus quoque Psalmum: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Nostra agenda sunt cum Christo Jesu, qui de seipso: non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.

III. A

III.

A Malo dæmone præcipitatur Vir Domini de loco sublimi. Sanitatem undique desperatam quis dedit? Maria, quam intimè dilexit, & coluit. O igitur felices, qui sub tantæ Matris vivunt præsidio! De hoc quid nobis Richardus à S. Laur. *Justitia Filii*, ait, *& Misericordia Matris altercari videntur. Nam cùm Justitia Filii dicit: ego occidam, & percutiam: Misericordia Matris respondet: ego vivere faciam, & sanabo.* Grande solatium pro Filiis Evæ!

Instructio meritoria.

Quoties transibimus imagines Beatissimæ Virginis Mariæ, ore, & corde clamemus: *Ave Maris stella, Dei Mater alma &c.* Ad Mariam enim respiciunt (sententia est Hugonis Card.) & qui habitant in cælis, & qui degunt in purgatorio, & qui vivunt in hoc mundo. Primi, ut resarciantur; secundi, ut eripiantur; tertii, ut liberentur.

Festum

Festum S. Virgilii Episcopi Salisburgensis.

EXHORTATIUNCULA I.

SAnctè cupimus vivere? Modum docet S. Virgilius. Sobrius vixit cum seipso, justus, & pacificus cum proximo, pius, & zelosus pro Deo. Fili! en! compendium sanctitatis! citò arripiamus! implebimus omnia, si nunquam, vel rarò, idque cautissimè attenderimus ad ea, quæ sunt ad extra.

Instructio meritoria.

Ut vitam adeò sanctam, & felicem obtineamus, novem nobis constituamus actus, tres in temperantia, tres in dilectione proximi, & tres in fervore divini servitii tempore sacrorum exercitiorum fidelissimè Deo uni & trino offerendos. Pro clausula sit Psalmus: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum.* Tessera: *Tres sumus! & tres sufficimus.*

II.

CUique suum tribuit cultor Justitiæ S. Virgilius: Superiori obedientiam,

tiam, æquali Charitatem, minori humilitatem, & reverentiam. Talibus verò illud Angelicum competit Canticum: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huc spectant dæmonis consilia, ut nos solliciti, atque anxii, neque nobis ipsis, neque aliis, quibuscum conversamur, simus emolumento. Ad quid autem hæc damnificatio?

Instructio meritoria.

Coram transeuntibus detegere, caput humaniter inclinare, & mentaliter salutare: *Benedictio Dei Patris, & † Filii, atque Spiritûs † Sancti descendat super te, & maneat tecum semper.* Pro suffragio charitativo oremus *quinque Pater, & Ave*, sæpius intra vulnera Jesu fraternam charitatem commendandô, vel ab iis instanter rogandô. Vulnera Domini sunt fontes genuini, & solidi amoris.

III.

CHristiana signa ex ultima Hibernia in Germaniam transtulit S. Virgilius, Vir in fidei ardore, & zelô per omnia associandus Apostolis primis. Dilecte

lecte fili! Possumus & nos rem maximè augere Christianam. Quomodo? Virtutis exemplô. Divinum aliquid est, posse aliis prodesse. Mundus totus Xenodochium est, in quo tot morbi regnant, quot vitia. Heu! quàm peritos tam subtilia mala & tempora Archiatros desiderant! Tot ad frugem perditos reducimus, quot virtute nostrâ ad viam Domini allicimus. O nos crudeles, si id renuamus!

Instructio meritoria.

Ut ex sacris Religionibus, præsertim Familiâ SS. Patris Benedicti indies prodeant viri Jesu Christi, & Apostolorum spiritu pleni, sæpiùs recitemus *duodecim Pater, & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* & collectâ ex Cursu Mariano notissima: *Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniúmque salute.*

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Protege Domine populum tuum: & Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & alio-

aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetuâ defensione conserva. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Festum Glorioſissimi, & Invictissimi Apostoli S. Andreæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! possumúsne & nos cum Divo Andrea gloriari: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione.* O utinam! at potiùs contristamur; quia in homine nostra quærimus gaudia. Miramur, nos non magna operari. Causam habe mi chare! Quia non magna speramus de cœlo. Tantùm per nos operabitur Deus, quantùm se nostra in eum protenderit confidentia. Dextera Excelsi nobiscum! hanc apprehendamus: & rebûs etiam perditîs, omnibusque hominibûs nos persequentibûs, erit, qui & nos serven, protegat, & salvet.

Instructio meritoria.

Curramus (si hominem quæramus) ad Sanctum Andream, & ut suam nobis coram

coram Deo promereatur in patiendo consolationem, S. Rosarium de mysteriis dolorosis offeramus. Non est gloria nisi in gloria Domini.

II.

S. Andreas vocatus à Christo, statim relictîs retibûs secutus est eum. O *statim!* quàm hominibus es rarum, dum pro Deo, vel proximo quid boni operis, aut charitatis præstandum! Quæ facienda sunt, præstat citò expedire, ut & curam amoveamus, & facti lætemur conscientiâ. Qui citò dat, bis dat; geminat facti laudem celer executio. Quoties nocuit distulisse? Puncto sæpe versatur æternitas; & momentô unicô salus negligi potest perpetua.

Instructio meritoria.

Abnegatio nobis necessaria est voluntatis propriæ. Vocati ad quæcunque obedientiæ opera, hodie statim properemus, etiam iîs imperfectè relictîs, quæ priùs erant sub manibûs. Ad tria Salutationis Angelicæ signa flectamus in sancto timore, & devotione summa recitemus: *Angelus Domini. Ecce Ancilla Domi-*

Domini: Et Verbum Caro factum est. O quanta in his latet Jesu, Mariæ & Angeli obedientia! & illam moretur, aut renuat homo?

III.

CHarissime! Crux Andream, non Andreas Crucem portavit. Non sentit manum Dei ferientis, qui eam frequenter exosculari didicit. Nil laboriosius in mundo voluntate rebelli, impatiente, & reluctante. Impatientia nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat; non aliâ hoc, quàm ferendô arte minuetur. Nolendô pati, malum addimus malo. Quis ò Bone! nobis inferet quid mali, si, quod infertur, numeremus inter bona? Ita numeravit S. Andreas! hinc spectaculum factus patientiæ Christianorum.

Instructio meritoria.

Tempore tribulationis cum sanctis Apostolis, & Martyribus frequenter dicamus: *Deo gratias*! ò quàm proficua hæc foret exercitatio, dummodo quotidiana! Ut obtineamus, hodie unum quadrantem pro lectione de patientia Chri-

Christiana assumenda nobis peculiariter determinemus, & pro immissis hactenus tribulationibûs cunctîs *quindecim Pater & Ave* cum psalmo: *Deus in adjutorium meum intende* persolvamus. Hæc maxima hominis gloria, gloriari in Cruce Domini.

Festum Beati Joscionis insignis Mariophili.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! novum audiamus Mariani amoris inventum. Beatus Joscio tot Psalmis, quot constat litteris, quotidie honorat Nomen Mariæ. Sic amor oriatur nunquam. Semper nova & nova excogitat pro Deo, & Maria.

Instructio meritoria.

Non degeneremus à cogitationibus tam excelsis, & omnibus saltem Sabbathis, atque Profestis Reginæ Cœlorum illîs quinque Joscionis Psalmis: *Magnificat: Ad Dominum: Retribue: In Convertendo. Ad te levavi*, honoremus Mariam. Addamus in fine Antiph. *Sub tuum præsidium* cum collecta: *Concede*

cede nos famulos tuos. Hoc Mariæ privilegium est, ait S. Bonaventura, quòd quidquid post Deum dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.

II.

VElocior nonnunquam est salus memoratô Nomine Mariæ, quàm invocato Nomine Jesu. Mira potentia, & tamen Nomen utrumque quàm sæpe inhonoravimus, malè, vanè, abusivè pronuntiandô. Quasi nulla distinctio inter nomina brutorum, & Nomina Jesu, & Mariæ Jesus & Maria hi clypei & gladii, quibûs in morte pellitur hostis animæ, & locus paratur gloriæ.

Instructio meritoria.

Ut satisfaciamus, & irreverentias compensemus, hodie Lytanias tam de Nomine Jesu, quàm Mariæ ardenter oremus, & quoties pronuntiari audiamus, cito detegamus, & inclinatô capite mentaliter salutemus dicentes: *Vivat Jesus amor meus! Vivat & Maria pia Mater ejus!* Tristamur? Desolamur? Veniat in Cor Jesus! Veniat & Maria!

III.

QUid hoc ? En ! prodeunt à capite mortui Beati Joscionis quinque Rosæ purpureæ, & aureîs litterîs signatæ. Legamus fili! Sed ô novum prodigium ! Nomen exprimunt *Maria*. O insigne Cultûs Mariani præmium! Summus honor, summa gloria, & summa utilitas est servire Mariæ. Et de ejus esse familia. *Damascenus.*

Instructio meritoria.

Placétne assequi ? Consecremus sensus, corpus, & animam Mariæ recitando hodie quàm ardentissimè formulam votivam cum Rythmo sancti Casimiri: *Omni die dic Mariæ, mea laudes anima &c.* vel hujus locò novies repetamus Canticum: *Magnificat.* Laus sanè Mariæ omnem prorsus excedit Laudem. Mariæ omnis creatura in cœlis, ac terris, & apud inferos reverentiam, & cultum offert convenientem. S. Greg.

DE

DECEMBER.

Feſtum S. Franciſci Xaverii ex Societate Jeſu Apoſtoli Indianorum zeloſiſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

VIvere totum S. Xaverii erat promovere Dei honorem, & gloriam. Ideò nulla ei requies, otium nullum. Quis finis noſtræ vitæ, ô dilecte fili! ſi non Deus? Heu! damnabilis eſt! Unus Deus quæratur. Etenim ad imaginem Dei facta anima rationalis; cæteris omnibus occupari poteſt, repleri non poteſt. S. Bern.

Inſtructio meritoria.

Erravimus dilecte! non Deum, ſed nosipſos non rarò pro fine habuimus. Satisfacturi pro flore, & incremento inclytæ Societatis Jeſu Pſalmum: *Deus judicium tuum regi da &c.* cum oratione de Feſto recitemus. Dabit, & impetrabit D. Xaverius, ut in ſuis indies zeloſiùs glorificetur Deus.

II.

ADeò S. Xaverius ſitiebat labores, curas, & ſollicitudines pro lucro ani-

marum ſubeundas, ut tempore conſolationis exclamaret: *Satis eſt*: in anguſtiis verò, & laboribus: *Ampliùs Domine! Amplius!* Quid ad hæc noſtra in proximum charitas? Si talis non eſt, qualis S. Xaverii, modica, aut nulla eſt. Et tamen gaudemus nomine fratris Chriſti. Dilecte mi! capiamus magni Xaverii doctrinam. *Divinum aliquid eſt*, ait, *poſſe aliis prodeſſe. Quot ad frugem perditos reducis, tot lethales pepuliſti morbos, imò totidem ad vitā mortuos reſuſcitaſti. Quanti hanc in corporibus artem faceret medicus, quàm in animos tibi conceſſit Deus!*

Inſtructio meritoria.

Versùs quatuor mundi partes flectamus, & ut ibi omnes Miſſionarii, ac viri Apoſtolici magna, & grandia præſtent verbô & exemplô in converſione gentium, ad quamlibet orbis plagam *quinque Pater & Ave* oremus cum ſuſpirio: O Beata Trinitas! da nobis animas! da & in fide conſtantiam.

III.

ECce! vinctum in Domino! Ecce Xaverium Martyrem in deſideriis generō-

neroſiſſimum! Pro Chriſto in regno Synarum mori exoptat. Et dum gladio mori non licuit, mortuus eſt amore, & deſiderio. O chare! profectò ſic perdere lucrum eſt, ubi vita hæc mortalis pro Deo ponitur; non eſt mors dicenda, ſed vitæ melioris commutatio queſtuoſiſſima; nam brevis æternâ, miſera commutatur feliciſſimâ. Quæ præplacet?

Inſtructio meritoria.

Pro Deo, & animarum lucrô audeamus multa, & magna! Poſſumus, dum volumus. Et quid ſeriò velle, & fervidè laborare impedit? Nonne languor, tepiditas, vanus, ſtultúsque timor? Citò excutiamus, & poſt miſſam pro extirpatione hæreſum, pro concordia Chriſtianorum Principum, pro exaltatione Romanæ Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ quotidie recitemus *ſeptem Pater & Ave* cum deſiderio D. Xaverii: O Deus! *Ego amo te, nec amo te, ut ſalves me &c.*

Festum S. Barbaræ Virginis & Martyris constantissimæ, morientium Patronæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! nondum contemnimus mundum, nondum & hominem mala suadentem nobis? Audi, quid heroina S. Barbara Genitori suo ad nuptias cogenti: *Non committam Pater*, ait, *ut mortalem sponsum cœlesti ac divino anteponam.* Præstat obedire Deo, quàm parenti proprio. Dicamus jam strenuè cum S. Paulo: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Instructio meritoria.

O deplorandam infidelitatem nostram! Dimittimus non rarò Divinum obsequium, ut obsequamur homini in rebus etiam pessimis. Quis hic perversus agendi, & amandi modus? Ut respectum triumphemus humanum, & solum Deum in vita nostra circumferamus, propter hominem nullum spirituale exercitium intermittamus, potiùs fervorem

vorem augeamus per recollectionem animi, repetitâ sæpius B. Climaci protestatione: *Melius est contristari parentes, aliosque homines, quam contristari Deum.* Datô impostérum pro studiis, aut orationibus signô statim relinquamus conversationem, & ad cellam, vel Sanctissimum pergamus recitaturi *tria Pater & Ave cum Te Deum Laudamus.* Tres sunt in cœlo! & hi tres unum sunt. Adoretur in Trinitate Unitas, & in unitate Beata Trinitas!

II.

Dilaniatur tenera Virgo crudelibûs tormentîs, tamen clamat: Quis me separabit à Charitate Jesu? Dilecte! fortè quærit ex me cum S. Thoma Villanovano: *Quis autem fecit Martyres diras, & acerrimas subire pœnas?* Dico liberè: *Viva fides.* An non hæc deest nobis? Urget charitas, ut patiamur. Et ecce! jam fugimus. O fili! verè *in nobis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex patitur detrimentum!* Salvianus.

Instructio meritoria.

Ut reviviscat, & de novo in nostris fides ardeat pectoribus, ter coram Sanctissimo Venerabili flectamus, & comitante sancta Barbara oculîs penitùs clausîs illud adoremus, semper *quindecim Pater, & Ave* recitantes cum uno *Credo.* Claudamus sensus, & vivet fides nostra. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

III.

O Quantum nos angit, & torquet memoria mortis! Fili, noli timere! Patronam bonam, & potentem nobis Deus dedit in S. Barbara. Hanc colamus, hanc diligamus: Et fiet, ut in Virgineis S. Barbaræ moriamur brachiis. *Expecta quotidie finem vitæ*, monet S. Ephrem, *& ad illud iter te præpara.* Sanctis quatuordecim Auxiliatoribus, quos inter & S. Barbara, diem Mercurii dedicemus, & si advenerit, unum speciale, & supererogatorium recitemus Rosarium. Volunt juvare boni cœlites: Sed si anteà invocati.

Festum

Festum S. Nicolai Episcopi, Patroni Pauperum, & egenorum providentissimi!

EXHORTATIUNCULA I.

CHarissime! Novimúsne S. Nicolaum? Dubito; quia Patri cœlesti tam rarò gratias agimus pro beneficiis tum naturæ, tum infinitæ suæ Providentiæ. Deus est, qui dat escam esurientibus: Et non agnoscitur? *Deus dat omnibus affluenter:* Et quis clamat: *Quid retribuam Domino.* Profectò mi fili! nec *pro his omnibus, quod rependamus, habemus, nisi tantùm, ut diligamus.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Post quamlibet refectionem hodie pergamus ad Ecclesiam, & sub adoratione Sanctissimi Altaris Sacramenti compensemus data desursum pro sustentatione corporis munera, recitantes *quindecim Pater & Ave* cum uno psalmo ex *pœnitentialibus.* Clausula sit affectus admirationis: *O sacrum Convivium! in quo Christus sumitur, recoli-*

tur memoria Paſſionis ejus; mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Eccleſia.

II.

QUid hoc? communibûs gratiîs contenti eſſe non volumus? Semper ad prodigia, ad miracula attendimus. Si non videamus, non credimus, non ferventer Deo ſervimus, liberè peccamus. O pretioſum gratiæ momentum! *Semen modicum eſt, ſed magnus inde fructus: In hoc momentaneo latet æternitas.* S. Bernardus.

Inſtructio meritoria.

Deprecemur ingratitudinem noſtram, in cujus ſatisfactionem preces menſales clausîs oculîs perſolvamus ſubjungentes in eccleſia, vel cellâ pſalmum devotiſſimum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus.* Quod dat Deus, commune non eſt. Omne datum deſurſum optimum.

III.

QUorum eſt regnum cœlorum? O Fili! nunquid parvulorum, & ſimplici-

plicium? Sic Chriſtus: *Sinite parvulos venire ad me.* Non curemus, neque contriſtemur cum S. Nicolao, ſi deſpiciamur à mundo, & homine. Sit ſatis, quòd placeamus cœlo, & Deo. Si nos hominum opinio movet, maturè abſtineamus ab omni opere. Quidquid enim agamus, vel omittamus, perinde eſt, experiemur criticos. Quid fatigamur? Agamus, quod agi vult Deus. Deſpici meretur à Deo, qui in hujus cauſa hominem reſpicit.

Inſtructio meritoria.

Taceamus ad irriſiones, vexationes, & linguæ alienæ irritationes. Dicamus: *Amplius Domine! amplius. Tibi laus, honor, & gloria.* Pro ipſis verò irriſoribus, & exactoribus noſtris recitemus datâ opportuniori occaſione S. Roſarium Doloroſum, cuilibet *Pater noſter* addendô verba S. Stephani: *Domine! ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Deus mala immittit, quòd multa neglexerimus bona: *æquum eſt, ut qui beneficiis non intelligitur, plagîs intelligatur.* S. Cyprianus.

Festum S. Ambrosii Magni Ecclesiæ Doctoris.

EXHORTATIUNCULA I.

SImus discipuli tanti Doctoris! Fuit ita potens verbô, & exemplô, ut errantem Augustinum reduxerit ad ovile Jesu Christi. Gratulemur oviculæ! gratulemur & bono Pastori. Nihil Deo glorioſius, nihil gratius Christo, quàm conversio animarum. Pro his sanguinem dedit, quem sanè in labantis orbis firmamentum denegasset. O si zelus domûs Dei & animarum commederet nos! Domine! da nobis animas. Alioquin morimur!

Instructio meritoria.

Ut plures ejusmodi in ecclesia quotidie animarum piscatores, & exemplares Doctores prodeant ad insigne ovilis Christi augmentum, *officium de Spiritu sancto* recitemus. Clamemus, ut videamus. *Illum amemus, quem amare debitum est! illum exosculemur, quem osculari sanctitas est.* Paulinus.

II. Con-

II.

CONtristamur non rarò propter negotia, aut officia nostra. Unde? quia plus hominem attendimus, quàm Deum. S. Ambrosius etiam Imperatoris functus est munere: sed nunquam divisus in suo corde. Faciliùs operamur cum Deo, quàm sine eo. Cur ergo toti ad extra effundimur? Fili mi! nolo ipsum otiosum! Nolo & suorum rerum incurium! Sed primas Deo curas, & animæ dandas suadeo. Non deerit, mihi credat, quin primùm quærenti regnum Dei fausta eveniant omnia. Probatum est!

Instructio meritoria.

Omnes functiones totius diei exactè exequi, & mentem tamen cœlo tenere affixam satagamus. Ut fiat, statim à manè pactum ineamus cum Deo, & sensibûs nostrîs, pro quorum custodia expansîs brachiîs *duodecim Pater, & Ave* coram Sanctissimo Venerabili præmittat. Non operari, sed operari *benè*, & *attentè*, sanctificat.

III.

PRoximus jam morti S. Ambrosius ait ad suos: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori; quoniam Dominum bonum habemus.* Fili! & de nobis auderemus dicere talia? Estne & noster vivendi modus sic probatus Deo? Optamus. Ergo & mores, & sensus reformemus. Sed quomodo? per quotidianam præparationem pro mortis horâ. Beatus, qui semper mortem expectat impavidus! qui ad proximæ mortis nuntium non immutat colorem! Adveniente vespere gaudet operarius. Qui dolenda non egit in vita, nunquam mori timebit. Timeant Athei! gaudeant innocentes Christiani!

Instructio meritoria.

In hac doctrina ut strenuè nos exerceamus, sempérque armati pro lucta ultima vivamus, hodie, & imposterum singulîs saltem mensibûs semel pro nobis ipsis *commendationem animæ* coram Sanctissimo, vel devotô Crucifixô magno cum fervore præmittamus. In fine addatur psalmus: *Paratum cor meum, Deus!*

Deus! paratum cor meum. Tristem expectet mortem, qui vitam egit immemorem æternitatis.

Solemnitas ter Benedictæ Virginis Mariæ sine Labe, & macula Conceptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

DUm de peccatis agitur, nullam volumus Mariæ haberi mentionem, affirmat S. Augustinus. Maria ergo Mater sine omni macula? Sic credimus. Nos quales filii? O si digni *Immaculatæ!* Erimus dilecte! si quæ pura, munda, & casta sunt, prodiderunt verba, cogitationes, & opera.

Instructio meritoria.

Dignos proin reddamus nos! præsentem octavam speciali modestiâ, & gravitate morum transigendô, & quotidie tres actus reflexos illarum virtutum exercendô, & exercitos Venerabili Patri spirituali in confessione proxima extradendo. Sic jubet Maria! sic & exigit angelica modestia. Ne in hac deficiamus, *Cursum Ma-*

Marianum offeramus *Intemeratæ*. Modicum quid ad *Tantam!*

II.

INterrogat S. Birgitta Beatissimam cœlorum Reginam, ut diceret: quis modus suæ Conceptionis? Et ecce! respondit parens Benedicta: *Concepta sum ex Joachim, & Anna sine originali peccato.* Gratulemur parentibus! gratulemur & filiæ! gratulemur & toti SS. Consanguinitati. Nobilitas, & gloria genuina non à carne & sanguine formatur, sed à vitæ & morum integritate. Quacunque polleamus virtute, si careamus puritate, fictas numeramus.

Instructio meritoria.

Pro hac supplicemus Sanctissimam Consanguinitatem Jesu, Mariæ & Josephi, & in eorum venerationem *Lytanias de omnibus Sanctis* illius SS. Consanguinitatis ex Legibus Marianis persolvamus. Magna & pretiosa virtus est puritas, & innocentia vitæ! indiget multô, & magnô præsidiô.

III. Di-

III.

DIlecte! diligítne Mariam? Non dubito. At non verbîs, sed opere probatur amor. Probabit, si studeat semper esse, & vivere cultor perpetuus, & zelosus Promotor Immaculatæ Conceptionis. Quid melius deceat Mariæ filium, nescio. Exclamo jam admirabundus cum Venerabili Guerico: *Prorsus nova Mater Maria, quæ novitatem attulit inveteratis filiis, vitiúmque sanavit tam ingenitæ, quam superadditæ vetustatis.*

Instructio meritoria.

In venerationem Mysterii adeò stupendi dicamus *decem Pater & Ave* pro memoria decem Virtutum, in quibus se strenuè exercuit Intemerata Virgo. I. Charitatis erga Deum, & proximum. II. Humilitatis. III. Gratitudinis. IV. Misericordiæ. V. Pietatis. VI. Mortificationis. VII. Obedientiæ. VIII. Orationis. IX. Patientiæ. X. Constantiæ. Post hodiernam S. Cōmunionem formulam recitemus Votivam: & quoties audierimus Nomen Virginis Mariæ, venerabundi

di capita inclinemus cum dicto mentali: *Salve! laudetur millies!*

Festum S. Luciæ Virginis & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

NUtantes in fide ut confirmaret Lucia, Deum rogat, ne subitò interficeretur inter tormenta. Placuit cœlo sanctum votum, & conservata est in lucrum animarum. Nutant, & periclitantur adhuc innumeræ animæ. Quid hîc charitas, & benevolentia nostra? In auxiliis terreri non debet. Compedes corpori injici, non animo possunt; liberum hunc voluit Deus, ut arbitrio suo dextram eligat, vel siniſtram, proximum deserat, & amorem sui præponat. Cum Maria nos partem eligamus optimam.

Instructio meritoria.

Pro illuminatione omnium infidelium, paganorum, Judæorum, & hæreticorum, præsertim illorum, quibus lumen fidei adhuc illuxerat nunquam, recitemus officium cum Lytaniis de Spiritu Sancto. Si boni & pii nil agunt pro lucro

lucro animarum, sanguis Christi peribit in multis. Multi enim vocati, sed pauci electi. Et hos paucos in fide, & charitate firmet Christiana pietas.

II.

MAluit S. Lucia torqueri gravissimè, modò permitteretur longiùs vivere pro salute unius animæ pretiosæ. Tanti faciunt animas Sancti! Non mirum! Dedit & pro harum pretio Pater æternus suum Unigenitum. Fili! erimúsne nos tam ignavi ut nec propriam, nec aliorum æstimemus, & æstimandô pro omnimodâ justitiâ, & sanctitate etiam grandia, & heroica audeamus opera? Abjecti animi ad omnem difficultatem trepidant. Virum exuat, qui ad primum sancti laboris conspectum fœmineum degener fugit in pavorem. Magno servimus! Magna tentemus.

Instructio meritoria.

Probemus hodie zelum, probemus & amorem! Igitur ut omnes sancti & sanctæ Dei succurrant jamjam de salute periclitantibus, coram Sanctissimo Venerabili dicamus *Lytanias de omnibus Sanctis.*

Etis. Membrum compatitur membro. Quàm doctrinaliter Paulus : Pro invicem solicita sunt membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra; vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.

III.

AH! quid video? Lucia Virgo ad lupanar rapitur. Quid oviculæ innocentissimæ inter lupos? At ô fili! non timeamus! Deus stetit pro innocentia; quia castam nec manus violenta à loco potuit dimovere. O quis cordis Virginitatem, & innocentiam non custodiat! Hanc qui dimisit, amisit Deum, amisit omnia. Polleat homo quacunque virtute! si careat castimoniâ, fictas virtutes numerat.

Instructio meritoria.

Ut intercessione S. Luciæ multiplicentur casta in mundo, & SS. Religionibus pectora, Lytanias de Beatissima Virgine Maria persolvamus dicendo : *Ora pro eis.* Addendô in fine *septem Pater & Ave*

Ave in honorem septem Festorum Mariæ. Qui elucidant me, vitam habebunt æternam.

Festum Expectationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

EXpectat Maria Redemptionem nostram. O quali cum gaudio! quantâ modestiâ,& puritate! Chare fili! nunquid & nos expectamus, ut in cor nostrum veniat oriens ex alto Christus Jesus cum omnibus suis donis, & gratiis? Præparetur itaque cor, & illîs exornetur virtutibus, quibus excoluit Maria, & videbimus gloriam Domini intra nos. *Animi, & corporis munditiæ oculos mentis acuit ad videndum Deum.* S. Xav.

Instructio meritoria.

Speciali affectu, & devotionis sensu gratulemur Mariæ ad instans Nativitatis Dominicæ gaudium; quod, ut usque ad ipsum festum debitè præveniamus, quotidie recitemus *novem Pater, & Ave,* & si fieri potest, etiam novies *Magnificat* in

in honorem novem mensium, quibûs Jesum portavit sub immaculato, ac virgineo utero. *Unde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit, solus ad eam ejus fabricator, & Dominus venit.* S. Augusti.

II.

QUid sibi Festum Expectationis? Ut agnoscamus Redemptionis nostræ beneficium, & grande in Maria admiremur Maternitatis Mysterium. Pro primo gratias agamus SSS. Trinitati: Pro secundo collætemur Mariæ. Hinc Maria effecta est sabbatum nostrum, quô requiescimus; Solis dies, quô illustramur; Lunæ, quâ benignè reficimur; Martis, quô & certamus, & vincimus; Mercurii, quô sapimus; Jovis, quô lætamur; Veneris, quô castè amare didicimus. Ita Salazar.

Instructio meritoria.

Utrumque ut devotè, & dignè recolamus, ad signa Salutationis Angelicæ, ubi ubi fuerimus, humiliter flectamus, & manibûs erectîs veneremur contenta in salutatione Redemptionis Sacramenta.

ta. Pro veneratione septem gaudiorum Beatissimæ Virginis *Coronam* hodie Marianam cum mysteriis gaudiosis persolvamus. Hoc Mariæ privilegium est, quòd, quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. S. Bonaventura.

III.

QUod quondam Isaias, id nobis quasi innuit hîs diebûs Maria: *Confortamini, & nolite timere! Ecce Dominus noster veniet, cum virtute, & illuminabit oculos servorum suorum.* O felicia tempora! his sancta respondeat vita!

Instructio meritoria.

Sed quomodo? Manè dum surgimus, à vespere dum lectum sternimus, & ad noctem dum cubitum petimus, flectamus genua, & adoremus Jesum in utero Matris, & dicamus: *Centies millies laudetur dulcissimum Dei Verbum pro nobis Incarnatum hîc & ubique semper.* Addamus & quotidie tempore opportuno illas 7. Antiphonas, quæ incipiunt sub littera

littera O majore. Simus ò chare! devoti servi Filii, servitutem fideliter appetamus Genitricis. Sic nempe refertur ad Dominum, quod servit ancillæ: sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri: sic transit honor in regem, qui defertur in famulatum Reginæ. S. Ildeph.

Festum S. Dominici à Silos ex Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

PAscit hic parvulus oves paternas! subitò exardescere incipit desiderio, & amore magnæ sanctitatis & obtinuit contemptu sæculi. Abundamus mi fili! vitiîs: caremus desiderio Christianæ sanctitatis? Quæ causa? Nimius mundi amor, & tœdium virtutis. Deum inquiramus. Nemo imbecillis est, qui scienter nititur ope divinâ. Miramur, nos non operari magna? Credidero; Quia magna non speramus. Nostræ confidentiæ commensurat Deus influxum gratiæ. Hâc viâ scandemus ad maxima.

In-

Instructio meritoria.

Igitur tres heroicas statuamus victorias contra appetitum concupiscibilem vel in loco refectionis, vel tempore recreationis reportandos. Ut Deus suam tribuat gratiam, præmittamus *duodecim Ave* cum illis orationibus ex Cursu Mariano ad Laudes, inchoandô ab Antiph. *Sancti Dei omnes intercedere dignemini &c.* O chare! nostrô vitiô, non Numinis gratiam offerentis parsimoniâ tot intercidunt bona, quæ præstò possent fieri Dei gratiâ. Non esurimus Justitiam! ideò hæremus in minimis.

II.

PRopter Justitiam sustinuit exilium S. Dominicus. Pro Deo, pro Maria, pro virtute, & nostra sanctitate quid nos attentamus? Magna sunt illa omnia. Et vilibus expleri operibus, patitur Christiani, ac religiosi animus? Fili! non quid à nobis factum, sed quid fieri debuisset, si in censum vocemus, ingens obligationis onus nobis incumbere fatebimur, dum plura factîs omissa comperiemus. Heu! Quæ tunc nostra erubescentia?

Instructio meritoria.

Non quidem à nobis extraordinaria petuntur, hæc tamen assumere, perfectorum, & Deum verè quærentium est. Extraordinaria sunt, quæ desursum accepimus, Dei munera: Et quid extraordinarium hodie, vel in temperantia, vel in modestia, vel in taciturnitate operari non pigeat. Pro quarum virtutum (ò quàm nobilium!) augmento recitemus *officium de SSS. Trinitate.* Tria nobis desunt! ab Uno Trino petamus!

III.

INter adversa S. Dominicus Mariam afflictorum consolatricem semper pro asylo habuit, triplici & ab Illâ redimitus coronâ. O beata sic coronandorum sors! Una harum mille terræ superat coronas. Nec unam devotis filiis præparat cœlorum Regina. Properemus, laudemus, veneremur Mariam, ut comprehendamus.

Instructio meritoria.

Pro triplici hac corona trinum hodie ex singulari erga quindecim SS. Mysteria devotione S. Rosarium recitemus.

Non

Non deerit præmium, si nos à cultu, & amore Mariæ nullum retraxerit tœdium. Per Mariam enim innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & unitur, diabolus vincitur, & conteritur, juxta scriptum: *Ipsa conteret caput tuum.* Idiota.

Festum S. Thomæ Indiarum Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

DIsplicuit Christo incredulitas Thomæ. Hinc illa increpatio: *Noli esse incredulus; sed fidelis.* Fili! terreant nos ista, & ad vivam, ac operosam animos excitent fidem. Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia remunerator bonorum est. Hebr. 11.

Instructio meritoria.

Ne simus de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt, in honorem duodecim Apostolorum hodie *duodecim Pater & Ave cum symbolo S. Athanasii: Qui-*

cunque vult salvus esse &c. recitemus cum repetita sæpius S Marci attestatione: *Credo Domine! adjuva incredulitatem meam.*

II.

BEati, qui non viderunt, & crediderunt. Fides firma, & viva esse debet. Sed non est, si solùm secundùm carnem, & sensualitatem est. Velle tantùm credere, quod manibus palpabile, non credere, sed decipi est. O chare fili! si credimus solùm secundùm carnem, moriemur. Testor D. Jacobi verba: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus in spiritu factis. Non nomen salvat Christiani, sed mensura Nominis. Peccata increduli Christiani graviora sunt, quàm peccata gentilium, *quia atrociùs sub sancti nominis professione peccamus.* Salvianus.

Instructio meritoria.

Tremenda hæc sunt! studeamus hodie reflexè divinæ præsentiæ nobiscum repetendo suspiria Thomæ jam jam pœnitentis: *Dominus meus, & Deus meus!*

Jun-

Jungamus quoque psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* Non contemplemur, quæ videntur, quia temporalia sunt. Ad invisibilia cum fidei oculis. Hæc æterna sunt.

III.

Fides constans est. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quis autem inconstantior homine sensualiti deditô? tamdiu credit, quamdiu inter corporis solatia, recreationes, & alia carnis delectamenta. At hîs recedentibûs, aut ablatîs obliviscitur Domini, ac Dei sui. O miseram fidem! non fidem, quia mortua.

Instructio meritoria.

Nunquam accedamus locum refectionis, recreationis, aut conversationis nisi aut præmissô speciali examine, aut coram Sanctissimo reflexâ intentione devotissimâ cum positiva protestatione, non aliter, quàm cum, & propter Deum nos reficiendi, refocillandi &c. In confirmationem addamus unam, alteramve cautelam circa gustum, linguam, oculos, & auditum, quam roborabimus *septem*

Pater, & Ave cum *uno Credo.* Ibi plus requiritur cautelæ, & sollicitudinis, ubi plus imminet periculi. Ne amare videamur, fugiamus.

Vigilia Nascituri Domini nostri Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

COnsolamini! consolamini dilecte mi! Hodie scietis, quia veniet Dominus: & manè videbitis gloriam ejus. Constantes estote! Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit, super nos Salvator sæculi. O quanta dies! Taceant, & quiescant cogitationes turbidæ! Jesus appropinquat! Fili! ad Jesum properamus. Ut autem videamus Deum de Deo, lumen de lumine.

Instructio meritoria.

Præparemus Domino optatum habitaculum per solitariam, quietam, & sobriam vitam, nos segregandô à negotiis extrinsecis, & detinendô in solitudine sancta. Repetamus illa septem O Majora cum oratione de Vigilia. Quod pisci est aqua, hoc nobis est vita recollecta.

Hâc

Hâc quid eſt præclarius (interrogat S. Auguſtinus) Quid animæ utilius? Quid ſpiritui dulcius? Quid in tota noſtra religione ſublimius?

II.

ATtendamus zeloſe fili! ſtant ante fores Jeſus, & Maria. Stant, pulſant, rogitant: Aperi frater! aperi fili! Præbe mihi cor tuum. O quantum ſcelus! negare Deo, negare Mariæ, quod tam ardenter expetunt. Quàm dulce, fuiſſe ſemper cum Jeſu, & Maria! Mortis hora pandet omnia. Væ tunc ignorantibus Jeſum, & Mariam. Quis enim conſolabitur agonizaturos? Jeſus & Maria reſpondebunt: *Neſcio vos.*

Inſtructio meritoria.

Aperiamus dilecte mi pulſantibus continuâ hujus diei recollectione, impendamus nos totos lectionibus ſpiritualibus huic feſto magis propriis, adhibeamus & ſpecialem meditationem de Beneficio Redemptionis, & frequenter nos coram Sanctiſſimo Altaris Venerabili piîs ſuſpiriîs, atque deſideriis ad Domini adventum detineamus recitandô pſal-

mum: *Benedic anima mea Domino &c.* aliúmque actum ſacri rigoris, vel humilitatis in gratiarum actionem petendo à Ven. Patre ſpirituali. Chare! *Demus Deo aliquod tempus vitæ noſtræ, ne diem totum iſta vanitas, & ſollicitudo miſeranda conſumat.* Chryſol.

III.

O Impietatem mortalium! quot ſunt, qui Feſtivitatem craſtinam pietate, amore, devotione, aut compaſſione humaniter præveniunt? Ah! quoties Jeſus! quoties Maria pulſantes, & ſtantes ad cor hominis audient: *Clauſa eſt janua! neſcio vos.* Ferreum ſit pectus, quod non doleat ad tantum impietatis, & nefandæ ingratitudinis ſcelus.

Inſtructio meritoria.

Nos de ſorte piorum (utut paucorum) ſimus! Hinc compatiamur pauperibus, imò derelictis Jeſu, & Mariæ, & in compenſationem omnis ingratitudinis, omnis irreverentiæ, & humanæ impietatis *tria Roſaria* cum omnibus Myſteriis flectentes quàm devotiſſimè perſolvamus. In fine proſtrato corpore, & expansîs bra-

brachiis noſtras quoque deprecemur irreverentias, addendô pſalmum *miſerere*. Fili! ò quàm profundè nos ſubmittere debemus in oculis offenſæ Dei Majeſtatis, coram qua nihil aliud nos eſſe invenimus, quàm nihil, & nihil. Humiliemur, ut nos Deus exaltet in die viſitationis.

Nativitas Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

EXHORTATIUNCULA I.

TAceo mi fili! quia vobis loquitur Verbum, quod hodie Caro factum eſt. O ſi loqueretur, nobisque ſpiritum inſufflaret ſuæ humilitatis, perfectum rerum mundanarum contemptum, & amorem erga cœleſtia ardentiſſimum! ut obtineamus, transeamus usque Bethleem! Si nunquam deteſtati ſumus pompam ſæculi, hodie fiat coram Præſepio Domini. Natus enim & datus eſt nobis nudus, pauper, & inops Parvulus, & hic Dei Unigenitus.

Inſtructio meritoria.

Viſitemus præſepe Domini, ſed eâ modeſtiâ, & gravitate, quâ hodie adorârunt

Angeli. Accedamus: sed hôc propositô, nec oculos ad curiositatem aperiendi frivolam, nec linguam solvendi ad garrulitatem minimam. Consolari debemus Jesum, non offendere, & contristari. Coram præsepio erectîs manibûs recitemus 3 3. *Pater*, & *Ave* in venerationem totius ætatis Christi. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit*, clamat D. Paulus.

II.

O Tremor! Hic ipse Divinus Pusio, quem cernimus plorantem in præsepio, jam nunc fungitur officiô Judicis. Jesu lacrymæ, Jesu fasciæ clamant: *Væ vobis divitibus! væ vobis, qui saturati estis. Væ vobis, qui nunc ridetis.* O fili! talia sectari quàm periculosum! quàm offensivum nati Redemptoris?

Instructio meritoria.

Abstergamus has lacrymas! Jesum tollamus de præsepio, in corde abscondamus, & absconditum deportemus nobiscum ad mensam & de quolibet cibo aliquam portionem esurienti offeramus. Finitô prandiô revertamur ad præsepe Domi-

Domini, & in honorem omnium membrorum Jesu, quibûs amore nostrûm tormenta gelu, frigoris, & reliquæ passionis quàm patientissimè sustinuit, Rosarium doloroſum persolvamus erectîs manibûs. Amor non est, qui nescit compati. *Quantò* igitur *Jesus pro nobis vilior, tanto nobis charior.* S. Bern.

III.

Dilecte! propter nos nudos nuditatem induit Jesus Incarnatus, non propter fortunas, aut naturæ dona ac munera. Ideò & nos quærit, non illa; & quia nos quærebat, voluit deseri illa, nudos nos expectans in cœlis. Quid igitur timemus pauperes fieri, si in corde integrum portare possumus regnum? Beati autem pauperes; quoniam regnum Dei intra vos. Quid paupertate melius? Quid securius? Quid jucundius? Tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; hæc semper hilaris perseverat. S. Laur. Just.

Instructio meritoria.

Pauperes simus in abnegatione cupiditatum nostrarum ad hanc, vel illam

rem habendam, aut ad plus sumendum de cibo, & potu, quàm petit naturæ necessitas: aut ad longius confabulandum, & conversandum, quàm animæ expedit. Actus ejusmodi abnegationis exerceamus *duodecim*, & Jesulo inopi in præsepio offeramus cum Lytaniis de Dulcissimo, & superbenedicto Nomine Jesu addita contestatione cordiali: *Hoc oro, hoc desidero, ut ab omni proprietate expoliatus, nudus nudum Jesum sequi valeam.*

IV.

PRæsepe Domini & Redemptoris Schola est sapientiæ. Fili! intremus, ut illuminemur. Verùm quæ ibi doctrina? audiamus, quid nobis Dei Unigenitus: *Beati pauperes! Beati, qui lugent! Beati, qui patiuntur! Beati, qui contemnuntur.* En, Divinus Pusio eligit humilitatem, ærumnas, paupertatem. Non sic mundus. Quis ergo decipitur? Aut Christus? Aut sæculum? Chare! nos ipsos inspiciamus: & sententiam dabimus. Sed ubi?

Instructio meritoria.

Coram Præsepio. Ibi per horam perseveremus, & cum *officio* de amantissimo Corde Jesu in honorem quindecim Mysteriorum tria S. Rosaria addamus. Oranti, & ad cunas Jesu vigilanti dabitur manna absconditum, & nomen novum.

Festum Glorioſissimi Protomartyris S. Stephani.

EXHORTATIUNCULA I.

LApides torrentis S. Stephano dulces fuerunt. Cur? Quia gaudens suscepit, ut mereretur accipere coronam gloriæ. O igitur quàm verum Pauli dictum: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Dæmon patientiâ confunditur. Fortitudo, & laus nostra Dominus. Fili! non interrogemus, quæ patimur? Sed quæ passus est ille: Quanti nos fecit, ex his, quæ pro nobis passus est, attendamus. S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Lapides sancti Stephani nobis non desunt. O utinam non & illius patientia!

confiteamur huic fiducialiter noſtram infirmitatem, & ut tempore tribulationis nobis potenter aſſiſtat, cum hodierna Communione ſacramentali unum Roſarium ei offeramus, deſiderantes: *Lapidari Domine cum S. Stephano, lapidari, & non mori.*

II.

ECce *video cœlos apertos*, Exclamat B. Stephanus. *Vidit & Jeſum ſtantem à Dextris virtutis Dei.* Hæc præmia ſunt pro Deo decertantium. Si delectent, non attendamus, quid dicant homines, ſed quid mereatur Deus, & quid à nobis exigat Chriſtus. Hinc S. Auguſtini monitum: *Hæc quanta ſint, cogitate! Hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, & totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit in Cruce.*

Inſtructio meritoria.

SEd quid exigit Chriſtus? Victoriam de reſpectu humano, qui toties nobis clauſerat cœlum. Igitur in Divinis officiis, exercitiis religioſis, & viſitationibus Eccleſiæ ſimus zeloſiſſimi. Claudamus ſenſus, mortificemus viſum, & linguam, & videbimus Jeſum ſtantem à Dextris Dei. Porrò Rhythmum dicamus Angelici Doctoris: *Adoro te devotè latens Deitas.* Non ſenſibûs, ſed ſpiritu jungimur Deo.

III.

INter dolores fortè obiit S. Stephanus? Neutiquam: ſed *obdormiit* (memorant acta Apoſtolo-

ſtolorum: *in Domino.* Mors piè viventium ſomno eſt ſimilior; quia tunc belli finis, & pacis initium. O fili! an non & nos deſideranter ingemiſcimus; *Moriatur anima mea morte juſtorum!*

Inſtructio meritoria.

DAbitur, ſi vivamus, ſi laboremus, ſi & patiamur ut Juſti. Igitur pactum faciamus cum omnibus Sanctis in cœlo triumphantibus, ſaltem ſemel in ſeptimana recitandi *Lytanias de Illis*, ut vel hoc fœdere nobiscum vivant inter hujus ſæculi miſerias, & varietates: & tandem à lectulo mortis feliciter, ſuavitérque deducant ad optatam patriam. Notemus & Divi Auguſtini Doctrinam: *Mori malè times, & malè vivere non times. Corrige malè vivere, time male mori: Sed noli timere: Non poteſt malè mori, qui vixerit bene.* Id quod nobis tribuant Superi!

Feſtum S. Joannis Evangeliſtæ Diſcipuli Chriſto amiciſſimi.

EXHORTATIUNCULA I.

HIc eſt diſcipulus, quem diligebat Jeſus. Cur dilexit præ cæteris? Quia Virgo electus à Chriſto, Virgo in ævum permanſit. O Fili! quò plus cordis amaverimus puritatem, & munditiem, eò plus creſcimus in amicitia cum Chriſto. Puritas cor poſſidentis lætificat, & animæ ad cæleſtia alas addit; paſſiones minuit, & animum à turbationibus protegit; juſtos illuminat, & diabolo offundit tenebras. Beatus, qui

ſic

sic permanserit, nec aliud ad cor admiserit, nisi solum Dominum Jesum Christum. Hunc eligamus, dilecte! *qui, cùm omnia fuerint subtracta, solus servabit fidem in die sepulturæ nostræ.* S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Eligamus in specialem castitatis Patronum S. Joannem Evangelistam, eúmque singulis diebûs martis (qui aliàs sacri sunt Consanguinitati Jesu, Mariæ, & Josephi) *tribus Pater, & Ave* veneremur, addendo ℣. *ora pro nobis S. Joannes Evangelista &c.* & collectam ex hodierno festo, quæ incipit: Ecclesiam tuam Domine benignus illustra &c. Non est terra oblivionis, quam anima Joannis inhabitat, cœlum est. Nunquid cœlestis habitatio animas indurat, aut memoriâ privat, aut spoliat pietate? S. Bern.

II.

B. Joannes tam graphicè expressit Jesum, ut alter fuerit filius Mariæ. Chare! possumus & nos. Possumus in oculis per modestiam, in ore per taciturnitatem, & mansuetudinem, in manibus & corpore per Christianam gravitatem, & prudentiam. Ut fiat, lex jubet amicitiæ cum Christo. Hinc Seneca: *Ea est jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjunxit.*

Instructio meritoria.

Sit ergo hodierna conversatio cum hominibus rara. Cum Christo, cum Maria, & S. Joanne Evang. aliisque cœlitibus sanctis in templo, in pia recollectione esse satagamus; In hunc finem

finem post quamlibet refectionem, vel recreationem pergamus ad ecclesiam, *novem Pater, & Ave* in honorem totius SS. Consanguinitatis Jesu offerendô. *Vera amicitia tantùm inter bonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos, & sanctos consummatur.* Cassiod.

III.

Sic eum volo manere, donec veniam, ait Christus de Joanne. Ut vel inde disceremus, non satis esse per aliquot dies vivere nos justos, humiles, & castos. Perseverantia coronat opus. *Multò melius est, non cœpisse, quàm in bono non perseverasse.* S. Aug. *currite fratres* (clamat Bernardus) *tota curia cœlestis nos expectat.* Fiat!

Instructio meritoria.

Pro gratia finali quàm modicum egimus, dilecte fili! satisfaciamus, & imposterùm pro conservatione illius quotidie *Lytanias Lauretanas* persolvamus; Singulîs verò mensibûs unam certam eligamus diem, in qua præmissâ S. Confessione sacramentalem Communionem cum cæteris diei operibus SSS. Trinitati ad stabiliendam nobis agonizantibus finalem gratiam offeramus. Recitemus psalmum: *Confitemini Domino; quoniam bonus.* Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Certè modicum seminis incrementum non modica messis multiplicatio est.* S. Bern.

Festum

Festum SS. Innocentium Primorum Martyrum.

EXHORTATIUNCULA I.

HI parvuli nondum noverunt Jesum, & jam pro hujus honore pretiosæ cadunt victimæ. O fili! nobisne ignotus Christus? Ah! quanto jam novimus tempore. Novimus ex beneficiis, quæ singulis momentis accipimus innumera: Novimus in anima, & in corpore. Cur ergo tepescimus in ejus obsequio? *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.* S. Chrysost.

Instructio meritoria.

Nulla igitur dies sinè linea. Nulla dies sine actu heroico. Et ne omittamus, urnulam nobis formemus, cui quotidie immittamus schedulam actu exercitô signatam. O quantum cum diebus, & cum his crescentibûs victoriis nostri crescent thesauri in cœlis! Industriam adeò sanctam ut inflamment Sancti in cœlis, de Illis oremus *Lytanias majores.* Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis, & Sanctis suis: & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

II.

INnocentium Passio fuit Christi exaltatio. O fili, injustè patimur persecutiones? Patiamur gaudentes. Herodes his parvulis non profuisset tantùm parcendô, blandiendô, & favendô, quantùm profuit eos persequendô. Erramus,

mi

mi dilecte, si cogitamus, nos integros, & non benè contusos perventuros ad cœlum: Cœlorum regnum est regnum detruncatorum, tentatorum, & contemptorum. Quomodo audebimus inter tot decantatos comparere capitaneos, & duces, qui adeò vivimus timidi?

Instructio meritoria.

Sileamus cum infantibus ad omnes vexationes, ad verba pungitiva, & acuminosa, & corde tacitô dicamus: *Domine Jesu! tu scis, quòd amem te; quia hæc patior tui amore.* Dein pro ipsis vexatoribus, ne Deus puniat, subjungamus expansîs brachiîs *quinque Pater, & Ave* cum suspirio S. Stephani: *Domine! ne statuas illis hoc peccatum: sed dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Nescit nostra religio accipere personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit singulorum. S. Paulinus.

III.

Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. O nos beatos, si parvulorum hodiernorum simplicitatem induerimus, & innocentiam. Hîs virtutibûs rapitur Deus cum cœlo. *Simplices diligit Deus*, testatur S. Augustinus. Simplices erimus, si nos mundo non implicaverimus. Nam implicandô jam erimus duplices.

Instructio meritoria.

Ne corrupta prævaleat in Christianos politia, & plus vivatur ex fraude, dolo, simulatione, & astutiâ, quàm verâ, genuinâ, & sanctâ charitate,

te, offeramus hodie *psalmos graduales*. Ab hypocrisi, à simulatione & politiâ subdolâ libera nos Domine! *Hypocritæ vivunt aliis, & sibi moriuntur*. S. Greg. O miseros!

Festum S. Thomæ Angliæ Cancellarii, Archiepiscopi, & Martyris pro Immunitate Ecclesiæ Constantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quàm arduum S. Thomas subiit certamen pro Ecclesia! Jacturam bonorum, amicorum proscriptiones, exilia, & quidquid malorum potuit inferri, tulit à rege Henrico. Qua mentis dispositione? Immoto vultu, & animô invictô. O fili! qui fuimus hoc anno impatientia, & fortitudine Christiana? O si æquales S. Thomæ! quanta jam nostra foret merces in cœlis! Sæpe quæ inter damna censemus, ut plurimùm lucra nostra sunt. Opes, honores, æstimationem hominum nobis aufert Deus, ut ibi quæramus, & quærendô inveniamus, ubi felix perpetuitas. Felix jactura, & damnum, quod tam salutaris doctrinæ fit magisterium. Deserant illa nos potiùs, quàm ut Deum deseramus.

Instructio meritoria.

O quàm modica nobis de Deo spes! satisfaciamus, & propter multivarias pusillanimitates impatientias, murmura, & inordinatas tristitias persolvamus vesperas ex officio defunctorum cum uno peculiari Rosario pro animabus, quæ & propter paria vitia gravissimè luunt inter purgatorii cor-

tormenta. Deſcendamus ad inferos! docebimur, plus perpeti mundi mala, quàm favoribus ac laudibus hominum extolli.

II.

PUerulum adhuc Mater Divina Maria inviſit, & in teſſeram ſui amoris caſulam donavit purpurei coloris. Honorat Maria devotos ſibi amicos. Hæc munera ſi nobis deſint, fili! cauſa in promptu eſt. Vacui ſumus Mariæ reverentiâ, & amore. Mater eſt pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In Maria gratia omnis vitæ, & veritatis; in Maria omnis ſpes vitæ, & virtutis. *Regina cœlorum eſt, miſericors eſt, Mater Unigeniti Dei eſt.* Et ab homine deſpicitur, inhonoratur? Fili! non emendabimus pro anno ſequenti?

Inſtructio meritoria.

Non annum expectemus novum! Sit hodie amori initium! Ergo, quæ vacua ſunt, impleamus, præſertim à manè ad ſignum ſalutationis Angelicæ ſine mora ſurgendô, hácque primâ diei, & noſtrûm victoriâ Mariam venerandô. Salutationi ſubjungamus *quinq; Ave cum Magnificat.* O felix! ò ſanctum! ò jucundum diei initium, quod cœptum à nomine Mariæ. *Hoc reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cœcos, recreat debiles, ungit agoniſtas, pellit dæmones.* Idiota.

III.

MAria S. Thomam docuit modum ſua tum in terris, tum in cœlis concepta venerandi gaudia. Sic nunquam non in bono Magiſtra eſt

est cœlitum Regina, dulcis Virgo Maria. In difficultatibus ad Eam recurramus! Audiet vota! Approbabit desideria! *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Instructio meritoria.

Quia Maria sic ordinavit, & sua gaudia mundo manifestavit, in venerationem *septem gaudiorum*, quibus in terra fuit perfusa; item & illorum septem, quibus jam glorioſa lætatur in cœlis, totidem *Pater & Ave* cum *septemplici Magnificat* oremus. Recedant tristia, ubi recoluntur Mariæ gaudia! Ad hæc *ridet cœlum, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt.* Idiota.

Dies ultima Anni sacra S. Sylvestro Papæ, & Thavmaturgo Clementissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii! quod Paulus, quod & sibi in lectulo mortis dixit S. Sylvester, nimirum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* An idem & nobis hâc ultimâ anni die repetere licet? Licet, si vita non reclamet. Quæ enim consolatio nostra, si nos damnet propria conscientia? Huic dum annò sequenti invigilabimus solliciti, recordemur, nos laboraturos Deo: & jam labor non erit gravis. Ubi enim amor est magnus, ibi omnis labor est modicus. Possumus laborem alleviare, fugere omnem non possumus.

Instructio meritoria.

Reformemus jam corpus humilitatis nostræ, &

& ad magna opera pro Deo, & bona conscientia fortiter in dies instantis anni statuenda præparemus. Sed ab humilitate principium. In sacro tribunali, quod vel hodie ex singulari devotione frequentandum, nos accusemus de omni abusu temporis nobilissimi: de abusu talentorum, aliorumque tum naturæ, tum gratiæ donorum, & in satisfactionem omnes psalmos pœnitentiales recitemus. Hi quid pro tantis negligentiis?

II.

TRansiit denuò de vita nostra annus: sed cui? & quomodo? Ah! si vel hâc horâ seriò deperdita deploraremus tempora, quæ nobis ad pœnitendum, & Deum possidendum concessa sunt! At quî vivemus imposterum? Sanctiùs, & ferventiùs vivendô priora redimamus tempora! Fiat! Nam S. Paulus rogat: *Videte itaq; fratres! quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* ad Ephesios 5.

Instructio meritoria.

Coram Crucifixo, vel sanctissimo Venerabili deprecemur prostrato corpore transacta malè tempora, & denique subjungamus Lytanias ad omnes Sanctos, quos hoc annô nostrâ offendimus socordiâ. Humilis confessio est novarum gratiarum impetratio.

III.

QUid omisit bonorum Deus, quæ nobis hoc potuit præstare annô, & non præstitit? Nos

Nos verò quid non omisimus? Quanta in Dei servitio negleximus? Abyssus abyssum invocat, si seriò perpendamus. Verum, ò chare fili! confidamus! animos reassumamus! Dedit Deus nova tempora! Hæc Deo, & saluti duntaxat impendamus. Sit tota imposterum diei cura, *pati mala*, & *agere bona*. An non recordamur, quid nobis Petrus Chrysologus: *Dedimus corpori annum, demus animæ dies. Vivamus paulum Deo, qui toti viximus sæculo!*

Instructio meritoria.

Certum nobis conscribamus ordinem vitæ futuris annis continuandum. Ad benedicendum exhibeatur Venerabili Patri spirituali. Pretium providæ adeò industriæ pandet experientia. Cæterùm ut diem quondam ultimum feliciter, suavitérque claudere mereamur, ex reflexo gratitudinis affectu (quantùm commodè fieri potest) tria cum suis Mysteriis SS. Rosaria SSS. Trinitati offeramus, & annum cum *Te Deum* finiamus pro tessera revolventes verba Magni Indiarum Apostoli: *Non quiescendi hîc locus est, sed eundi. Viatores nos voluit Deus, qui æternitati per momenta propinquamus. Par in hoc omnium, qui nati sunt, conditio; illa dispar: quod ad infelicem isti, beatam alii properent regionem.* Sic anno noviter instanti curramus, ut comprehendamus, & jubilantes dicamus:

In omnibus glorificetur Deus, & in Deo
Magnus Pater Benedictus.

ADAUC-

ADAUCTUS CONSOLATOR FIDELIS ANIMÆ SEU EXHORTATIUNCULÆ SUPERADDITÆ.

In

Diversos dies festivos, & Status Personarum, omnis Ordinis, sexûs, & ætatis.

EXHORTATIUNCULA I.

Pro die, quô quis natus est mundo.

I.

FIli Charissime! Ubi erat ante centum annos? Sepultus jacuit in barathro sui nihili: Sed ubi modò? in statu omnis felicitatis. Animam dedit Deus immortalem; animam formavit Deus in sui imaginem, atque idæam: Quæ hæc felicitas? Agnoscunt creaturæ cæteræ esse suum:

Quid agat homo, cui datum, quod tot millibus negatum. Fili! *Lapis de pariete clamabit*, si hodiernum nativitatis suæ diem non perenni quotannis recoluerit memoriâ.

Instructio meritoria.

Fiat! Et ecce modum! SSS. Trinitatis opus fuit Nativitas nostra. Gaudeamus! In recollectione mentis maneamus! Tria SS. Rosaria (Cuilibet Divinæ Personæ suum) persolvamus cum 12. actibus modestiæ, & taciturnitatis. Cum S. Brunone autem sæpius de die ad cœlum suspiremus: *O Bonitas! O Bonitas! O Bonitas!* Sit gloria Patri, qui me creavit! Sit gloria Dei Filio, qui me redemit, & vocavit! Sit & Spiritui Sancto, qui me sanctificavit. Amen.

II.

O Amandissime! Quale esse accepit hodie de manu Dei? Profectò omnium nobilissimum, te faciendô hominem perfectissimum. Congregavit in te id omne, quod est partitus inter creaturas cæteras. Dedit tibi esse cum cœlo, astris, atque elementis. Quid autem agit cœlum? Quid astra, & elementa respectu Dei? Noli vinci eorum promptitudine! Noli ab inanimatis!

Instructio meritoria.

Ter dicamus Canticum Danielis: *Benedicite omnia opera Domini Domino* &c. Et illud frequenter nobiscum repetamus suspiciendô cœlum: *O quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!* Jungamus quoque tres actus mortificationis

tionis tam in oculis, quàm gustu exercendos. Non cibis, non vanitatibus, sed Deo nati sumus. Valeant cætera!

III.

ET ad quid ô fili! tam nobilis nativitas vobis? Ad quid anima immortalis? Audite cœli! Et obstupescite! Creavit Deus hominem, ut homo totum æternaliter possideret Deum. Quanta inde diabolo invidia! homini servatus in cœlo thronus, quô ille excidit æternùm miser. Cavendum, ne & nos præcipitet. Quomodo? In nihilo superbiendô: Creaturis abutendô: Intellectu, & voluntate Deum dimittendô. Heu ingratitudinem mille infernis dignam.

Instructio meritoria.

Transigamus ergo dies ac noctes ardentissimis affectibûs beneficium Creationis rememorandô. Et quia nati in Romana Ecclesia; quia à tam piis parentibûs educati, tot naturæ, & gratiæ donîs ditati, per reliquum vitæ decursum quotidie à manè, & nocte cantemus *Te Deum Laudamus* &c. Cum duodecim osculis terræ, quorum clausula: *Benedicamus Patrem in sua Omnipotentia, Christum JEsum in sua Sapientia, & Spiritum sanctum in sua infinita Bonitate, & Providentia.* Fili! Quid si integram devotionis institueremus Octavam? ampliora meruit gratia tanta!

EXHORTATIUNCULA II.

Pro die Natalitii Nominis.

I.

DIlecte! Quàm magnificum est Nomen, quod imposuit Deus! Emptum est sanguine JEsu. Vosne portabitis sinè labore? Sinè fortitudine? Grande nomen magna facta exigit. Non est Christianus, qui opera non facit Christi. Et illa ô quanta! Ad hæc eluctari possumus, si volumus. Tentemus! Piis conatibus certè aderit Christus.

Instructio meritoria.

JEsum ne offendamus, in vacuum portandô nomen, tot dies pro speciali devotione nobis statuamus, quot litterîs constat Baptismale nomen. Per illos autem dies quotidie ter visitemus sacrosanctum Venerabile, & Lytanias de dulcissimo Nomine JEsu quàm attentissimè recitemus, additîs in fine hîs precibûs: *Domine! Tibi vivam! Tibi & moriar frater de Nomine JEsu!*

II.

O Providum cœlum! Vix nati estis: Jam vestrûm ô fili! misertus est Deus. Ad sacrum fontem vocat, S. Baptismate mundat, & nomine omnium præstantissimô, nomine Christiani honorat. Sed quis verè Christianus? Qui credit, quæ fides docet. Fili! Vana est fides, mortua est fides, ubi regnant peccata. Non peccaremus, si firmiter crederemus, dari Deum, infernum, paradisum. O quàm pauci igitur

igitur veri Christiani! Augeamus numerum nostrâ pietate, & vitâ exemplari.

Instructio meritoria.

Ut Christi fideles vitâ, moribûs, & sanctîs laboribûs Christum in seipsis exprimant, & omne peccatum extremè fugiant, ad omnes Cœlites clamemus persolvendô *Lytanias de Omnibus Sanctis* cum suspirio: Domine JEsu! Excita potentiam tuam, & veni, ut repleas tuorum corda fidelium fide ardenti, & vivacissimâ!

III.

BOne; O si nomen suum quondam legeret scriptum in libro vitæ! Verùm modicæ spei! Quare dubitat? Sit fidelis, & bonus miles Christi: Pro stipendio apprehendet vitam æternam. Qui vexillum sibi statuit Christi, stat contra carnem, & sæculum; nescit gaudia, nisi quæ latent in Crucis gloria. Et ô dilecte! *Quis sanctorum sinè tribulatione coronatus est? Quære; & invenies singulos adversa perpessos.* S. Hier.

Instructio meritoria.

In hodiernis adversitatibus, & pressuris (sinè quibûs dies nulla) nostram pro dignitate nominis probemus constantiam, & dum soli, procidamus in genua, & SSS. Trinitati gratias agamus, orandô ferventer psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus.* Tessera diurna sumatur ex S. Laurentio Just. JEsu! *Da hîc patientiam! ibi verò indulgentiam!*

EXHORTATIUNCULA. III.

Pro Gratioso tempore Clementissimi Jubilæi.

I.

BOna nova! O fili spiritualis! Bona nova! O nobilis! Chara anima! En! Magna vobis offertur desursum gratia, quia lucranda peccatorum omnium indulgentia. Hâc è scelerum exuimur sordibus; hac à servitute diaboli redimimur. Ut acceptemus, invitat nos Christus: *Venite!* Clamat Ecclesia: *Currite!* Allicit vita æterna: *Et ego reficiam vos.* Quid deliberamus?

Instructio meritoria.

Gratiarum actio est novarum impetratio. Adeamus proin thronum gratiæ, videlicet Ecclesiam, & tria nobis seligentes altaria, ter visitemus in honorem ætatis Christi JEsu quàm devotissimè recitandô 34. *Pater & Ave* cum Vers. *Te ergo quæsumus, tuis famuli subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Quot anni JEsu, tot aperti in nos Divinæ Bonitatis thesauri.

II.

EN! Tempus acceptabile! Ecce! Dies salutis! O quanta sunt coram Deo debita nostra! O quis suppliciorum numerus, quem toties peccandô, tot amos tam infructuosè impendendô: dona Dei, & naturæ perdendô atque negligendô auximus. Heu! Jam imminet iræ Divinæ gladius! Jam ardet ignis! Flamma instat! Fugiamus,

mus, ô chare! De medio Babylonis, de medio confusionis! Curramus ad pœnitentiam! Impetrabimus Dei misericordiam.

Instructio meritoria.

Pro condigna ad lucrandum Jubilæum præparatione solitariè vivamus, per recollectionem internam à mundo nos abstrahamus, & cum magno spiritu psallamus coram quodam Crucifixo: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Psal. 106. Petentibus justa nihil hodie negetur! Date, & compensabitur cum fœnore!

III.

SCit fili! quis ipsum invitet ad sinum gratiæ? Dicat dubitanti Divus Gregorius: *Ecce ipse, quem despeximus, vocat nos.* Ecce JEsus pandit brachia, ut ibi te abscondas pro indulgentia. Pandit, etiam non rogatus. Offert, utut toties offensus. JEsus te amicum vult, amicitiam tuam rogat, & suam à te acceptari postulat. O excessum Divinæ Clementiæ! Quisnam hominum offensus, & tam misericors, tam amicus in offendentem? Adorares, si invenires. JEsus is fuit! Gaude! Adhære! Sequere!

Instructio meritoria.

Amor provocat amorem, ut ignis ignem. Peccatum sat est! Donemus hodie JEsu illam occasionem, quâ frequenter nos cecidisse, advertimus. Amor Dei jubet: Caveamus, ne adeamus. Etiam unicum seriò cavisse peccatum, signum magni amoris est. Fuga unius pariet

horrorem alterius; horrore autem peccatorum quid sanctius? Ut in eo crescamus, *psalmos pœnitentiales* offeramus. Plangamus præterita, ut non committamus amplius plangenda. Ecce misericordiæ Domini! Misericordiæ Domini! Quia non sumus consumpti.

EXHORTATIUNCULA IV.
Pro Ingredientibus sacram Religionem.

I.

UNde? Dilecte mi! Siccine à sæculo ad Christum? Laudo sanctum, & firmum propositum. At non sufficit, mundum reliquisse corpore; huic & animô atque affectibûs moriamur, necesse est. Si in sæculo fuimus superbi: vivamus jam humiles religiosi, si iracundi, & impatientes: jam simus mansueti, & fortes; si temporalibus addicti: nunc Deo, & cœlestibus immersi. Et hæc est vera Conversio sui. JEsum quærimus? Ergo quæ JEsu non sunt, abjiciamus.

Instructio meritoria.

Pro singulari gratia vocationis, & hujus constantia dicamus officium minus de SSS. Trinitate cum Psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Additô hoc perenni amoris, & recognitionis pacto: manè, & noctu quotidie duodecies exosculandi terram sub dicto: *Domine! Quid est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

II. Fi-

II.

FIli! jam cantemus Domino, & jubilantes cum Psalte regio dicamus: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Gaudeamus, jam nobis non licere amplius, quod cum animæ detrimento licuisset in sæculo. O quàm feliciter, & promptè extremam præstolatur diem, & horam, quem dulcis cellula ab omni tumultu, & vanitate sæculi abstulit, vivúmque sepelivit Deo. O quàm sancta, quàm pura, & immaculata est religio, in qua vivimus puriùs, cadimus rariùs, quiescimus securius, morimur suaviùs! Ecce! Quàm beata religiosorum sors!

Instructio meritoria.

Teneamus! Ne alius surripiat nobis. Publicum fugiamus! Oculos claudamus! Vanitates horreamus, & sedentes cum pœnitente S. Maria Magdalena ad pedes Domini, recitemus psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Addamus duodecim Pater, & Ave, ut spiritu plusquàm Apostolico erudiamur in lege Domini, & in testimoniis JEsu Christi.

III.

MEmento chariſſime Neoconverse! Te & Christianum, & religiosum jam esse, & hoc ipso ex titulo obligatum graviſſimè ad renuntiandum nugis, & pompis sæculi. Dabit sola renuntiatio, quæ nec recreationes, nec commessationes, nec lusus, nec vitæ laxioris libertas

bertas dare possunt. Perdere corpus cum anima possunt: salvare, & quidem æternùm non possunt. Studium virtutis, & Dei servitium damnavit neminem. Unde ergo è numero hominum tot descendentes ad inferos? Quia erraverunt à statu suo, credentes sæculo, resistentes Evangelio, rebelles JEsu Christo. Hinc gemitus illi: ergo erravimus à via veritatis? Lassati sumus in via iniquitatis. Quid hoc ô Novelle! sequemur & nos? Ah! Ah! Reddant nos aliena pericula cautos.

Instructio meritoria.

Ut fiat, his tribus se potissimùm applicet. 1. Profundæ humilitati in prosperis. 2. Conformationi omnium actuum ad vitam Christi in dubiis. 3. Exercitio amoris Dei super omnia in adversis. Ad signum Salutationis Angelicæ in dies singulos rogitet gratiam sacræ Professionis, inferendo cuilibet Ave votum Angelicæ Castitatis, perfectæ Obedientiæ, & religiosæ Paupertatis. Crescunt desideria rememorandô: Crescant & nostra!

EXHORTATIUNCULA V.
Pro Generaliter Confitentibus.

I.

MIsericordiæ Domini! Misericordiæ Domini! Quia non sumus consumpti: O fili! diu dilectam quæsivit oviculam Pastor bonus; diu vestram expectavit animam dulcis JEsus. Tandem! Tandem inter brachia, inter vulnera videō,

deo ; quia ingemiscentem, peccata sua deplorantem, vitamque præteritam detestantem audio. O quàm bonus Israël Deus his, qui quærunt, & diligunt eum! Dilecte! peccatum, offensum satis est! JEsum non dimittat! Anima vestra pretium sanguinis est! Donetur, impendatur illius obsequiis, cujus est. Procul cum peccato! Procul cum inconstantia!

Instructio meritoria.

Gratulor ad generosam sui victoriam, quam tulit per confessionem adeò sinceram, & candidam. Gratias agamus cœlo, & toti SSS. Trinitati recitando omnes psalmos pœnitentiales cum annexis Lytaniis de omnibus Sanctis, quibus addamus *Te Deum Laudamus*, id quod per octo dies continuabimus, memores, quid filius prodigus debeat Patri stringenti se?

II.

ECce sanus factus es! Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Fili! juravimus fidem Domino Deo! Frangere non licet. Est enim Deus, qui dicit: *Ego Dominus*, & *non mutor*. Aliudne audebit servus? An non æquum est, ad tempus brevissimum esse illius, qui noster est futurus totâ æternitate? Timeamus, ne, si constantes non fuerimus, amittamus cum Deo finalem gratiam denuò nos convertendi ad Dominum. *Illa* enim juxta S. Augustinum *est pœna peccati justissima, ut, qui rectum facere cùm possit, nolit, amittat posse, cùm velit.*

Instructio meritoria.

Absque perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Nos ut aprehendamus, merita diei hodiernæ omnia iis applicemus miseris fidelibus defunctis, qui ob inconstantiam graviſſimè luunt inter flammas purgatorii horrendas, addendô vesperas ex officio defunctorum. Redimamus, ut redimamur.

III.

BOna, & reformata vita hamus est, quô & malos alios attrahimus Christo. Sic primi fideles, & Apostoli vitæ exemplô, & sanctitate plures sibi acquisierunt in socios, quàm superbi Philosophi magnificentiâ doctrinæ, *nec tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factîs docendô.* Tertull. Fili! Piè, sobriè & justè vivamus in hoc sæculo. Sic fiet, ut soli placeamus Christo.

Instructio meritoria.

Cadit, qui pericula diligit. Fructum speramus de Confessione Generali, qui est odium peccati, contemptus sæculi, & ardens desiderium Dei? fugiamus occasiones labendi! *Ecce hostem! quem fugisse, vicisse est.* Clamat Euseb. Emiss. Oculos claudamus! mulierum aspectus horreamus! Mariam duntaxat contemplemur, diligamus! Hæc ne permittat in antiqua nos reincidere peccata, Rosarium speciale cum quinque Psalmis de Nomine Mariæ persolvamus. *Quis à Maria unquam vel tristis, vel æger abiit?* S. Amad.

EX-

EXHORTATIUNCULA VI.

Pro intrantibus octiduana Exercitia sacra.

I.

QUorsum? O devota anima! Ergo abdita, & deserta petitis? Siccine à terrenis ad cœlestia? Ab humanis ad divina? à transitoriis ad immortalia, æterna properatis? Bene est! Precor beatum iter! Pergite, quò vos vocat Deus, & tota cœlestis curia! Pergite! Sed non sine socio! Sine comite fideli! Quis autem ille? Non alius, quàm viva fides, spes firma, charitas ardentissima. Fugient inimici, ubi tantus comitatus à latere. Jam currite! Properate! Sponsus venit! Sponsus clamat! Sponsus en! En! jam aperit, & intrat.

Instructio meritoria.

Pro felici sacræ solitudinis auspicio recitemus illa septem O Majora, quæ post Dominicam tertiam in Adventu invenienda. Addamus quoque hymnum de Spiritu Sancto: *Veni S. Spiritûs!* &c. *Veni Pater pauperum* &c. cum collecta: *Deus, qui corda fidelium* &c. Fili! Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia ex Deo est. Ergo clama! Ora! Ne cesses.

II.

SOlus vult loqui nobiscum Deus. Ecce! Ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquor ad cor ejus. Fili! Ambula igitur cum

Deo, & esto perfectus, continuò recollectus, in Dei præsentia penitùs absorptus, tibi, sensibus, & sæculo mortuus. Et cur hoc? Respondet S. Aug. *Magna profectò nobis est indita necessitas justè, & rectè vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.* Deus te videt: Et sanctus non sis?

Instructio meritoria.

Cogitationes ex sæculo quàm primùm senserimus importunas animæ, statim allidamus ad vulnera JEsu, genua flectendô, & ex D. August. suspirandô: Domine JEsu! Per illa SS. Vulnera, quæ amor nostri tibi impressit in Cruce, quæsumus, tuo famulo subveni, quem pretioso sanguine redemisti. Audiet JEsus, & totus ibit in obsequia.

III.

FIli! Ut video, audiit Christum monentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia! Veni, & sequere me. Sed attendat! Etiam fugientes sequitur mundus; etiam in solitudine advertuntur insidiæ. Ubique tentationes; ubique dæmon, & caro. Caveat, ne cadat. Sed simus sinè metu! Qui mundum vicimus in mundo, etiam in eremo triumphemus. Quomodo? Humilitate, oratione, austeritate, & JEsu invocatione.

Instructio meritoria.

Ita rigidè vivamus solitarii, ut per has octo dies integras nec hominem voluntariè aspexerimus, nec verbulum cum ullo perdiderimus sinè

casu

casu necessitatis. Urbs cadet, utut munitissima, ad quam aditus inimicis patet per portas apertas. Lingua muta, & clausus oculus sunt magnæ sanctitatis instrumenta. Pro horum perfecta mortificatione in venerationem omnium sensuum, & membrorum in Christo JEsu oremus 5o. Pater, & Ave cum Lytaniis de Illius nomine potentissimo. Unde excisi, inde & sanctificati sumus.

EXHORTATIUNCULA VII.

Pro Solenniter Profitentibus, & tria Vota emittentibus.

I.

FIli! Sponse! Qualis hæc dies? Quàm nobile, & pretiosum vobis imminet tempus! O si nunc daretur mentis oculô cœli penetrare palatia! Quid ambo cerneremus? Occurreret vobis SSS. Trinitas, ut Pater æternus vos in filium, Christus JEsus in fratrem suum, & Spiritus Sanctus in sponsam dulci osculô, & amplexu arctissimo adoptaret. O diem, quam verè fecit Deus, exultemus, & lætemur in ea.

Instructio meritoria.

Ne grato unquam excidat animo, ad trina signa angelicæ Salutationis quàm devotissimè flectamus, & ad tria Ave quotidie solemnia vota renovemus, cum repetita protestatione: *Tædeat me gaudere sine te: Et delectet me multa pati pro te: Sit mihi nomen tuum mea refocillatio,*

latio, & memoria tui unica consolatio. O Trinitas beata!

II.

CHare! Dum ad sacram Professionem gratulor, simul & vos in Domino adhortor rogans: Currite, & nolite tardare! Altissima enim est Professio vestra! Cœlos transit, par angelis est, angelicæ similis puritati; non enim vovebitis solùm omnem sanctitatem; sed & omnis sanctitatis perfectionem. Aliorum est servire Deo; vestrum erit imposterum adhærere; aliorum est, Deum credere, scire, amare, colere; vestrum erit sapere, intelligere, frui, possidere. Quanta obligatio!

Instructio meritoria.

Macte animo! qui dedit velle, dabit & perficere. Oremus hodie dulcia Cantica, quæ incipiunt de communi Virginum: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo* &c. violenta non durant! Hilarem datorem diligit Deus.

III.

QUi adhæret Domino, unus spiritus est. O Religionis Candidate! Imposterum non sui, sed Dei erit; non in carne, sed in spiritu oportebit vivere. Deus semper in actu est; ita sit & ipse in continuo labore, & operatione sancta. Nil durum amanti, nil amarum, nil grave sentit amor. Spurius est, si pati renuit, & fœdus cum amato infringit, aut jugum abjicit,

quod

quod sponte susceperit. Cœlum vos servet ab impietate tanta!

Instructio meritoria.

Sacra Religionis vestimenta exosculemur cum gemitu S. Pauli: *Quis nos separabit?* Et ut soli Deo adhæreamus, psalmum dicamus, qui incipit: *Deus noster, refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis* &c. non pellitur hostis, nisi clamandô, perseverandô.

EXHORTATIUNCULA VIII.

Pro Venerandis Primitiantibus & Neomystis.

I.

O Magne sacerdos! Vobis ex affectu ardentissimo noviter collatam desursum apprecor dignitatem, quam considerans doctorum aquila Divus Augustinus exclamat: O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, veluti in Virginali utero Filius Dei Incarnatur! O Venerabilis sanctitudo manuum! O felix exercitium! O verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est sacerdos Dei Filium, & quod datum non est angelis, concessum est homini. Agnoscat jam, ô inuncte fili! Quid debeat pro Sacerdotio toti SSS. Trinitati?

Instructio meritoria.

Et ut modo saltem humano, atque possibili compenset, quoties celebraverit, toties reflexè tres actus variarum virtutum (præcipue modestiæ,

destiæ, humilitatis, & temperantiæ) de die exercendos sibi statuat. Actus ejusmodi dein in libellum referat pro hoc fine specialiter designatum, in quo & secundum ordinem mensium, hebdomadarum, & dierum quoque omnia sacra jam lecta annotari deberent. Sic evitabitur omnis rerum, & sacrificiorum confusio. Pro gratiarum verò actione in recessu ab ara usque ad sacristiam imposterum recitetur *Te Deum Laudamus* cum cantico: *Magnificat: Confitemini Domino, quoniam bonus.*

II.

O Dei sacerdos! Veluti Angeli legatione fungimur pro Christo. Angeli perseverant in sanctitate, & justitia; ambulant in omni veritate, zelo, & puritate: ita perennate & vos in officiis, sacris functionibus & bonorum operum exercitiis.

Instructio meritoria.

Moribûs, oculîs, & linguâ probemus, quòd simus de ministerio supremæ Majestatis. Pro vita exemplariter, & ad omnium ædificationem transigenda quotidie sacerdotali recessui subjungamus septem Pater, & Ave pro lucrandis indulgentiis, & suffragiis defunctorum. Punctum verò pro examine particulari, vel alia reflexione pia statuatur illa Pauli admonitio: „In „omnibus teipsum præbe exemplum bonorum „operum, in doctrina, in integritate, in gra„vitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, „qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum

malum dicere de nobis. O verba cubiculis, plùs tamen cordibus, & moribus inscribenda!

III.

Dilecte! Gaudeo, quòd sacerdotem videam, quem illîs Magni Doctoris verbîs saluto: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Ad hunc finem ex millibus elegit vos Deus in sacerdotem suum. Patet cuique via, cuique datur gratia ad sanctitatem: Quantò magis vobis? Agite jam! Et Dei voluntatem perficite! Estote sancti, sicut & ille sanctus est. *O Sacerdos* (clamat S. August.) *si anima cujuslibet justi est sedes Dei, multò magis sedes, & templum vos esse debetis mundum, sanctum, & immaculatum.*

Instructio meritoria.

Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Et sacerdos, qui multùm cum sæcularibus, subvertetur. Caveamus, ne recedentes ab altari statim revertamur ad exteriora. Recolligamus nos, primitùs recessum orando: Dein ad varios actus anagogicos nos convertendô, in fine preces pro indulgentiis annectendô. Dum sumus in accessu ad cubiculum, nobiscum repetamus psalmum: *Lætatus sum in his* &c. cum quatuor Pater & Ave pro obtinendîs virtutibûs Cardinalibûs. Pro stimulo ad insignem sanctitatem notemus S. Hieronymi verba: *Grandis*, ait, *dignitas sacerdotum! sed grandis eorum ruina, si peccant. Lætemur ad eorum ascensum: Sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sub-*

sublimioribus corruisse. O sacerdos contremisce.

EXHORTATIUNCULA IX.

Pro personis Curatis, & Parochis.

I.

FIli zelosissime! anima, ah! quanti valuit! Tanti, quanti vita Christi. Et ecce! hæc ipsa jam in manu vestra est, ut reddatis illi, cujus est. Curate proin eâ sollicitudine, zelo, & amore, quem sanguis, & mors JEsu meretur. Clamate cum S. Francisco Xaverio: *Domine! da mihi animas.*

Instructio Meritoria.

Ad lucrandas Christo plurimas, manè & nocte versus quatuor mundi plagas flectamus, altùm ingemiscentes: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Pro conversione autem infidelium cum Psalmo *Miserere* unum saltem quotidie Pater, & Ave oremus additâ Ecclesiæ collectâ: *Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam* &c. Zelum suum probat, qui continuò pro animabus orat.

II.

DIvinorum omnium divinissimum est, cooperari in salutem animarum. S. Dionys. Hoc equidem sine labore non fit. Verum sat pretiosus labor, qui impenditur animæ. Hanc Jesus suscipit, & veluti suæ S. Passionis stipendium respicit. Ut autem benè laboremus, à

nobis

nobis ipsis incipiamus, nostram conversionem prodamus, & ut veros Pastores re, & opere profiteamur. Secùs impingeremus in dictum Divi Hieronymi: *Accusamus sæpè, quod facimus contra nosmetipsos diserti.*

Instructio meritoria.

Incommoda, quæ occurrent non modica, supportemus viriliter, & strenuè pro Dei gloria, & nomine. Pro lucro innumerarum animarum recitemus duodecim Pater & Ave, cum hymno: *Exultet cœlum laudibus: resultet terra gaudiis &c.* De communi Apostolorum. Ad magna magnus requiritur spiritus, & hic verè Apostolicus.

III.

VEnerande! quod est officium vestrum? Audio ex S. Jeremia; audio: sed contremisco: *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna.* In quem finem? *Ut evellas, & destruas.* Non vos respectus ullus, aut metus judiciorum, vel sermonum terreat. Exequamur, quod DEUS, & propria salus imperat. Laudes, & contemptus vulgi in promiscuo habendi sunt; aliàs timore calumniarum omittemus, & negligemus optima. Clamemus, & exaltemus vocem: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Pereat peccatum! Cadat Dagon! Exurgat, & imperet Deus.

Instructio meritoria.

Opera quotidiana, & certas de die afflictiones corporis pro placando Deo, & reconciliandis illi animabus reflexè offeramus. Porrò

ter

ter adeamus Sanctissimum Venerabile, & ut in vinea Domini magna præstemus pro emolumento Romanæ Ecclesiæ, 14. Pater, & Ave dicamus pro gratiarum actione, ratione septem Sacramentorum in Ecclesia institutorum. Septem sunt Sacramenta: & quot mortalium, qui benè utuntur?

EXHORTATIUNCULA X.

Ad Venerabiles Superiores.

I.

VEnerande Fili! Portamus Superioris Nomen! Benè; sed attendamus & quæ latent onera. Hæc premunt plerumque, qui regunt. Non gaudeamus; quia præsumus: sed omnibus prodesse studeamus; & tunc erimus servus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: Ad quid? ut demus escam in tempore bonæ vitæ, & ædificatoriæ: ut Patrem induamus, & Dominum tegamus. Tu enim solus Dominus, ô Jesu!

Instructio meritoria.

Ne honor sæculi, aut amor proprii commodi decipiant nos, duodecim Pater, & Ave oremus cum officio SS. Trinitatis. Omnis potestas, & auctoritas ad operandum in vinea Domini desursum est: Quis sibi attribuat? aut à cœlo petere renuat?

II.

SUmmus locus, monet D. Gregorius, benè regitur, cùm Superior priùs vitiis, & sibi domina-

minatur. Sanctè acceptam tractat potestatem, qui & eam tenere novit, & impugnare. Fili! est Superior. Gratulor! verùm & in Domino adhortor: Culpam persequere, personam dilige. Sumus & nos miseri mortales. Lapsos erigamus! non præcipitemus.

Instructio meritoria.

Superiori ò quàm necessarius discretionis, & lenitatis spiritus! Hic datur orantibus. Oremus proin septem Pater, & Ave in honorem septem donorum de Spiritu sancto cum Lytaniis de eodem. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

III.

QUod mellifluus Doctor cuilibet superiori, hoc idem repeto pro meo filio. *Erudimini*, clamat Bernardus, *qui judicatis terram! discite, subditorum vos matres esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui. Ut Matres fovete! ut Patres corrigite! Suspendite verbera, ubi prosunt sola verba. Ubera pandite, ut gaudeant afflictorum pectora.* O bella lectio! nunquam recedamus, ut in continua pace vivamus.

Instructio meritoria.

Ars artium est, sanctè, & utiliter præesse. Ut obtineamus à Patre luminum, à Magistro amoris & clementiæ Christo Jesu, officium minus de Illius suavissimo Nomine oremus cum Rythmo: *Anima Christi sanctifica me.*

EX-

EXHORTATIUNCULA XI.

Ad ſollicitos & Chriſtianos Parentes.

I.

VIrorum optime! S. Paulus hæc vobis vult innui: Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. Omnia relinquantur, modò filii ſalventur! Secus vobis illud Jobi imputabitur: *Duratur ad filios, quaſi non ſint ſui.* O miſera parentum ſors! Vitam dederunt: animas negligant? Hinc querelæ D. Auguſtini: Servant imaginem Cæſaris impreſſam in nummis: & non ſervant imaginem Creatoris impreſſam in anima. Manhu! quid hoc?

Inſtructio meritoria,

Commendemus filios, & filias ſingulis diebus ſacratiſſimæ de Jeſu, Maria, & Joſepho familiæ, totique Marianæ conſanguinitati, ac in hujus venerationem recitemus Lytanias de tantis Perſonis. Ab his ò quæ non ſperanda filiorum educatio, & domeſticorum protectio!

II.

PAter ſollicite! noverit utique: *Longum iter per præcepta; breve, & efficax per exempla.* Nihil præſtiterit gratius Deo, nihil & ſibi, & domui ſuæ utilius, quàm ſi bonô exemplô pietatem perſuaſerit eſſe ſuaviſſimam. O te Patrem feliciſſimum, ſi ſanctô vivendi inſtitutô conſulas ſaluti domeſticorum, pro quibus eſt mortuus Chriſtus, & quibus ſine te fortè Jeſu paſſio

Passio, & sanguis non profuisset. Heu! quid dico? Parenti dixi. satis est.

Instructio meritoria.

Stimulum ut habeant ad virtutem domestici, preces matutinas, mensales, ad salutationes Angelicas, & nocturnas erectîs manibûs, & flexîs genibûs ut persolvant, liberè jubeamus, & pari pietate præluceamus. *Efficacius enim vita* (teste Cypriano) *quàm lingua testimonium. Habent & opera suam vocem, tacente linguâ.*

III.

SAlus infantium est lucrum parentum. O quale hoc consolatorium Magni Hieronymi effatum! Prudens filius est gloria Patris. Nullum timendum conscientiæ tormentum, ubi non deficit cura parentum. In filiis, ait Ecclesiasticus, cognoscitur vir. Pater! ò Mater! nolite parcere labori! nolite curæ & sollicitudini! Ab his pendet gloria Dei, gloria boni Nominis, gloria æternæ felicitatis.

Instructio meritoria.

Summa, & consummata scientia est, ad leges Christianæ virtutis educare domesticos! Sed unde hæc nobis? Per Mariam impetrabitur, si singulîs Illius Profestîs, atque diebûs sabbathinîs ad noctem cum tota familia S. Rosarium cum Lytaniis Lauretanis devotissimè flexîs genibûs orandum constituerimus, ubi Nomen resonat Mariæ, ibi exulat, & repellitur infelix, & miserum Væ Evæ.

EXHORTATIUNCULA XII.

Ad devotos in Parentes filios.

I.

CHariſſime! tria debet parentibus: *Honorem, obedientiam, amorem.* Quicunque honorat, & parentes diligit, in vita, & morte manet amicus Dei. Et hoc an non juſtè petitur à filio? Cui enim invigilant? Cui plorant? Cui dolent niſi vobis? Redde quod debes.

Inſtructio meritoria.

Et reddere poſſumus, ſi pro omnibus gratias agentes, eorum manus exoſculemur, & in parentum præſentia loqui pauciſſima aſſueſcamus, idque in veneratıonem, & filialem reverentiam. Pro incolumitate verò Parentum, & felicitate SS. Roſario in fine *tria Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri* &c. quotidiè annectamns. Beneficia amorem provocant.

II.

PRæceptum Domini eſt: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus, & benè ſit tibi ſuper terram. Theſaurizat ſibi, qui parentes honorat. Nam pietas ad omnia utilis, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Maledictus à Deo, qui exaſperat! Hinc rejectus Chanaan! hinc & ſuſpenſus Abſalon.

Inſtructio meritoria.

Maneamus nos inter pios, & benedicendos, & nunquam eamus in lectum, niſi petitâ flexîs genibûs à parentibus benedictione pro noſtra in

eos

eos reverentiâ, cui & ſubjungamus *Novem Ave* in honorem S. Matris Annæ, Jeſu Chriſti Aviæ nobiliſſimæ. Anna ſit Parentum Cuſtos, & Regula.

III.

FIlius, qui vivere deſiderat genuinus, ambulet in timore ſancto *erga Deum:* In ſubmiſſione, & modeſtia pro conſervatione *parentum:* in continua circumſpectione, & cautela *erga ſeipſum.* Si hoc: liber erit à Diabolo: liber ab omni corporis, & animæ incommodo.

Inſtructio meritoria.

Parentes & Tutores habemus in SS. Angelis cuſtodibus. Sunt ſemper à latere nobis; ne verò ſine gratitudine noſtra, ſemel per hebdomadem aut *Lytanias*, aut *officium minus*, aut *clientalem conteſtationem* erga ipſos die Martis inſtituamus. Hæc exigit lex amoris. Ne illud audiendum: *Clientes enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me.*

EXHORTATIUNCULA XIII.

Pro Famulis erga Dominos fideliſſimis.

I.

HOmo natus eſt ad laborem, ſicut avis ad volatum. Dilecte! in aliqua vel corporis vel animi exercitatione inveniamur ſemper. Quæ cauſa? Audiamus ex D. Hier. Facito ſemper aliquid, ut inveniat te Diabolus occupatum. Ubi otium, ibi pietatis, ac vitæ ſanctioris nauſea,

& tædium. Nobilis est servitus, non despotica, cui imperat Christiana virtus.

Instructio meritoria.

Sit providus in famulatu suo! Nulla hora sine linea, sine operatione! Ordinare oportet diem: Decet & opus in opus, horam in horam distribuere; secus flebilis timenda temporum, & operum confusio. Ad sonitum horologii paululum nos recolligamus, & unum Ave cum Psalmo de profundis &c. oremus. Plorant, clamant è flammis animæ: & vix audiuntur? O duros mortales!

II.

SErvi non sunt, qui Deo, & virtuti serviunt. Fili! ah! fuge peccatum. Hoc solum te constituit diaboli, & carnis mancipium. Glorioſa est Christianorum servitus, si portetur cum libertate, & gaudiô Spiritûs. Qui libertatem spiritûs perdidit, amisit omnia, amisit Deum, gratiam, & gloriam. Et hæc perditio ad quid?

Instructio meritoria.

Servus non est sine periculo. Ut à lapsu præservetur, quotidie sanctos quatuordecim Auxiliatores veneretur, quatuordecim Ave recitandô, & eorum S. Imaginem in suo cubili affigendô, affixámque sæpius exosculandô. Tot pro uno quid non poterunt coram Deo, ut servent ab omni malo?

III.

BOne! serviamus homini sicuti Christo, & non erit durum, aut difficile, in humano ser-

servitio vivere. Ecce! quid S. Paulus ad suos Ephesios: Servi! obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Bis dat, qui hilariter ministrat.

Instructio meritoria.

A manè SS. Trinitati opera, & labores totius diei offeramus flexîs genibûs dicendô duodecim Pater, & Ave cum versiculo: *Deus in adjutorium meum intende.*

EXHORTATIUNCULA XIV.
Pro Conjugibus piè, & christianè viventibus.

I.

AUdiat, quid vobis Spiritus sanctus ex ore Ecclesiastici: In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: *Concordia fratrum; amor proximorum; & vir ac mulier benè sibi consentientes.* Pacem habete, & Deus pacis atque dilectionis erit vobiscum. Nil jucundius, nil beatius, quàm habitare in unum, in unum cor! *in animam unam!* Multa quidem corpora: sed non multa corda, ait S. Aug. Vos saltem vestra conservate unitissima.

Instructio meritoria.

Ad exemplum S. Monicæ, si quid contentionis, aut iurgii in domo insurgeret, taceamus, &

prudenter dissimulemus, & interim in honorem patientiæ, & mansuetudinis Christi quindecim Pater, & Ave clandestinè persolvamus. His modis cadet furor cum iracundia.

II.

BOne! in re tua domestica non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Optimè præest domui, qui magni tempus æstimat, & nunquam negligit, unde sibi, & suis coronam perennem fabricet pro cœlesti gloria. Ama, & fac, quod vis; tempus optimè impenditur, dum amori sancto donatur; ecce! consilium Magni Aurelii.

Instructio meritoria.

Summa prudentia, ubi vita ordinata. Ordinemus horas! Disponamus opera, antequam peragenda. Ut omnia fiant cum decenti ordine, statim à matutino tempore Jesum, Mariam & S. Josephum in Rectores, & Custodes nostros eligamus, & Lytanias Lauretanas oremus. Hæc sancta Trias non admittet dæmonis insidias.

III.

FIli! ò quot adversa, contraria, & minùs prospera non quotidie vobis eveniunt in statu vestro! Non velle portare, est jugum Christi abjicere. Quòd, & cur talia feras, novit Ille, qui novit omnia, & scit in tua convertere commoda. Si castigat, Pater est. Non potest esse malum, quod venit de manu Dei. Hinc excipe cum osculo, & gaudens tibi dicito: *Dominus est! quod bonum est in oculis suis, faciat.*

In-

Instructio meritoria.

Sit vobis commendata Benedictinæ Gertrudis pietas, & praxis, quæ sæpius per diem flexîs genibûs hîsce obtestata Deum: *Fiat in me, de me, per me, circa me, & circa omnia mea, sanctissima voluntas, in tempore, & æternitate.* Chare! sola Dei voluntas, ille est digitus, quô Deus appendit, regit, & continet orbem terrarum.

EXHORTATIUNCULA XV.

Pro Cœlibatum, & Virginitatem colentibus, atque voventibus.

I.

CHarissime! optimam partem elegit, dum soli Christo adhærere, & in statu Virginitatis vivere, & mori decrevit. *Virginitatis* enim *dignitas* (ait D. Chrysost.) *quærenda* non super terram, sed *in Paradiso est.* Si in Paradiso: quid jam ampliùs vobis cum sæculo, aut aliô sensuum oblectamento? *Virginibus Christus insidet,* loquitur S. Hier. ergò & tenendus, ne vanitas rapiat.

Instructio meritoria.

Si titillent mundi gaudia; si instanter allicant sensuum irritamenta, corporis solatia, & delectamenta, procidamus coram Crucifixo, filialiter protestantes: *Dixi! Juravi! Delicia mea sunt esse cum Deo, & Jesu Christo.* Mox subjungatur Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Cui & hunc versiculum inseramns: *Benedicite omnes beati mundo corde,*

& renuntiantes sæculo. Virgines semper colloquuntur Domino. S. Hier.

II.

DIlecte! ò quid vobis Spiritus sanctus! *Florete flores quasi lilium* (sunt illius monita) *date odorem, frondete in gratiam, benedicite Dominum in operibus suis.* Ecce! quæ obligatio vestra? quàm magna, & sublimis! Ut impleatis, florete, & constantes estote in vitâ piâ, sobriâ, & justâ. Inde stabit vestra salus, & Dei gloria.

Instructio meritoria.

Sed & hoc possumus, mi fili! si in cultu Mariano, & amore Reginæ Virginum, Intemeratæ Matris fuerimus devotissimi. Huic à manè per quinque Ave nostrum S. Virginitatis propositum commendemus, & per diem cor sæpiùs signantes dicamus: *Per S. Virginitatem, & immaculatam Conceptionem conserva cor, & animam meam ab omni macula in Nomine † Patris & Filii † & Spiritûs † sancti. Amen.* Quid facilius?

III.

SEx sunt, quæ incorruptam conservant Virginitatem: 1. sobrietas. 2. operatio. 3. asperitas cultûs. 4. inhibitio sensuum. 5. raritas sermonis. 6. evitatio occasionum. Ita Cassiodorus. Fili! capimus ista? Nobis sunt dicta. Teneamus, ne thesaurum cordis amittamus!

Instructio meritoria.

Periclitatur de thesauro, qui hunc portat publicè

blicè in via. Sapienter S. Bernardus : *Solent Virgines, quæ verè virgines sunt, semper esse pavidæ, &, ut cavenda fugiant, etiam tuta pertimescere.* In publico tutum nihil. Ergò lateamus, & cum choro sanctarum Virginum jam jam cum Christô Jesu sponsô suô amabilissimô regnantium in cœlo, hodiè soli agamus, cantantes hymnum : *Jesu! corona Virginum, quem Mater illa concipit &c.* Sequamur Agnum, quocunque ierit! Errabimus nunquam.

EXHORTATIUNCULA XVI.

Ad Innocentes, & Parvulos.

I.

NEmo ad virtutem, & Dei gratiam aptior vobîs, mi parvule! Hinc vox Jesu suavissima : *Sinite parvulos venire ad me!* Veniat ergò, & occurrat Deo suo! Veniat! sed per submissionem, & reverentiam erga suos parentes : per taciturnitatem, & modestiam in templis : per fugam à malis sociis. Parvule! Quî placent ista ?

Instructio Meritoria.

Non aberrabit ab hac doctrina, si vestra erga SS. Angelos Custodes devotio fuerit constans, & quotidiana. Ideò à manè excitatus statim flectat, & *novem Ave* recitet cum amoris suspirio. *Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ne pereamus in tremendo judicio.*

II.

FIli innocentissime! O si vestram, quam adhuc de præsenti possidetis, primam innocentiam servaretis usque ad extremam mortis horulam! Quantum inde gaudium! solatium! pax! & jucunditas vobis! Servabit sine dubio, si verecundiam in moribus, & modestiam in conversatione jugiter coluerit. Pudor in facie, & rubor in genis terrent innocentiæ hostes.

Instructio meritoria.

Sequamur S. Bernardini Senensis adhuc parvuli pietatem, qui, ne à perversis subverteretur sociis, quotidie adibat ædiculam B. V. cum dicto: *Vado ad Dominam meam.* Mariam diligat, & de sua sibi non timeat probitate. Ecclesias idcirco, & aras sæpius visitet Bmæ Virgini dicatas, Matrémque suam salutans genuflexus dicat: *Ave Maris Stella.* Recordetur, Jesum nil Mariæ, & Mariam nil suis negare servulis.

III.

PArvulorum est agere, & vivere cum parvulis! Parvulum habemus in Jesu! Et hunc ò quàm affabilem! quàm jucundum, & amabilem! Stringamus! teneamus! & sæpius cum S. Augustino fraternè veneremur salutandò: *Domine Jesu! Gaudium meum! Attrahe me totum! Tu cibus dulcis! Comedam te! Tu caput meum! dirige me. Tu delicium meum! intra in tuum servulum!*

Instru-

Instructio meritoria,

Benedictum os! cor benedictum, cui non aliud verbum, quàm Nomen Jesu! Parvule! Assuescat manè, meridie, & vespere frontem signare titulô triumphalis Nominis Jesu, & fugient partes adversæ. Tentatur, tristatur quis? Veniat in cor ejus Jesus! monet D. Bernardus.

EXHORTATIUNCULA XVII.

Ad Litteratos, & Studiosos.

I.

STude sapientiæ, Fili mi! Altiora tamen te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Novisse Deum & seipsum est summa scientiarum. Huc! huc nostra colliment vota, & studia.

Instructio meritoria.

Resistendum ergò nimio curiosa, & inutilia sciendi desiderio. Ne prævaleat, ante studium flectamus, *tribus Pater*, & *Ave* intellectum, voluntatem, & memoriam SSS. Trinitati commendemus, & ab hymno: *Veni Creator Spiritus &c.* studia inchoemus. Ab oratione ò quanti Ecclesiæ Doctores SS. Augustinus, Gregorius, Thomas, & Venerabilis Beda!

II.

PRudentia, ò Venerande! absque simplicitate malitia est; & simplicitas sine ratione stultitia est: verba sunt S. Hieronymi. Nos utramque jungamus, prudentiam simplicitati,

nos ipsos in vita Christiana nunquam negligendô: Et simplicitatem prudentiæ, neminem ob egregiam scientiam contemnendô, traducendô, aut vilipendendô. Quid enim habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus: unde præsumamus?

Instructio meritoria.

Prudentes simus: sed non solùm nobis, rogat Magnus Basilius. Charitas, si quæ in nobis, diffundatur & in alios. Ut fiat, duodecim Pater, & Ave cum Lytaniis de Spiritu sancto oremus. Sunt huic totidem fructus: Cur non petuntur? Quæruntur?

III.

AMandissime! Infructuosè laborat, qui quotidie finem non spectat, ad quem nostri dirigantur sudores, & studia. Sed quis finis Christiani solidi, & Litterati sapientissimi? Solus Deus. Pro hujus Nomine vigilandum, studendum, & laborandum quotidie. Ah! quid perduntur tempora, quærendô terrena, corporis commoda, vel nomina vana, fastuosa, inania? Non inscribitur libro vitæ, nisi nomen humilis, & obedientis Christiani.

Instructio meritoria.

Sit tessera actionum: *Deo, & æternitati laboro*: Ne deficiamus litteris incumbendô, in Ductores, & Magistros nobis quotidianos statuamus, quatuor Ecclesiæ Doctores SS. Hieronymum, Augustinum, Gregorium M. & Ambrosium, eósque de omni die quatuor Pater, & Ave

Ave veneremur, additâ communi collectâ: *Excita, quæsumus, Domine! in Ecclesia spiritum, cui sancti tui Doctores servierunt: ut eôdem nos repleti, studeamus amare, quod amaverunt, & opere exercere, quod docuerunt.* Tanti hi sunt viri in cœlo! & negliguntur? Ubi ratio? Ubi prudentia?

EXHORTATIUNCULA XVIII.

Ad nobiles, & ab origine claros.

I.

GRande donum de manu Dei nobilitas! At dum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Degenerat, sanguinem dehonestat, qui actiones, vel officia non nobiliter tractat, & peccatum amat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibûs. S. Hier. Æstimatio sui est licita, si nos urgeat actio prohibita. Sanctè superbit, qui dæmonem vincit, & peccato non cedit.

Instructio meritoria.

Grati jam simus SSS. Trinitati, quæ dedit tam nobilem esse, & vivere. Offeramus proin unum speciale de mysteriis Glorioſis Rosarium sacrum, & supplicemus, ut à nobis avertat pericula, animam fœdandi. Sit nobis idem cum D. Augustino desiderium: *Domine! Vim patior! Responde pro me! Malo mori, quàm fœdari.*

II.

COlendissime! Super alios à Deo exaltati, sublimati sumus. Ergo super cœteros pietate, & exemplis emineamus, necesse est, monente Gentium Doctore: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & verborum gravitate.* Magna, sublimia hæc sunt! Tamen à SSS. Trinitate obtinenda. Petite!

Instructio meritoria.

Dum in Ecclesia sumus, sæpius ardens desiderium concipiamus magnæ perfectionis, justitiæ, & sanctitatis. Beati enim, qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Commendo proin D. Augustini desideria rogantis: *Domine Deus! Da cordi meo te desiderare, desiderandô quærere, quærendô invenire, inveniendô amare, & æternum possidere!* O nobiles gemitus!

III.

VIr nobilissime, quàm pretiosa vobis est anima! immortalem possidet, cujus præmium DEus; cujus aula, & palatium paradisus. Et quid? Hæc nobilis Domina, & potens Regina fiat corporis mancipium? Famula cupiditatum? Dæmonis ludibrium? Ad hæc quid vita? Passio? Mors Divini Unigeniti? Pretium JEsu sumus! Non prodigamus!

Instructio meritoria.

Ne permittat cœlum, mea vobis hodiernæ diei offero suffragia; simulque suadeo: Fugiat!

Tace-

Taceat! In solo Deo quiescat! Ut autem inter tot mundi laqueos vivat eò firmior, atque securior, in cubiculo triplicem suspendat S. Bernardi doctrinam adhortantis: *Considera: unde venis? & erubescès; ubi sis? & ingemiscès; quo vadis? & contremiscès!*

EXHORTATIUNCULA XIX.
Ad Milites Christianos.

I.

VIrorum optime! Fidelitas probat Christi militem. Sic magnus Apostolus: *Certa bonum certamen fidei, & apprehende vitam æternam.* Qui mundi bonîs, rapinis, & illicitis delitiis citò capitur, castra refugit JEsu, & transit ad diaboli. Sed pro quali stipendio? Dei gratiæ, & salutis æternæ dispendio. O miles Christi! Tantine tantam nobis emamus perniciem, & ruinam?

Instructio meritoria.

Dux noster est JEsus, & hic Crucifixus. Ut soli adhæreamus, quotidie assuescamus venerari illius sacratissima quinque vulnera per quinque Pater, & Ave cum nostrûm commendatione devotissimâ. In vulneribus JEsu ô quale armarium! Qui eò currit, tutissimus ibit.

II.

BOne! Vultne ad vitam ingredi? Ergo Dei mandata servate! Diligite Deum ex toto corde! Diligite & proximum, sicut seipsum. In his duobus universa lex pendet, & prophetæ.

O quot

O quot inter occasiones! Quot inter & pericula vos estis, frequentiùs cadendi, DEum offendendi, proximo multa mala inferendi! Sed memores estote, vos Christi portare nomen, cujus prærogativa: *Benefacere etiam his, qui oderunt vos.*

Instructio meritoria.

Horror peccati sit vita Christiani! Amor virtutis sit lorica perfecti militis! utrumque ut tribuat Deus, hodie unum, alterúmve sacrum audiat, & sub eo S. Rosarium de quinque mysteriis dolorosis Christo JEsu offerat cum pio gemitu: *Domine JEsu! Tædeat me vivere sine te! Delectet me autem multa agere, & grandia pati pro te, qui pro me mortuus es in Cruce.*

III.

BOnus miles ad sanguinem, ad mortem usque decertat. Sola coronatur perseverantia! Ideò bona quotidie crescant opera! Non terreat virtus! Suspice cœlum: & suavis erit. O Vir! Adest in stadio certaminis Deus, ut pugnantem adjuvet: adest, ut & triumphantem gloriosè exaltet. Quid potentius dici posset ad ausus pro Deo? Pro virtute?

Instructio meritoria.

Socius sufficit unus, ut animet alterum. Fili! Leva oculos! Ecce! integrum Sanctorum pro Deo decertantium exercitum! Hi ne pugnantem deserant, per septimanam vel semel saltem cum omni devotionis sensu recitet in veneratio-

nem

nem totius Curiæ Cœlestis *Lytanias de omnibus sanctis*. Vel: Tria Rosaria de omnibus quindecim Mysteriis. Faciamus nobis amicos, non de mammona, sed de cœlesti aula. Fratres! Jam non sumus hospites, & advenæ, sed cives domestici, & milites Christi. Vade retro satana!

EXHORTATIUNCULA XX.
Ad Plebanos, & Rusticos.

I.

BOne vir! In sudore vultûs sui vesci debet pane suo. Non contristetur! Non murmuret contra Dominum! Absterget Deus lacrymas ab oculis vestris, & laborem sequetur dulcis requies. Ad laborem nati sumus universi: Sed qui laborant fervidè, sunt pauciſſimi. Sudemus, ut in vinea Domini operarii inveniantur innumeri. Hoc possumus, dum labori non succumbimus.

Instructio meritoria.

Ne humana nos terreat infirmitas, manè surgentes de lecto citò vestibus induamur, & flectentes cum SSS. Trinitate paciscamur, nil cogitare, nil loqui, vel operari nos velle hac die, nisi in & pro nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Mox duodecim Pater, & Ave cum totidem *Gloria Patri* subdamus. Surgentes verò domum benedicamus, Crucifixum in dextera tenentes, & versus quatuor domûs angulos flectentes pronuntiandô: Benedi † cat nos

nos Deus Pater, Fi † lius, & Spiritus † Sanctus. Sic sic avertemus, si quæ fortè meruimus, flagella Domini.

II.

FIli! simus contenti statu nostro! Non invideamus, quos Deus posuit in meliori. Securior ad cœlum via est in humilitate, & penuria rerum, quam in nobilitate & abundantia. Ubi divitiæ, & honores, ibi & sollicitudines millenæ, ne auferantur, vel pereant. Sola paupertas semper hilaris, semper eadem permanet vultu, & animô. Ideò S. Hieronymus: O quanta beatitudo, carere parvis, ut recipiamus perpetua!

Instructio meritoria.

Pro statu, ad quem tam providè nos vocavit Deus, gratias agamus! Simus & gratissimi, quia nati à parentibus non ita potentibus. In compensationem beneficii tanti addictissimi vivamus prodigiosæ ætati Christi JEsu, & in honorem illius aliquoties per hebdomadem recitemus 34. *Pater, & Ave*, benè memores: *Nudus, pauper, inops est JEsus:* Quid ego.

III.

DIlecte Vir! Magna est vobis indita necessitas, justè, & rectè, ubi ubi fuerit, sive domi, sive in agro, sive in foro, vivendi; quia cuncta facitis ante oculos Judicis cuncta cernentis. Quare in omnibus viis cogitate illum, & ipse diriget gressus vestros. Non irascimini, si opera

vobis

vobis succesſerint minùs proſpera! Dicite: *Fiat, quod bonum in oculis Domini!*

Inſtructio meritoria.

Dum opera, & labores aggredimur, flectamus anteà, & *tribùs Pater & Ave* cum *Credo* Dei imploremus auxilium, atque aſſiſtentiam. Hanc conſuetudinem ſi induxerimus, quàm benedicta erunt opera noſtra! Quàm ſancta, & perfecta œconomia domeſtica! Sentient infantes! Sentient oves, & boves! In quibus omnibus manifeſtabitur Dei clementia.

EXHORTATIUNCULA XXI.

Ad tepidos, frigidos, & otioſos Chriſtianos.

I.

Filli! Usquequò pigri, & deſidioſi dormiemus? usquequò de torpore, & ſomno mortis non conſurgemus? Hora eſt! Surgamus! Grandis nobis reſtat via! Ad æternitatem pergimus: & otioſi, frigidi ſtamus, tepeſcimus, pigritamus? Currendô ſcanditur cœlum! otiandô perditur! Nemo manibûs in ſacculo abſconditis ſibi theſaurizat. Dilecte! Quæ verba ſunt iſta? Dicta ſunt ad veſtram doctrinam: Capite! Ardete!

Inſtructio meritoria.

Ceſſat vitæ deſidia, ubi ad opera diei applicatio ſui ſeria. Multiloquia fugiamus! Otia forenſia deſeramus, & piis de manè factis propoſitis efficaciter inſiſtamus. Sic erimus in igne. Hunc fervoris ignem ut accendamus magìs, coram

ram SS. Venerabili Altaris Sacramento officium de Corde JEsu recitemus. idque quò frequentiùs, eò ad profectum spiritualem conducentiùs.

II.

FIdelis anima! è veterno vos excitet, & ad magnum in actionibus fervorem vos animet felicitas eorum, qui vivunt sinè torpore. Hi enim semper currunt, continuò in spiritu proficiunt, merita augent. Vix momentum, quod non suum habeat præmium. Terreat econtra infelicitas tepidorum! Tepidam vitam excipit mors plerumque plena anguſtiis; sententia tremendi Judicis; combustio infernalis. Jam securis ad radicem posita est: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. Heu! Heu! Heu! Quid damnosius desidiâ?

Instructio meritoria.

Amemus & quæramus conversationem cum hominibus spiritu, pietatéque ferventibus. Antequam frequentemus, gratiam ædificatoriè, & exemplariter conversandi petamus à Spiritu Sancto per septem *Pater*, *& Ave*, additô hymno: *Veni Creator Spiritus*! Qui venit à Deo, non scit, nisi bene loqui de eo.

III.

CHare! Unde nobis tanta in spiritualibus vecordia? Siccine labores, rigores, mortificationes fugimus? Non placet corpori tam durum, atque diuturnum vivendi genus. Horret animus

animus, dum annos adhuc quadraginta, aut quinquaginta superstites numerat asperioris vitæ. Verum quis diem alterum nobis promisit? Ah! Non simus solliciti de crastino! Hodie agamus, quod conducet in omnem æternitatem. *Citò transeunt dies nostri, utinam bene!* Cæsarius.

Instructio meritoria.

Timorem erga virtutis exercitium ut statim in principio reprimamus, duodecim actibus vel rigoris, sive alterius mortificationis v.g. tempore recreationis, aut corporalis refectionis reflexè statuendis naturam corruptam generosè impugnemus, memores, quid S. Paulus ad Galatas: *Sic stulti estis, ut, cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.*

EXHORTATIUNCULA XXII.
Ad Garrulos, & multiloquos.

I.

FIli! Qui custodit os suum, custodit animam suam. Summa difficultas in linguæ gubernio. *Linguam* enim *nemo hominum domare potest*, ait S. Jacobus. Quare? Quia *est inquietum malum, universitas iniquitatis, plena venenô mortiferô.* Quis tam labili jam fidat membro? Quis multiloquia diligat?

Instructio meritoria.

Excessimus sæpius. Luamus! Satisfaciamus hodie psalmos pœnitentiales recitandô, & in venerationem Divini Verbi pro nobis incarnati trigesies quater terram, dum soli fuerimus, exoscu-

oſculandô. Optima linguæ medicina hæc terræ oſcula!

II.

DIlectiſſime! Ex verbis noſtris juſtificabimur: & ex verbis condemnabimur. Linguam accepimus, ut laudem annuntiet Domino, & ſalutem proximo. Ad quid jam tanta illius profanatio? Toties rubeſcit pretioſo JEſu ſanguine? Et tamen, ô noſtram ingratitudinem! tam frequenter repletur multa iniquitate.

Inſtructio meritoria.

Reddamus, quod negleximus. Laudem dicamus Domino Deo, & in compenſationem omnium defectuum, quos in lingua commiſimus, novies hodie cantemus Mariæ Canticum: *Magnificat anima mea Dominum.* Loquamur ut Maria!

III.

AMice! Nobile lingua bonum! Graviſſimum lingua malum! multis profuit ad bonum! Plurimis ad infernum. Garrulos fuiſſe, pœnituit omnes! Parcos, vix aliquem. Faciliter loquimur: ſed difficulter, quæ diximus, retractamus. In lingua mors & vita. Dilecte! volumus loqui bene? Diſcamus multum tacere! Vir haud audit, qui linguam regere neſcit.

Inſtructio meritoria.

Tria ſtatuamus nobis obſervanda pro tempore, & loco converſationis! videlicet: *Parce! Caute! Graviter* dicamus. Ideò publicum nunquam accedamus diſcurſum, antequàm coram San-

Sanctissimo Venerabili, vel alia S. Imagine benedictionem petierimus recitandô in reverentiam septem verborum morientis JEsu totidem *Pater & Ave* ac unum *Credo*. Sancta sanctè tractentur. Verbum nostrum sit Verbum Christi! Quod ultra est, peccatum est!

EXHORTATIUNCULA XXIII.

Ad Detractores, & infamantes proximum.

I.

CHare fili! Cum sapiente te rogo: à detractione parcite linguæ! Omnis detractor est odibilis Deo, & pejor diabolo! Nullus diabolus detrahit alteri! Ah! Ubi proin charitas proximi? Ubi custodia præcepti divini? Ubi imitatio JEsu Christi per S. Joannem monentis: *Filioli! diligite vos invicem! Et si dilexeritis, legem impleviſtis.*

Instructio meritoria.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Imminuimus bonum nomen! Sit fixum ampliare, laudabilia narrandô, pro offenso speciale Rosarium orandô, & de hoc peccato nos sæpius in S. Tribunali accusandô in majorem confusionem linguæ mordacis, & incautissimæ. Bestia cicuratur: & de fræno linguæ desperatur? O homo! Ubi prudentia?

II.

O Infelicem! Christianus non est, qui detractor est. Quicunque talis est, minister

ſter (pauca dico) quin & magiſter diaboli eſt. Probatur. Detractor, quæ diabolus non poteſt, ſuâ efficit linguâ improbâ, de qua bene S. Bernardus: *Lingua detractoria eſt vipera, & lancea acutiſſima.* Tres ictu enecat uno: Et amatur? Fovetur? Laxatur?

Inſtructio meritoria.

Ne iterum tam citò delinquamus in lingua, in corde, & cubiculo, Moyſis ſuſpendamus teſſeram: *Attende tibi.* Ideo per octo dies Rhythmum Divi Auguſtini dicamus quotidie: *Domine! Noverim te! Noverim me!* Amice! Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in proprio non vides? Væ oculo nequàm!

III.

CHriſtiane! Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ. Hinc curam habe de bono nomine. Hoc magis permanebit, & diutiùs, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Detractor dum vel os aperit, nomen cum omni æſtimatione amittit. Fili! Profectò omnibus erimus odio, quotquot credidimus, attentîs noſtro diſcurſui intendiſſe auribûs. Audierunt, ut nos impoſterum fugerent. Audierunt, ut ſcandalô datô nos confunderent. Sed quàm turpe in Chriſtiano, fieri metam ſcandali, & confuſionis!

Inſtructio meritoria.

Pro recuperando honore boni, & æſtimandi nominis, eoque perpetualiter conſervando recitemus quinque Pſalmos nomen Mariæ exprimentes,

tes,

tes, immixtis tot salutationibus angelicis. *Teneamus Mariam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim.* S. Bern.

EXHORTATIUNCULA XXIV.

Ad Mendaces, & Falsarios.

I.

O Bone! exulat Deus, ubi nulla veritas. Non benè conveniunt, nec in una sede morantur Deus, & mendacium. Viri perfecti omne mendacium fugierunt ut scelus maximum: Et Christianus hauriat ut aquam? Quæ hæc statûs adeò nobilis decentia? Ah! incautum Mortalium os!

Instructio meritoria.

Comprimamus, & custodiamus nostrum. Ut à Spiritu Sancto impetremus donum veritatis, recitemus Illius officium minus cum Lytaniis de eodem veritatis Magistro. Dein septies exosculemur terram cum dicto: *Os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent, flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.*

II.

FIli! ut quid mentimur, & ipsi nos seducimus, inferentes crimen gloriæ nostræ? mentiri pueris, & mulierculis familiare est. Erubescamus velle esse de genere tam vili! Toties labia signamus Nomine Jesu: & tam probrosô contaminamus vitiô. Quid si irascceretur Dominus? Nam *perdet omnes, qui loquuntur mendacium.*

Instructio meritoria.

Nomen Jesu, ò potens Verbum! Ut labilem sanet linguam, membrum adeò infirmum, officium & Lytanias de eodem Benedicto Nomine dicamus, & os hodie duodecies devotè signemus pronuntiandô: *Benedicamus † Patrem, & † Filium, & † Spiritum Sanctum. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula* Hæc verba, hæc nomina Christianos decent.

III.

Dilecte! O quot sunt hominum, quorum vivere continuum est mentiri; simulatâ probitate imponunt omnibus. Quàm pauci volunt videri, quod revera sunt! Fili! novit nos Deus. Frustra celamus coram homine scelera nostra. Deus erit Judex, & vindex eorum. Imminet dies! Appropinquat hora! Detrahetur hypocrisi larva! Patebunt omnia. Benè S. Augustinus: *Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. Florere ad tempus potest iniquitas, permanere non potest.*

Instructio meritoria.

Capimus hanc doctrinam? Ergo ad executionem! Vitam, mores, dicta, & facta in hodierno examine discutiamus, & quia Deum, ac hominem sæpius decepimus, extraordinariam confessionem cum sacramentali Communione instituamus orandô psalmos graduales. Per gradus ascenditur ad montem veritatis, justitiæ, & Christianæ perfectionis.

EX-

EXHORTATIUNCULA. XXV.

Ad Immodestos, & Dissolutos in oculis.

I.

AMiciſſime! Quid ſibi frivola curioſitas? Hæc quantum obfuit Evæ, Davidi, Samſoni, Holoferni? Sumúsne hîs tutiores? Vel plus quàm homines? Et tamen oculîs tam liberi, laxi, & effuſi evagamur? Citò! citò claudantur! *Mors* enim *aſcendit per feneſtras.*

Inſtructio meritoria.

Sit firmum, & fixum, hodie ſæpius tollere ad ſidera vultus cum gemitu: *O quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio.* Et ut in virili modeſtia, ac gravitate creſcat, ter coram Crucifixo flectat, & clausîs penitus oculîs, ac inclinatô capite oret in honorem 5. ſenſuum Chriſti Jeſu *quinque Pater, & Ave.* Oculum pro oculo! Modeſtum pro modeſtiſſimo.

II.

CHariſſime! cur volumus videre, quod non licet habere? Cur vana, ridicula, curioſa, & noxia, quæ cor non ſatiant: ſed turbant; non recreant, ſed inquietant. Latet intus, quod intueamur, & intuendô delectemur, videlicet bona conſcientia, virtutibus, & meritîs plena. Hæc in eo perit, qui oculum non cuſtodit. Cavete! Claudite!

Inſtructio meritoria.

Modeſtia, & verecundia veſtra ſit nota omnibus hominibus. Hæc maximus decor eſt in

religionibus. *Sine verecundia*, ait Tullius, *nihil rectum esse potest*, *nihil honestum*. Non simus proin familiares fœminis! Has fugasse, est cœlum expugnâsse. Sanctum odium ut erga hunc sexum nutriamus, *quinque Ave* in honorem Immaculatæ Virginis Mariæ statim, quando surgimus, à manè persolvamus. Novisse Mariam, & hanc unicam, pertinet ad perfectam animam.

III.

AMice! Damnabilis curiositas est, intendere aliorum vitiis. Rogo: Nobis ipsis attendamus! Quid enim videmus festucam in oculo fratris, & trabem in nostro non attendimus. Quæ hæc hypocrisis, & Pharisæorum impietas? Non in proximos, sed in terram oculi defigantur adeò temerarii, ut suam cognoscant miseriam. De terra sumus; & brevî revertemur illuc. Ad quid tam elata in alios supercilia?

Instructio meritoria.

Malo tam infelici ut seriò remedeamur, ad omnia, quibus fortè tentabimur hodiè, judicia frivola nos ipsos generosè increpemus illud Christi Domini opponendô: *Quid ad te? Tu me sequere.* Et quia judicandô alios frequenter deliquimus, diluamus opera totius diei hodiernæ donandô illis, quos aut verbô, aut cogitatione, aut ipsô factô contristavimus, & offendimus. Pro confirmatione pietatis addamus Lytanias de omnibus Sanctis. Amicos, & Advocatos invenit, qui Sanctos colit.

EX-

EXHORTATIUNCULA XXVI.

Ad Audientes malè.

I.

FIli mi! Si te lactaverint peccatores verborum lenociniîs, adulationibûs, & blanditiîs. ut curras ad iniquitates, ne acquieſcas illis. Sepi aures tuas ſpinis Chriſtianæ prudentiæ, & circumſpectionis! Averte oculos! Fuge! Fuge! mali ſermones animæ, & pacis internæ latrones ſunt. Fuge! Cave, ne audias, unde pereas.

Inſtructio meritoria.

Signemus, quoties in publicum prodimus, aures ſignô S. Crucis cum dictô: Benedi † cat, & cu † ſtodiat vos omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. Et ne quid ſermonis minùs honeſti auditum occupet, aures amandiſſimi Jeſu veneremur *quindecim Pater, & Ave* cum oratione ex Dominica 9. poſt Pentecoſten: *Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & ut petentibus deſiderata concedas; Fac eos, quæ tibi ſunt placita, auſcultare, atque audire.*

II.

DIlectiſſime! utinam ſaperet, & intelligeret, ac noviſſima provideret! Si ſaperet, quæ Dei ſunt; ſi intelligeret, quæ ſunt mundi; ſi provideret, quæ inferni ſunt, profectò ad infernum contremiſceret, ſuperna appeteret, homines non audiret, & quæ vel ſub manu, vel auditu ſunt, contemneret. Verùm ò quoties nobis cordis caligat oculus!

Instructio meritoria.

Supplicemus per merita SS. quatuor Ecclesiæ Doctorum pro circumspectione Christiana, & flectentes ad cœlos clamemus: Da mihi Jesu! sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam, atque audiam, quid acceptum coram te.

III.

BOne! Avertat cœlum! ne audiat detractorem. Hunc aut fugiat, aut opportunè importunè compescat! Nihil enim prodest vobis; vel inde gravabitur super illum, cujus nomen patitur; vel super eum, qui detrahit. Quærat potius, quod proximo laudabile, & meritorium sibi. Qui detractiones audit, semetipsum occidit. Quanta crudelitas!

Instructio meritoria.

Fuga est optima contra detractiones tutrix, & custodia. Nemo cogitur, ut audiat malum. Datur ergò effugium, & à tali occasione rectâ viâ aut ad templum, aut ad cubiculum pergamus, & flectentes coram piâ Imagine psalmum: *Deus in Nomine tuo salvum me fac &c.* subdamus. Hic clamor penetrat cœlos, & terret inferos.

EXHORTATIUNCULA XXVII.

Ad Gulosos, & circa cibum, ac potum immortificatos.

I.

QUod Ecclesiasticus omni prudenti, idem dico & ego filio spirituali: Fili! noli esse avidus

avidus in epulatione, & non effundas te ſuper omnem eſcam. Ex hac effuſione oritur inepta animæ lætitia, impuritas, hebetudo intellectûs, tœdium orationis, ac diſſolutio morum. Optas, ut tibi ſit longior ætas? Pone aviditati metas.

Inſtructio meritoria.

Certa ſtatuatur menſura in cibo, & potu, quam ne excedamus ampliùs, SSS. Trinitati ad quamlibet refectionem unum cibum reflexè ex integro offeramus, & locò hujus ſpiritualem communionem inſtituamus. Poſt menſam pſalmum *Miſerere* perſolvamus cum ſingulari mentis compunctione. Citò in guſtu deficimus!

II.

Dilectiſſime! Nunquam cogitavit bonus fieri Chriſtianus, qui non didicit frangere gulam. Nunquam credat, ſe vivere ſpiritu, qui ſuô nimium ducitur, ac regitur guſtu. Nunquam guſtabit ſpiritualia, qui totus fertur in ſenſualia. Oportet Chriſtianum ſumere, quô ſuſtentetur; illud verò abominari, quô ſatietur, aut impinguatur. Paucis! Heu! foras! foras ex domo Dei cum pinguibus tauris.

Inſtructio meritoria.

Donum temperantiæ, & abſtinentiæ per generoſam appetituum expugnationem, & victoriam ut obtineat, in honorem omnium SS. Monachorum, & Eremitarum, qui hîs virtutibus eminuerunt inſigniter, recitet ante refectionem quotidiè quatuor Pater & Ave, immiſcendô quatuor virtutes Cardinales, vid. *Prudentiam*,

Juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Magna dantur ſolis petentibus.

III.

O Fili! Non eſt regnum Dei eſca, & potus: ſed juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu S. Tam brevis eſt ciborum voluptas, ut ſpatio loci vix ſit quatuor digitorum, & ſpatio temporis vix tot momentorum; & tamen adeô abſorbemur, ut Dei, & cœli obliviſcamur. Statuamus tandem cultrum gutturi noſtro, quô & in hac vita guſtemus, quàm ſuavis ſit Deus, & in altera repleamur torrente voluptatis æternæ.

Inſtructio meritoria.

De quolibet cibo bolum unicum ſaltem, vel alterum ex delicatioribus epulis ſacrificare Chriſto pro ſemper ſtatuamus, nec extra prandii, ac cœnæ tempora aliquid unquam admittamus ſine neceſſitate. Frequens in corde, & ore ſit nobis Pſalmus: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* cum Rhythmo amoris: *Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti &c.* Deſipit, quidquid amor Dei, aut cœli non condit.

EXHORTATIUNCULA XXVIII.

Ad Superbos, & elatos.

I.

CHariſſime! Nondum ex inferis percipimus faſtuoſorum lamentabiles ululatus: *Quid profuit nobis* (vociferantur:) *ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Tranſierunt

runt ut umbra! & relicta nobis sunt tormenta perpetua. Ecce! hæc superbiæ relicta hæreditas! infelix æternitas! & justissimè! Odit enim Deus superbos; exaltat verò humiles. Jam elige!

Instructio meritoria.

Ut eligamus prudenter, & nobis nunquam quid tribuamus vel de donis Dei, aut bonis naturæ, hodiè adhuc illam S. Bernardi conscribamus sententiam, & conscriptam cubiculo appendamus: sic sonat: *Descendamus per viam humilitatis, ponatúrque nobis primus gradus ejus nolle dominari; secundus velle subjici; tertius in ipsa subjectione quaslibet contumelias, & injurias æquanimiter pati.* Oremus frequenter psalmum: *Domine! Non est exaltatum cor meum!* Nescit seipsum, qui magnum de se concipit sensum.

II.

AMicissime! Nihil est miserius, nil infaustius, nil damnabilius christianô superbô, & fastuosô. Nomen portat nudi, pauperis, derelicti, ac inopis Jesu: & ipse incedit grandis in ore, elatus in opere, superbus in conversatione? O cinis! O pulvis! Memento; quia lutum es, & in lutum reverteris. Christiane! Deum nunquam cognosces, si te non humilies. Ideo Cyprianus: *Ut cognoscere Deum possis, te antè cognosce.*

Instructio meritoria.

Tota ætas Jesu, cujus fratres sumus, quid

fuit nisi constans obedientia, submissio, humilitas profundissima? Veneremur per 34. *Pater*, & *Ave*. Dabitur, quod frater petit à fratre. Petamus autem plurimùm perfectam humilitatem, quæ rectâ viâ ad patriam cœlestem. Qui magna, & multa possidet, abjiciat, ut nudus nudum Jesum videat.

III.

FIli! quantò major es, eò demitte te inferiùs; & coram Deo invenies gratiam. Et ò quàm profundè nos oportet submittere, quorum nasci, fletus: quorum vivere, miseria: Finis, mors & æternitas incerta.

Instructio meritoria.

Gaudeamus, si vel ab aliis contemnamur, vel injuriîs afficiamur. Qui nos offendunt, nostri benefactores sunt. Hinc bonum pro malo retribuamus, & pro omnibus malefactoribus recitemus Psalmum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Imbellis est animus, quem obvia fatigat injuria.

EXHORTATIUNCULA XXIX.

Ad Jactabundos, & vanè gloriantes.

I.

STa fili! Et quid Magnus Gregorius contra jactantiam, cum timore considera. *Consideret homo* (suadet Doctor sanctus) *quid elatus homo mereatur in terra, si etiam elatus angelus prosternitur in cœlo? Si Deus sic egit cum angelo jactabundo: De homine quid fiet, cùm sit pulvis*

pulvis, & cinis? Ille in cœlo inturuit, & præcipitatur ad inferos: Quò vult homo, si jactantiam foveat in sterquilinio?

Instructio meritoria.

Omnia sivè naturæ, sivè gratiæ dona à manu Dei sunt. Nos pauperes, & mendici, horum maximè indigi. Reddamus igitur, & fideliter impendamus illi, cujus sunt. In retributionem verò tantorum beneficiorum dicamus psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus, &c.* Gratiarum recognitio est novarum impetratio.

II.

Dilecte! Vis tibi dicam, quantum bonum sit modestia? Quantum malum jactantia? Ecce! peccator justum superavit, & publicanus Pharisæum triumphavit, sícque verba factîs fuerunt superiora. Ita S. Chrysostomus: Fili mi! Thesaurizaveris jam tibi opera, & merita omnium Sanctorum; Possideas integrum sanctitatis, & gratiarum cumulum! Non diu stabunt! Jactantia & elatio subvertent hæc omnia, & hîs adhuc pretiosiora. Profectò utilius est quôcunque labi vitiô, & humiles post lapsum fieri, quàm per elationem superbire. S. Isid. corrupta est mens, & anima, cui dominatur jactantia.

Instructio meritoria.

Superbas cogitationes hodie ad Jesum Christum allidamus, nos intra nos reflexè sexies despiciamus, & ter Psalmum Miserere expansîs

brachiis persolvamus, cum trina protestatione: *Non nobis Domine! non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Sanctus! Sanctus! Sanctus Dominus Deus Sabaoth! Quis ut Deus?

III.

AMandissime! Estote prudentes, sicut serpentes! Nulli date unquam intelligere de aliquo, quod in vobis est commendabile, vel laudabile. Quod si intelligant: Citò absondamus. Sic plus placebimus; si ipsi facta prodimus, & commendamus, irridebimur, & vilescemus. Et undè priùs ædificabantur alii in nobis, posteà despicient, judicabunt, condemnabunt. Teneat jam sola dextera, quæ non revelanda siniſtræ. Non hominum, sed Dei oculo nostra pateant virtutum opera. Hic solus discernit inter bona, & mala.

Instructio meritoria.

Omnem plausum, & laudem, imò vel utriusque umbram à longè fugiamus. Latere quæramus. Non latet, qui soli Deo, & cœlo patet. Ut spiritus compunctionis, & humilitatis internæ nobis tribuat misericors Deus, honoremus quotidiè per *quatuor Pater, & Ave* sanctè pœnitentes SS. Mariam Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, & Theodoram. Hæ specula sunt genuinæ humilitatis, ac pœnitentiæ. Demum oremus psalmum: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis.* Qui secuti fuimus peccantes, sequamur & pœnitentes!

EX-

EXHORTATIUNCULA XXX.

Ad Avaros, & Divites.

I.

BOne! Cur ita inquietus? Cur ita anxius? Nunquid pacem amisit? Et id quomodo? nonne quia divitias, & mundi bona Deo præposuit, & marsupium plus propriâ salute æstimavit? Justè proin Gregorius Magnus: Rarum valde est, ut, qui aurum possidet, requiem inveniat. Per diem millenæ cor exagitant curæ; per noctem undique terrent insidiæ. Interim ô quanta pax! Quanta tranquillitas in domibus pauperum!

Instructio meritoria.

Bona verba, amicabile alloquium tribuamus egenis, & miseris, si qui hodie rogaverint stipem. Et ut pauperes à domibus nostris coram Deo omne malum avertant, eis quid certi per septimanam statuamus in eleemosynam congruam. Eleemosynîs redimuntur peccata, & severa placatur Dei justitia. Væ enim divitibus!

II.

O Dilecte! Grandis tentatio, velle fieri divitem! Procul à pecunia! Hæc enim animæ ruina. Pecuniam non minus conscientiam, quàm manum, quâ tractatur, inquinat, & commaculat. Qui pecuniam amat, venalem habet animam. Pro quo? O dedecus! Pro luto; pro sordibus terræ. Ah! Quis non jam misereatur JEsu? Quis non indignetur diviti?

Instructio meritoria.

Gratissimus vitæ, Passioni, & Morti Christi JEsu Redemptoris (his nos emerat in cœlum) & in compensationem tanti amoris triginta quatuor Pater, & Ave oremus cum doloroso hymno ex Dominica Passionis: *Pange lingua Glorioſi prælia certaminis* &c. O divites! Vita, sanguis, vulnera JEsu clamant ad vos! His thesaurizate! Et avaritiæ parcite!

III.

FIli! Ad quid Christiani vocamur, si opera si doctrinam non facimus Christi? JEsus *propter nos factus est egenus:* JEsus præcepit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* O infelicitas, si cupimus divitias! Pereant hæ nobis, ne illis pereamus nos! Nudus pendet de Cruce mundi Redemptor! Pependit satis! Redimamus generosa renuntiatione, & contemptu bonorum hujus sæculi. Nemo ditior paupere Christo.

Instructio meritoria.

Pro nomine Christiani agamus gratias SSS. Trinitati, & 12. actus abnegationis quoad cupiditatem multa, & nova, ac superflua habendi offeramus cum Psalmo: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino: Deus meus es tu: Quoniam bonorum meorum non eges.* Tam deest Avaro, quod habet, quam quod non habet. Cape tibi hoc! Et illud retine bonum,

num, in quo sunt omnia bona! Posside, stringe, amplectere Deum!

EXHORTATIUNCULA XXXI.
Ad Invidos, & improbè zelosos.

I.

VIrorum dilectissime! Quisquis es, qui saluti, & sorti invides alienæ, parcito vitæ! Si enim, ubi invidia, ibi mors: profectò non potes simul invidere, & vivere. Invidus sese suô inficit venenô, & enecat. O ergo Basiliſco simillimum!

Instructio meritoria.

Oculus ubi simplex, & humilis, totum corpus lucidum erit. Claudamus oculos ad aliorum acta, & facta! Si bona sunt, commendemus, & approbemus, si mala, in nobis ipsis emendemus, & timeamus! Et ut Christiani & proximi nostri omnes de virtute in virtutem currant, imploremus duodecim sanctos Apostolos, charitate in proximum præcipuos, & cum 24. Pater ac Ave quoque hymnum: *Exultet cœlum Laudibus* &c. oremus. Sunt missi à Deo. In quem finem? Ut corda excitent fidelium.

II.

O Dilecte! Cautè! Cautè vivere oportet in hoc delicato sæculo: non tutus locus à turpi invidiæ vitio. Invidia nascitur in aulis, nutritur in religionibus, moritur in Xenodochiis, adeóque difficile est, invenire etiam paucos, livore

vore non corruptos. *Quis enim ille* (interrogat Salvianus) *cui parum non sit, si sit ipse felix, nisi alter fuerit infelix?*

Instructio meritoria.

Hîc magnæ de nobis requiruntur victoriæ. Tres hodie colligamus, gratias nimirum agendô SSS. Trinitati, quòd proximus plus bonorum obtinuerit, quàm nos. Quòd & Deus nos ex defectu, ac subtractione aliquorum donorum in sancta humilitate incedere providè ordinaverit. Hinc dicamus Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

III.

BOne! Quando finis torturæ, quam sponte patimur invidendô? Gaudere de malis aliorum quid est aliud, quàm de alienâ pœna sibi quærere medicamentum, & de salute acquirere grande tormentum? De aliorum malis gaudent invidi. De profectibus lugent bonorum: ad gaudenda anxii, ad plangenda læti: amici diaboli, inimici sui, omnibus odiosi. Ita D. Augustinus.

Instructio meritoria.

Disrumpamus, abjiciamus hæc animæ tormenta! Et ut Divinus Amor ulterius stimulet bonos ad opera magna, & heroica! malos verò revocet à via iniqui..is, atque desidiæ, omnes devotiones, suffragia, ac preces currentis diei pro his offeramus, & in bonis semper gaudere; in malis verò JEsu, & proximo compati, firmi-

firmiter decernamus. Charitas benigna est! Non agit perperam! Non inflatur.

EXHORTATIUNCULA XXXII.
Ad Inobedientes, & Contumaces.

I.

FIli! Ab inobedientia, & mala voluntate tua avertere! Propria voluntas semper inimiciatur. Non majoribus acquiescit, non reveretur, non obtemperat, nulli subesse potest, nec vult; nec commoditate flectitur, nec minis humiliatur. Insensibilia se submittunt Deo. Sol à sua non deviat semitâ, nec luna, nec stellæ. Obediunt Deo omnia: solus resistit homo. O sancta obedientia quàm vilis es carni, & sæculo!

Instructio meritoria.

Vita JEsu quid erat nisi una, constans, quotidiana obedientia? Ut tanta sequamur vestigia, offeramus obedienti Domino duodecim actus abnegandæ voluntatis propriæ, videlicet duodecies eligendô id, quod ei magìs contrarium. Interim in honorem septem Verborum morientis ex obedientia JEsu 14. Pater & Ave subjungamus. Pergamus ad Calvariæ montem! Inspiciamus Exemplar! Confundetur in obedientia!

II.

DIlectissimi! Dum putamus nos in electione prudentissimos, sumus non rarò stultissimi. Quò magìs enim nostris studemus obsequi voluntatibus, hoc magìs anxiis, & tristibûs animis

mîs vitam agemus. Qui se per inobedientiam quærunt, se perdent, & desolationes invenient. Quid speras, quod nemo inobedientiâ obtinuit? Quamdiu tuam alienæ non subjeceris voluntati, infelix inter spinas, & mille inquietudines ingemisces. Tandem sapere incipe!

Instructio meritoria.

JEsus, & Maria ô qualia obedientiæ specula! Imploremus per quindecim Pater, & Ave, & hodie reflexè in honorem Utriusque sex actus sanctæ Obedientiæ nobis imponamus, tres quoad distributionem temporis, eam exactiùs observandô; & alios tres in expeditâ executione functionum, has perfectiùs peragendô. Obedire Imperatori, summus in orbe honor est: quid erit in cœlo, se subdere Deo, & hujus Vicario?

III.

BOne! Bella bellîs omnibûs inquietiora tua concitabit pertinacia, & inobediens voluntas, quamdiu imperabit, hostem ni hunc subigas in tempore, de pace, de spirituali cordis gaudio, de viva fide, aut ardenti charitate nil cogita. Dicet: Pax! Pax! Et non erit pax! Bella movebit intus, & foris. Bella ex insidiis nunquam prævisis, aut præcogitatis. Hostem ergo novimus? Pacem poscimus? illum invadamus! Hanc teneamus!

Instructio meritoria.

Ut autem perpetuò, invocemus sanctos omnes, & singulos, qui præcipuè in nobili Obedien-

dientia eminuerunt. Et in honorem eorum dicamus Psalmum: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in Excelsis* &c. Sancti in pace sunt! Nullus in cœlo locus renuentibus! Nullus inobedientibus! Quæ spes contumacibus?

EXHORTATIUNCULA XXXIII.
Ad Iracundos, & Impatientes.

I.

FIli mi! Cur tristis est anima tua? Non se exserit virtus, cùm vita secundo cursu procedit. Tunc apparet, quanta sit, cùm, quod sit, patientia ostendit. Non est magnus animus, quem obvia irritant, vel terrent; nec sat spiritus generosus, qui tantum prospera ambit. Non vis esse iracundus? Tibi impera! Time, dum inter hilaria! Gaude, dum inter tristia! Hæc nunquam errandi regula!

Instructio meritoria.

Sancti Martyres, ut potenter nostram suffultiant impatientiam, aut penitus de cordibus tollant, pro eorum gloria oremus tria Cantica de communi Martyrum cum *Te Deum Laudamus.* Potentes sunt! Clamemus! Non passioni cedamus! Ad cœlum ingemiscamus!

II.

ANima Christiana! cum ira nihil rectè, nihil consideratè, & laudabiliter fieri potest. *Quæ enim cum perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt; nec ab aliis, qui adsunt, probari,* Irascimini! Sed nolite peccare! Irascimini

mini passionibus, rebelli amori! Voluntati provocanti! Taliter irasci sanctum est.

Instructio meritoria.

Maximum remedium iræ est mora. Commoti quiescamus, & omnem impetum coerceamus. Ubi commotio fortior, flectamus, Crucifixum arripiamus, quinquies exosculemur, & triginta quatuor Ave salutemus. Cessabit impatientia, dum JEsus inter oscula.

III.

Dilecte! Nec naturam accusemus, dum irascimur. Sed iram non possumus vitare, temperemus saltem. Si non possumus cavere, cohibeamus. Teneamus silentium patientiæ. Tacendô vincimus citiùs. Quo minùs quis profert iram, eò fortiùs premitur ab illa. Natura arte perficitur: Quantò magis virtute, lenitate, patientiâ, fortitudine?

Instructio meritoria.

Vince in bono malum, est Apostoli monitum. Ut sequamur, urnulam nobis præparemus, & quotquot nostrûm victorias per diem de nobis reportaverimus, tot schedulas urnæ injiciamus cum tessera: *Soli Deo honor.* Hi thesauri! Hi sunt sacculi, quos patiens & mitis JEsus à nobis expectat. Impleamus! Nulla dies sinè victoria.

EX-

EXHORTATIUNCULA XXXIV.

Ad Odium, & vindictam spirantes.

I.

O Fili! Misereamur nostri! *Omnis* (ait Christus per dilectum suum Joannem) *qui odit fratrem suum, homicida est.* Si homicida: ergo & indignus Dei gratia, atque misericordia. Doctrinaliter hîc Basilius Magnus: *Qui odit fratrem suum, eo ipso fit odio ipsi Deo.* Proin oportet tantùm abesse odium à Christiano, quantùm quisque abesse cupiat à Dei odio, & quantùm odium distinquit Christi discipulum à diaboli filio.

Instructio meritoria.

Charitate proximi qui caret, vivens est mortuus. Caret enim vitâ spirituali, quæ est perfecta charitas. Pro hujus stabilitate in cordibus omnium hominum invocemus Spiritum Sanctum *per officium minus* cum Lytaniis de eodem. Spiritus amoris est. Promittitur: sed solis amantibus. Locus pro odio solus infernus!

II.

CHristiane! Verissimum est: nil adeò difficile, quam non meminisse offensæ, & offendentem diligere. At idipsum imperat Christus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui oderunt vos.* Clamat fortè rebellis passio: irascimini! Vindicate! Clamat autem & JEsus: *Diligite! Benefacite!* Fili! Cui obediemus? An Christo pro nostra gloria? An odio

odio fraterno ad nostra supplicia? Aut hîc ignoscendum! Aut ibi comburendum!

Instructio meritoria.

Pro omnibus, qui offenderunt, vel oderunt nos, opera hodiernæ diei universa offeramus Crucifixo JEsu septies repetitâ morientis tesserâ, & petitione: *Pater! Dimitte illis! Quia nesciunt, quid faciunt.* Addamus & officium de suavissimo Corde JEsu. Odia sunt restringenda; Charitas verò amplianda cum sui ipsius victoria.

III.

AMice! Ad quid perditio hæc? Noctes, & dies sæpe impendimus integros, ut spiritum expleamus ultionis, & malum pro malo reddamus. Interim fatiscit corpus: deficit Christianæ virtutis spiritus: evacuatur anima: expellitur à corde Dei gratia. O Chare! Non sic! Non sic! Non demus (rogat D. Gregorius) affectibus tempus, ne tractu temporis incendium ex parva scintilla oriatur inextinguibile. Terreant & S. Apostoli verba: *Si invicem mordetis: Videte, ne invicem consumamini.*

Instructio meritoria.

Nobilis ultio offensarum oblivio. Hanc ut tribuat JEsus de Cruce latroni ignoscens, oremus pro omnibus ultionem spirantibus, ut convertantur ad lenitatem, & misericordiam suis inimicis, vel persecutoribus præstandam. Pro quorum conversione per septem dies quotidie unum ex psalmis pœnitentialibus persolvamus jun-

jungendô primas orationes, quas invenies Lytaniis de omnibus ſanctis annexas. Clama ſæpe fili mi! O cœli! Date animas! Date & has ſinè numero innumeras!

EXHORTATIUNCULA XXXV.

Ad Chriſtianos reſpectu, & beneplacito humano corruptos.

I.

CHriſtiane! Quomodo Judici quondam reſpondebit, cujus loco nunc hominem adorat? Judæi Deum poſtponebant homini, latroni: Quid aliud agimus nos? Si hominem obſervare mens eſt, obſervemus *Hominem Deum*, in quo eſt omne Verum, & Bonum.

Inſtructio meritoria.

Quoties cubiculum intraverimus, flectamus, & dicamus: *Vivit Dominus! In cujus conſpectu ſto, quem timeo! amo! & diligo.* Mox ſubjungatur Hymnus Ambroſianus: *Te DEum Laudamus.* Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.

II.

FIli! Et quid eſt homo, in quem ita ſperat, ut & illius amore quæcunque propoſita bona, aut virtutum opera frequenter intermittat? Geneſin inſpiciat! Paulò antè nihil, nunc vivum cadaver, & ſaccus ſtercorum; brevì cinis, & eſca vermium. Et tamen homo pluris æſtimatur Deô. Sed væ vobis! JEſus dixit: *Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc filius hominis*

nis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua. Confuſio quanta!

Inſtructio meritoria.

In honorem, & amorem SSS. Trinitatis tres victorias ſpeciales contra damnabilem reſpectum exerceamus, & in ſatisfactionem noſtræ ignaviæ recitemus ſymbolum S. Athanaſii: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem.* Ens entium, & Numen ſupremum ad virtutem, ad Juſtitiam, & ſanctitatem moveat, urgeat, ſtimulet nos! Cætera ſpernamus ut ſtercora.

III.

CHariſſime! Vivit Deus, & videt nos. Si non benè, ſi non piè, religiosè, juſtè, & ſobriè vivimus, videt nos Deus, & reprobabit nos. Quid jam deſideramus? Aut probari ab homine? Aut damnari à Divino Judice? O juſta S. Auguſtini exprobratio: *Times prorſus, ne offendas majorem; & non times, ne offendas DEum.* Quantus diſordo in agendo?

Inſtructio meritoria.

Quoties prodibimus in publicum, antea dicamus nobis: *Caute! Prudenter! Circumſpectè! DEus me videt.* Porrò ut in præſentia Divina firmiter ſtemus, ubique ambulemus, compunctionem, & recollectionem ſpiritûs, atque animi conſervemus, coram ſanctiſſimo Venerabili nos ter proſternamus, & elicitis fidei, ſpei, & charitatis actibus, ſurgamus oraturi 12.

Pa-

Pater & Ave cum *Credo*. Qui verè credit, homini non fidit. Fideli unus sufficit Deus.

EXHORTATIUNCULA XXXVI.

Ad Incontinentes, & impurè viventes.

I.

FIli; quando tandem Finis turpitudinis vestræ? ecce! jam insonat in aures vestras tuba S. Hieronymi truculenta clamantis: *O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula; cujus flamma superbia; cujus scintillæ prava colloquia; cujus fumus infamia; cujus cinis immunditia; cujus finis gehenna.* Recedat jam omnis immunditia; ne quidem nominetur in vobis.

Instructio meritoria.

Et hoc rogo per immaculatas SS. Personas, per Jesum, & Mariam, quorum præsidio ut præservetur ab omni carnis inquinamentô, recitabit dilectus duo officia de Nomine Jesu, & B. V. Maria sinè labe Concepta cum integra octava, hoc firmô propositô, vel hîs octo diebûs amore Jesu & Mariæ sese continendi ab omni luxuria. Fili! poterit, si velit. Quid dubitat de Jesu? quid? vel cur de Maria?

II.

AMande! quid fiet vobis, si secundum carnem vixeritis? lata est sententia: reus est mortis! moriemini! nec moris emanebit diu. Nemo enim infirmior; nemo miserior, turpior nemo homine immundo, & lascivo. Est &

abominatio in oculis Domini! ergo neſcitur rigor Divinæ Juſtitiæ, quô & integræ funditùs deletæ ſunt civitates, & provinciæ, ubi imperabat incontinentia vitæ? ſic citò pereunt, quæ vix unô durârunt momentô. Verè momentaneum, quod delectat! Æternum, quod cruciat.

Inſtructio meritoria.

Ne incidamus in manus Domini, portas cautiſſimè cuſtodiamus ſenſuum, & corporis noſtri. Sit hodiernum propoſitum firmum, fugiendi ſexum alterum, & converſandi cum Regina Virginum Maria, cujus amore manentes in ſolitudine, mediam horam dabimus piæ contemplationi de pretio, & nobilitate Virginitatis, atque caſtimoniæ. In fine quinque Pſalmos Nomen Mariæ exprimentes offeramus. In hoc S. Nomine oleum effuſum omnis honeſtatis, & virginalis pudicitiæ.

III.

AMice! ò ſi pudicitiæ angelicæ excellentias, & præmia intelligeremus, quàm puriores, & mundiores viveremus! ſtimulet, inflammet nos S. Athanaſii adhortatio, dum exclamat: O continentia! tu mortem deſtruis, & immortalitatem advehis. Tu es gaudium prophetarum! tu gloria Apoſtolorum! tu vita Angelorum, & corona Sanctorum omnium. Ecce! quàm pulchra ſit caſta generatio cum claritate. Brutorum eſt, volutari in luto, & ſtercore! | Chriſtiane! quæ dignitas veſtra? imago Dei eſt: & in lutum abjicis? ò impudentiam!

In-

Instructio meritoria.

Qui odit animam suam (& corpus) in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, effatum Domini est. A nobis jam ultionem sumamus, carnem spiritui, & spiritum Deo subdamus. Ne caro rebellet, cingamus ciliciis, & humiliemus nocturnô jejuniô. Heu! caro Jesu innocentissima quanta non inter tormenta: & peccatrici parcatur?

EXHORTATIUNCULA XXXVII.

Ad Consuetudinarios, & in idem peccatum sæpius relabentes.

I.

FIli! Peccatum satis est! Non adjicias iterum! Miserere Redemptoris! Cessa offendere Jesum! Peccatum quò crebriùs iteratur, eò magis homini dominatur: nec spes tam acceleratæ conversionis, & pœnitentiæ. Serò profectò medicina paratur, dum mala per longas convaluêre moras. Evellitur faciliter arbuscula, dum adhuc tenera; si radicata, etiam viri non poterunt robustissimi. Et tu de die in diem emendationem differs? differs: sed in ruinam. Vocavi! Renuisti! Ridebo! Gratiam conversionis negabo. Hæc Christus per me consuetudinario.

Instructio meritoria.

Ut tandem agnoscat infelicitatem, & manifesta statûs sui pericula, hodie unam integram impendat horam precibus, & extraordinariæ pietati, quâ SSS. Trinitati offeret tria sacra Rosaria

cum Psalmo : *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt &c.* Quis detrahet æthiopi pellem? Solus Deus. Jam confide Fili! Non erit respectu tui infirmior, aut impotentior.

II.

BOne! Nondum audio suspirantem cum pœnitente Augustino. Quamdiu? Quamdiu cras & cras? Quare non modò? Quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Crescunt omni momentô Dei in vos beneficia: & vos magis induramini in vestrâ erga tantum Dominum, Patrem, & Jesum malitiâ! Sed & hoc est beneficiorum maximum, quòd vos videam adhuc in vita. Lucifer cecidit semel! Adam semel pomum gustavit vetitum. O Justitiam! Ille expellitur cœlo; hic paradiso! & manus Domini necdum contra vos armata est? O Bonitas!

Instructio Meritoria.

Ne exasperetur furor Domini, non repetamus occasionem peccandi. Ut pruritus eò pergendi per dexteram Excelsi, & Sanctos ejus, oremus Lytanias de omnibus Sanctis, promittendô usque ad proximam confessionem (quæ intra 10. vel 14. dies certò reassumenda) nunquam cum impiis nos immiscendi. Scriptum est enim: *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

III.

III.

CHristiane! Quàm vilis facta est nimis anima vestra, iterans vias suas. Serve nequam, omne debitum nuper dimisit vobis Deus. Cur malum redditur pro bono; cur peccatum additur peccato? propositum seriæ pœnitentiæ sola firmat in bono constantia. Quid enim laviſſe pedes? Quid exuisse tunicam proderit, si ad vomitum redeat homo? Verbum sapientis est: unus ædificans, & unus destruens, quid est nisi labor? Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Vulnus iteratum sanatur tardiùs. Relabens veniam meretur nullam. Nihil enim prosunt lamenta, si replicantur scelera. Væ! væ! væ! vestræ perfidiæ!

Instructio meritoria.

Jesum, & hunc Crucifixum inquiramus, & flexîs genibûs, brachiisque expansîs illius vitam, passionem, & mortem imploremus recitandô 34. Pater, & Ave; statuamùsque seriò quotidie in venerationem quinque vulnerum Jesu quinque Ave manè, & noctu recitare, & id quàm fidelissimè. Stabit, pro quo Jesu perorabunt coram Patre aperta Vulnera. Deserantur peccata! Agatur pœnitentia!

EXHORTATIUNCULA XXXVIII.

Ad Impœnitentes, & Obstinatos.

I.

INfelix anima! ergo vita, passio, & mors divini Unigeniti pereant in vobis? Ubi enim nulla pœnitentia, ubi voluntas in malo obstina-

ta, ibi refugit gratia Dei cum misericordia. Superbis irascitur Deus: pertinaces terret; obduratos persequitur, odit, aversatur. An non ita? Quid vobis propria conscientia? Trepidat, dum statum internum, vel obiter cogitat. Trepidabit magis, quando se neglexisse pœnitentiam, & tot salutis media undequaque oblata adeò ignavè respuisse, post paucos dies, vel horas advertet. Ah! Misereatur suæ animæ! Ah! Parcat Jesu sanguini! Cœlum est vestrum! Rapite pœnitendô!

Instructio meritoria.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Sunt vobis firmæ corporis vires: integra sanitas: vegeti sensus: natura vivacissima. Verùm his omnibus mortem minatur impœnitentia. Ne inferat, citò ad Jesum Crucifixum! Arripiamus, stringamus, & post centena amoris, atque doloris oscula quindecim Pater, & Ave recitemus cum Psalmo: *Domine! ne in furore tuo arguas me!* Addamus & serium propositum, quotidie quinque actus contritionis amorosissimæ exercendi *reflexè*. Conteratur caput! Humilietur voluntas! Non emanebunt compunctionis lacrymæ.

II.

CHristiane! Hucusque manu Domini, ne rueret præceps, sustentata est anima vestra. Hucusque sat admonita est, ne periret. Non enim lætatur Dominus in perditione vivorum; nec vult mortem impii: sed ut convertatur, & vivat.

vivat. Hinc est, quód delinquentis peccata hactenus dissimulaverit, ut expectaret ad pœnitentiam. Nondum resipiscet? Dei bonitatem ulterius respuet? Ergo sponte peribit? Fiet! *Dilexit maledictionem; & veniet ei; noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Hoc vobis ex ore Davidis vaticinium.

Instructio meritoria.

O Fili! non ita! perierunt suâ impœnitentiâ innumeri! Nos! Nos salvemus animas nostras. Quomodo? Quotidianâ in B. V. Mariam devotione, orandô videlicet in honorem septem dolorum, quibûs peccata nostra cor Illius transfixêre innocentissimum, quotidie septem Ave, neque unquam simus, ubi ubi vixerimus, sine S. Rosario, & Scapulari Mariano. ubi hæc signa, & salutis vexilla: quæ nobis timendæ insidiæ, aut ab inferis pericula? *Impossibile est, aliquem salvari peccatorem, nisi per tuum Virgo! auxilium, & favorem.* S. Ignatius M.

III.

Dilecte! Ut quid ita tristis, desolata, pusillanimis anima vestra? credidero! Vivitis enim inter acerba lancinantis conscientiæ tormenta. O quàm dulcior, quàm suavior est pœnitentium vita! Pœnitentia solvit ligata, clausa reserat, omnia adversa mitigat, omnia contrita sanat, omnia confusa lucidat, omnia desperata animat. Hæc S. Cypriani sententia. Pœnitentiam

ergo agite! & consolamini! Appropinquat enim in vos regnum Dei.

Instructio meritoria.

Pœnitentia est mater misericordiæ, & magistra virtutum. Hâc sibi rapuit cœlum latro pendens de Cruce. Hâc Jesum ipsum nobis rapiamus! Ideò propter nostram, & hactenus tam obstinatè continuatam impœnitentiam SSS. Trinitati tria Rosaria offeramus. Gaudiosum Patri cœlesti, ut nos recipiat in filios; doloroſum Christo Jesu, ut nos foveat tanquam in passione fratres, & socios; Glorioſum Spiritui Sancto, ut animas nostras tanquàm sponsas suas donis excolat omnibûs, impleátque duodecim fructibûs, quibûs Amor abundat Divinus. Et ut fortiter, atque animosè inchoemus vitæ conversionem, nulla confessio prætereat, cui non superaddi rogaverimus pœnitentiam supererogatoriam. Jesu! Non ampliùs peccatum!

EXHORTATIUNCULA XXXIX.

Ad graviter tentatos, & internè Afflictos.

I.

CHare! Inanis, & vana est turbatio vestra. Multos, ut humiles essent, permisit Deus labi in peccata gravissima. Vobiscum agit clementiùs. Permittit solùm tentari ad majora merita. Fili! Resistat viriliter in causa Dei, & propriæ salutis! Tentatio non est ad mortem, sed

sed ad vitam sempiternam. Moriêris, si segnior, aut fueris morosior!

Instructio meritoria.

Ubi fortior tentatio, ibi Deus vobis vicinior. Cum ipso sum (en! Jesu testimonium!) in tribulatione. Ut quid ergo non clamamus? Tentati citò provolvamur in genua, & Psalmum: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi*, humiliter persolvamus. Fugit dæmon, dum clamat ad Deum homo.

II.

O Fidelis! Pudeat nos minùs amare Deum, quàm canes suum Dominum! Canis, quamvis objurgetur, percutiatur, vel lapidetur à Domino; tamen repelli non potest: Sed magis accedit, sequitur illum, & saltitabundus abblanditur. Et ecce! Cædit, flagellat nos Deus hâc, vel illâ tribulatione, & tentatione, quia digni centies. Ah! Quomodo non refugimus? Lamentamur? Murmuramus statuentes in corde: *Non amplius serviam!* Et hoc non sit vinci à bestiis, à brutis, & canibus.

Instructio meritoria.

Doleamus de nostra cæcitate, & in compensationem nostræ indignationis, impatientiæ, & ingratitudinis, quâ sæpius providum offendimus Deum, Dolorosum Rosarium patienti Jesu, & dolorosæ Matri, cum lectione unius, vel alterius Capituli ex libello de Imitatione Christi. Aperi! Lege! & cantabis cum Davide: Domine! Bonum est, quòd humiliaveris me.

III.

Dilectissime! Natura nostra cecidit, & in casu rectitudinem suam perdidit: oportet, ut reparetur non rebûs mollibûs, sed durîs, & asperîs. Malleus durus est, & gravis; sed format vasa argentea, & speciosissima, quæ priùs erant obtusa, & obliqua. Jam tibi tentato applica!

Instructio meritoria.

O Misericordiam Domini! hîc affligit, tribulat, & premit, ut pro ablatô gaudio brevi, & modico tribuat perpetua. Abjiciamus tristitiam! Potiùs cantica incipiamus, & quòd Deus tam providè nobiscum egerit hactenus, & à lapsu graviori præservaverit, ter hodie dicamus: *Te Deum Laudamus:* & cum S. Theresia quinquies suspiremus: *Pati Domine! non mori.*

EXHORTATIUNCULA XL.

Ad Scrupulosos, & angustiatos in conscientia.

I.

O Modicæ fidei! Noli esse incredulus in tuo animo! Bonum Dominum habemus in cœlo! Advocatum clementissimum in Christo Jesu! Grande solatium in Dei promisso. Si enim impius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia præcepta mea, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, ait Dominus Omnipotens. Sentite proin de Domino in bonitate.

Instructio meritoria.

Dum irruunt molestiores scrupuli, flectamus coram

coram obvia imagine sacra, & expansis brachiis clamemus ad sidera: *Domine Jesu! in te speravi. Scrupulo dixi: Vade retrò Satanà!* Mox Psalmum oremus: *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.* Perit, qui sibi nimium fidit. Cæcus enim si cæco &c.

II.

FIli! molesta est lucta, sed & fructuosa; quia, si habet, quam timeat, pœnam; habet etiam, quam speret, coronam. Non nocet sensus, ubi abest consensus. Quia quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Non est victoria nobilior, aut pretiosior victoriâ sui.

Instructio meritoria.

Rejiciamus proprium judicium, & adhæreamus alieno! Habemus Patres spirituales, & in his promissam Dei assistentiam juxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Ut ad omnimodam respectu illorum perveniamus submissionem ter prostrato corpore SSS. Trinitati contestemur, abnegemus abnegationem contumacis judicii dicendo Psalmum: *Domine! non est exaltatum &c.* Humiles consolabitur Deus; superbos mortificat.

III.

AMice! Si infirmus sibi vult esse medicus: Quid fiet? Cadet in tumulum. Quis infirmior scrupuloso? & quis elatior illô? O Christiane! timeo lapsum eò profundiorem, quò se fingit Patre Confessariô prudentiorem. Qui animæ Directorem contemnit, Deum invadit. Dixi satis.

Instructio meritoria.

Ut interna fruatur pace, & citò ab importuna liberetur scrupulositate, nunquam imposterum adeat sacramentale Tribunal, quin non aliquos propriæ diffidentiæ actus v. g. decem in honorem dolorosæ Coronationis spineæ, quam sustinuit Christus Jesus, exerucerit, exercitos conscripserit, & conscriptos in manus Venerabilis sui Patris spiritualis extradiderit. Vincenti dabitur manna. Per mensem integrum recitemus vesperas ex officio defunctorum. Auxiliantur defuncti, quando se ampliùs juvare nesciunt scrupulosi.

EXHORTATIUNCULA XLI.

Ad Constitutos in multis hominum odiis, & persecutionibus.

I.

FIli! Aut vult vivere inter malos, aut bonos Christianos? Si inter malos: habet, unde patiatur persecutiones. Nam mali & cœlo, & terræ infensi sunt. Si inter bonos: non miretur mortalium odia. *Qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Pii quiescere, & gaudere in mundo, nequaquam possunt. Mundo semper displicuit virtus.

Instructio meritoria.

Magna gratia, pro Christo quid pati! Ne ingrati simus tantæ, quam in persecutionibus experimur, providentiæ, ter per diem SSS. Trinitati intonemus Simeonis Canticum: *Benedictus Domi-*

Dominus Deus Israël &c. additô illô devotæ animæ testimoniô ad quamlibet horam repetendô: *Patior, quia amo;* amo, quia patior.

II.

DIlecte! Non doleo, sed vobis gratulor. Quæ enim major in mundo sors, & felicitas, quàm ut Jesus, & pro Jesu quid perpeti? Quàm suaves, & jucundæ vobis esse debent persecutiones sæculi, quibûs genuini probamur Dei amici! At quàm metuendæ, quàm crudeles hominum blanditiæ, quæ auferunt robur, & dulcedinem divinæ gratiæ! *O Sæculum nequam* (justè exclamemus cum mellifluo Doctore) *quod tuos sic beare soles amicos, ut Dei constituas inimicos!*

Instructio meritoria.

Bonum pro malo reddamus, inimicos, ut nostros benefactores suspiciamus, & ne propter nos vel corpore, vel anima luant per Dei justitiam, centum Pater, & Ave offeramus, his decies immiscendô: *Pater! Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

III.

AMandissime! Contemne mundi, & mortalium sermones, atque judicia! Cæci, temerarii, ac iniqui illi plerumque sunt retum æstimatores. Cura, ut Deo, & tuæ conscientiæ tua duntaxat probentur opera. Non homo sedebit ad tribunal in judicio extremo, sed scrutans corda, & renes Deus. O Felix, si eò innocens te duxerit mens, & hilaris conscientia! Hæc gloriabitur; mundus autem confundetur, & lamentabitur.

Instructio meritoria.

Grande Nomen: esse Christi servum! Erimus, si persecutionibus non cedamus. Pro impetranda igitur tolerantia, & longanimitate veneremur totam Ætatem Christi Jesu orandô 34. Pater, & Ave, simúlque cum gaudio Spiritûs ter repetamus Capitulum D. Pauli: *Ibant Apostoli gaudéntes â conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt, pro Nomine Jesu contumeliam pati.* Jungamus quoque Psalmum: *In Convertendo Dominus captivitatem Sion.* Sit nobis Jesus charior homine, & mundo. Hi fallunt; Jesus redimit.

EXHORTATIUNCULA XLII.

Ad Pauperes, & inopes.

I.

AMice! Pauper, & inops est? Quid tum? Sit suâ contentus sorte! Habet & paupertas benè tolerata divitias: & gloriam in domo Dei, quò eundum cum gaudio. Difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt, ait Christus per Matthæum. Vade ergo, Deo gratias age! Gloriare in paupertate! Hæc quò major, eò & tu Jesu similior, cœlo vicinior. Christum quando divitem vidimus? Fortè in Præsepio? Aut in Cruce? Quid hîc oculi nostri?

Instructio meritoria.

Deponamus nimiam pro nostris necessariis solicitudinem, & omnem curam in Deum conjiciamus, qui noster Pater est in cœlo. Necessaria proin

proin hodie de manu Dei accipiamus non tanquam debita, sed veluti eleemosynaria dona, & in gratiarum actionem oremus Psalmum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in oro meo* &c. Filii Dei sumus! Benedicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

II.

FIli! non tibi displiceat paupertas tua, nec te pauperem erubescas! Nihil inopiâ rerum potes invenire potentius, aut ditius. Vis enim scire, quàm dives sis in paupertate? Deus, & quidquid in Deo jucundum, atque æternum, tuus est. O te avarum! Si tantum bonum, quod immortale, & perpetuum, tibi non sufficiat! Deum tibi rape! Raptum tene; Et contemptu cæterorum omnium hunc solum posside!

Instructio meritoria.

Pauper non est, qui verba pacifica, charitativa, & ædificatoria dare didicit. Procul hodie cum melancholia! Procul cum iracunda tristitia, quam ut per Jesum ad 34. annos pauperrimum vincamus, omnia tria SS. Rosaria de quindecim Mysteriis recitemus. Nunquam deficit, quem Jesu paupertas suffulcit.

III.

BOne! Nudus ex utero Matris egressus es: Nudus perges illuc. Quid jam desideras vivere, & mori dives? O quàm durum erit relinquere, quod modò ambis studio, & labore tanto! Fatiscit, qui cum sarcina montem ascendit. Quid erit onus Babylonis properanti ad domum æterni-

æternitatis? Heu! dimittenda sunt omnia! Sola admittetur in sinum Abrahæ pauper, & nuda anima.

Instructio meritoria.

Omnia quæ habemus, & possidemus, in manus Jesu, & Mariæ hodie consignemus cum fiduciali hac contestatione: Hoc oro, hoc cupio, & desidero, ut ab omni proprietatis expoliatus vitiô nudus nudum Jesum sequi valeam. Addantur dein Lytaniæ de dulcissimo Nomine Jesu, & Mariæ. Aurifodinam scimus? Et uti nolumus?

EXHORTATIUNCULA XLIII.

Ad decumbentes, & infirmos.

I.

CHristiane! Cessa ingemiscere! Infirmitas tua grande donum Dei est, quod non rarò utilius est sanitate. Dum sani, deficimus sæpius. Dum languidi, resipiscimus, & quærimus, quorum anteà vix unquam recordati fuimus. Non ergo nobis dolenda corporis afflictio, quam intelligimus matrem esse virtutum, & conservatricem Divinæ gratiæ.

Instructio meritoria.

Nostros dolores offeramus hodie animabus graviter luentibus in purgatorio, ter inclamantes: *Domine Jesu! per sanctam Passionem, & mortem, quam amore nostrum sustinuisti, quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

demiſti. Additîs in fine quinque Pater, & Ave cum Pſalmo: De profundis.

II.

O Dilecte! Ubi fides? Ubi intellectus, & ratio noſtra? S. Paulus de ſe gloriatur dicens: Nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis. Cùm infirmor, tunc potens ſum. Nam virtus in infirmitate perficitur. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis. Si eſſemus cum D. Paulo è Schola Chriſti, idem ſentiremus de doloribus noſtris. Verùm hanc doctrinam non capimus omnes, plus intenti, quid patiatur caro, quàm quid placeat Deo.

Inſtructio meritoria.

Doleat nobis noſtra impatientia, quæ major, & flebilior omni morbo, & infirmitate. Et ut poſſibili ſaltem reſarciamus induſtriâ, S. Roſarium de quinque doloroſis Myſteriis recitemus. Dolor provocat amorem. Jeſus à planta pedis usque ad verticem capitis merus livor, vulnus, & dolor: Quid nos?

III.

AMice! à gentili confundimur Seneca, qui ita: *Nemo poteſt valdè dolere, & diu; ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret.* Nulla igitur infirmitas fortem dejiciat animum, ſive ſit levis, ſive gravis. Si enim gravis, tamen brevis eſt; ſi levis, hoc ipſo tolerabilis. Certè hæc noſtra mollities eſt, quæ innumeros facit defertores virtutis, dum omne difficile reſpuit tanquam intolerabi-

lerabile. O Fili! Tolle fictam difficultatem: & placebit infirmitas, in qua ſumma latet felicitas. Quò dolor auctior, eò gloria tibi copioſior.

Inſtructio meritoria.

Morborum tempore omnes rejiciamus curas, & anxietates! De præteritis doleamus! De futuris in Deum confidamus! Soli patientiæ, & Chriſtianæ fortitudini intendamus, per diem cum S. Laurentio Juſtiniano ſæpius ingemiſcentes! *Domine! Hîc patientiam! Ibi indulgentiam!* Pro ſolatio afflictæ animæ dicamus illa tria de pluribus Martyribus Cantica: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt &c.* Et Hymnô Ambroſianô finiamus *Te Deum Laudamus.* Amor debetur amanti. Magna agamus, dum ſani in corpore; ſi infirmi, patiamur majora. Amor agendô firmatur; patiendô coronatur. Renuit regnum Dei, qui fortiter pati.

EXHORTATIUNCULA XLIV.

Ad moribundos.

I.

FIli! Quorſum? Siccine ad domum æternitatis? Siccine ad beata gaudia noſtra properat anima? Gratulor; quia tandem finis ærumnarum, quas tulimus in hoc flebili lachrymarum valle. O quantùm jam vos expectant Jeſus, Maria, & S. Joſephus! O quantùm Angeli, & Archangeli! Erigite mentem! Excitate cogitationes in ſpem vivam! Non mortem timete, ſed invitate.

Inſtru-

Instructio meritoria.

Comitem ut habeat pro æternitate, ecce! Jesum Crucifixum ei exhibeo. Capiat, & inter dulcia 34. Oscula jucundô Spiritu dicat: *Jesu! dulcis Amor! Quando veniam, & apparebo ante conspectum tuum, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.*

II.

FIli! Non terreant peccata! Non turbent præterita! Non cruciet vulnerata conscientia! En! Matrem misericordiæ! En! Advocatam ad thronum gratiæ! Nihil resistit Mariæ potestati; nihil repugnat Mariæ viribus; omnia obediunt Mariæ. Omnia serviunt Mariæ. Et ò tempus acceptabile! O Diem! O Horam salutis! Mariam brevi videbimus ipsi: Ecce! Jam appropinquat, in cujus pulchritudine, in cujus Majestate, anima vestra penitus defixa, æternum lætetur, gaudeat, & exultet.

Instructio meritoria.

Percutiamus humiliter pectora, & fiducialiter inclamemus, invitemus cœli Dominam cum Ecclesia: *Salve Regina! Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve! Eja illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens! O pia! O dulcis Virgo Maria!* Invocatô Nomine Matris

tris etsi merita non mereantur invocantis, exaudiatur, merita Matris intercedunt, ut à Filio exaudiatur. Hoc vobis solatium dat in Viaticum S. Anselmus Mariæ devotissimus.

III.

FIli! Angelorum choris interesse, cum beatis spiritibus gloriæ Christi Jesu assistere, præsentem Dei, Mariæ, & omnium Sanctorum vultum cernere, nullô mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, ô quot hæc moriturientium gaudia! His jam vos estis proximi. Lætamini in Domino! curas abjicite! solicitudines damnate! Si mala occurrant: Doleamus, & Jesu Passioni confidamus. Jam enim invitantis percipimus vocem: Venite! Qui laboratis, & onerati estis! Venite! Et ego reficiam vos. Hinc apertum cor ejus! Hinc brachia expansa, ut vos recipiat in æterna Tabernacula? Surge! Proficiscere! Propera dilecta anima! Veni & accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Instructio meritoria.

Omnes cogitationes, quibûs infirmam infestat animam diabolus, in vulnera Jesu abscondamus. Hæc ut pateant vobis, quinquies mecum suspirate: *Jesu! ad tua SS. vulnera desiderat anima mea. In his dormiam, & requiescam.* Fili! ut & ego ab amplexu meo vos non dimittam sinè bene-

benedictione, & paternâ consolatione, promitto per 30. Dies quotidianam ipsius memoriam in precibus, & templis. Et si in suam cœlestem venerit Patriam, recordetur mei, ut non quæram, nec diligam, nisi quæ sunt Jesu Christi. Jam vale, & eò perge, quò te vocat Dei voluntas. Tene, stringe Deum tuum, & hoc in omnia Sæcula. O felix anima! quàm vellem & ego dissolvi tecum.



INDI-

INDICULUS
EXHORTATIUNCULARUM
PRO
VARIIS STATIBUS
PERSONARUM.

I. Ad Diem, quo quis natus est mundo. Fol. 721
II. Ad Diem Nominis. 724
III. Ad lucrandum Jubilæum. 726
IV. Ad Ingredientes Religionem sacram. 728
V. Ad generaliter Confessos. 730
VI. Ad intrantes exercitia octiduana. 733
VII. Ad solemniter profitentes. 735
VIII. Ad venerandos Neomystas. 737
IX. Ad personas curatas, & Reverendos Parochos. 740
X. Ad Venerabiles Superiores. 742
XI. Ad sollicitos, & Christianos Parentes. 744
XII. Ad devotos in Parentes Filios. 746
XIII. Ad famulos fideles. 747
XIV. Ad conjuges Christianè viventes. 749
XV. Ad Cœlibes & Virgines. 751
XVI. Ad Innocentes & parvulos. 753
XVII. Ad litteratos, & studiosos. 755
XVIII. Ad Nobiles. 757

XIX.

XIX. Ad milites Christianos. 759
XX. Ad plebanos, & Rusticos. 761
XXI. Ad tepidos, & otiosos Christianos. 763
XXII. Ad garrulos, & multiloquos. 765
XXIII. Ad Detractores. 767
XXIV. Ad mendaces. 769
XXV. Ad immodestos in oculis. 771
XXVI. Ad malè audientes. 773
XXVII. Ad gulosos. 774
XXVIII. Ad superbos, & elatos. 776
XXIX. Ad jactabundos, & vanè gloriantes. 778
XXX. Ad avaros, & divites. 781
XXXI. Ad Invidos. 783
XXXII. Ad Inobedientes. 785
XXXIII. Ad Iracundos. 787
XXXIV. Ad odium, & vindictam spirantes. 789
XXXV. Ad Christianos respectu, & odio humano corruptos. 791
XXXVI. Ad incontinentes. 793
XXXVII. Ad Consuetudinarios. 795
XXXVIII. Ad obstinatos, & impœnitentes. 797
XXXIX. Ad graviter tentatos. 800
XL. Ad scrupulosos. 802
XLI. Ad constitutos in persecutionibus. 804
XLII. Ad pauperes. 806
XLIII. Ad infirmos. 808
XLIV. Ad moribundos. 810

Ut

In omnibus glorificetur Deus, &
Sanctissimus Pater Benedictus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Error	*Correctio*	*Folio.*
ſiſtimus -	ſiſtimur -	2
mundi -	mundo -	55
quod -	quot -	88
primas -	perimas -	92
Perfectò -	profectò -	176
petuliat -	petulicat - -	181
obſequis -	obſequiis -	188
profiteremus	profiteremur -	190
illi -	illis - -	192
vivat Jeſu -	vivat Jeſus -	205
magno ſunt -	magna ſunt -	226
filii -	fili -	235
merce -	merces -	241
comedamus -	concedamus -	247
advertat -	avertat -	253
exercendi -	exercendis -	275
incederet -	intercederet -	278
in adverſis: Non dejiciamur -	in adverſis non dejiciamur	286
phlebetomo -	phlebotomo -	294
præmittendi -	præmittendis -	308
diceni -	dicens -	311
quantò magis -	quantò magis Religioſorum	
chriſtianorum -		380
aſſyla -	aſyla -	397
1. adicatum	1. Radicatum -	459
invitandi -	imitandi -	461
ex obedientiæ	ex obedientia -	464
quotidiano. Hæc	quotidiano fervore. Hæc	491
ut conſecremus	ut conſervemus	498
nobilem eſſe	nobile eſſe -	757

Benevole Lector!

Prudenter lege, & leges ſinè errore.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C
74

Th
3135

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN